TRINITY COLLEGE LIBRARY
3 1761 02742646 9

TRINITY UNIVERSITY
LIBRARY,
S.N..... S.H..... No.....



TRINITY UNIVERSITY
LIBRARY.
S.N. K S.H. 7 No. 23

THE MINOR

THEOLOGICAL WORKS

OF

JOHN PEARSON, D. D.

BISHOP OF CHESTER, AND SOMETIME MASTER OF TRINITY COLLEGE, CAMBRIDGE.

NOW FIRST COLLECTED, WITH A MEMOIR OF THE AUTHOR, NOTES, AND INDEX.

BY EDWARD CHURTON, M. A.

CANON OF YORK, AND RECTOR OF CRAYKE, IN THE COUNTY OF DURHAM.

Οἶμαι πᾶσιν ἂν ὁμολογηθῆναι τῶν νοῦν ἐχόντων, παίδευσιν τῶν παρ ἡμῖν ἀγαθῶν εἶναι τὸ πρῶτον· οὐ ταύτην μόνην τὴν εὐγενεστέραν καὶ ἡμετέραν, ἢ, πᾶν τὸ ἐν λόγοις κόμψον καὶ φιλότιμον ἀτιμάζουσα, μόνης ἔχεται τῆς σωτηρίας καὶ τοῦ κάλλους τῶν νοουμένων· ἀλλὰ καὶ τὴν ἔξωθεν, ἣν οἱ πολλοὶ Χριστιανῶν διαπτύουσιν, ὡς ἐπίβουλον καὶ σφαλερὰν καὶ Θεοῦ πόρρω βάλλουσαν, κακῶς εἰδότες.

S. Gregor. Nazianzen. Orat. in laudem S. Basilii.

VOL. II.

OXFORD:
AT THE UNIVERSITY PRESS.
M.DCCC.XLIV.

5037
.943
1844
Vol. 2

PRESENTED

BY THE

UNIVERSITY OF OXFORD

TO THE

LIBRARY OF TRINITY COLLEGE,

TORONTO.

1857.

124344

JUN 5 1987

CONTENTS

OF THE SECOND VOLUME.

CONCIONES AD CLERUM SEX.

Precatio 3

Concio I. Jer. vi. 16. *Interrogate de semitis antiquis.* In Religione Christiana nulla novitas. In determinandis controversiis ad Ecclesiam primitivam respiciendum 5

——— II. Joann. v. 31. *Si Ego testimonium perhibeo de Meipso, testimonium meum non est verum.* Testimonia Ethnicorum atque Judæorum de Christo et Christianitate primæva 15

——— III. Act. xii. 24. *Verbum autem Domini crescebat et multiplicabatur.* Quibus præcipue adjumentis Evangelium apud Gentes creverit 29

——— IV. 1 Tim. iv. 1. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum.* Excutitur V. Cl. Josephi Mede nimis docta atque subtilis hujusce loci interpretatio... 41

——— V. Act. xvii. 18. *Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo.* Philosophorum in Christi disciplinam hostilis animus 56

——— VI. Num. xviii. 8. *Et ecce floruerat virga Aaronis pro domo Levi; produxerat gemmam, et emiserat florem, et maturaverat amygdala.* Divina asseritur institutio ministerii, et distinctio ministrorum 69

Oratio ad Exsequias Matthæi Wrenn, Episcopi Eliensis 79

THREE SERMONS, PREACHED ON SEVERAL OCCASIONS.

Sermon I. St. Luke xi. 2. *When ye pray, say, Our Father.* The Excellency of Forms of Prayer, especially of the Lord's Prayer 97

Sermon II. Gen. l. 10. *And he made a mourning for his father seven days.* The Patriarchal Funeral; a Sermon preached before George Lord Berkeley, on the death of his father.....112

——— III. Ps. cxi. 4. *He hath made his wonderful works to be remembered.* A Sermon preached at the Abbey-Church in Westminster, Nov. 5, 1673.....136

Christ's Birth not Mistimed; or a Refutation of an Attempt to prove by Scripture that Jesus Christ was not born in December.....153

THREE TRACTS RELATING TO THE SUBJECTS OF THE SAVOY CONFERENCE.

I. No Necessity of Reformation of the Public Doctrine of the Church of England.....165

II. Answer to Dr. Cornelius Burges.....205

III. Letter against Promiscuous Ordinations.....231

FIVE PREFACES TO DIFFERENT THEOLOGICAL WORKS.

I. Præfatio in 'Criticos Sacros.'.....241

II. Præfatio Paræneticа ad Vetus Testamentum Græcum LXX Interpretum.....246

III. Preface to Lord Viscount Falkland's Discourse on the Infallibility of the Church of Rome.....276

IV. Preface to Stokes's Paraphrase on the Minor Prophets...282

V. Preface to the Golden Remains of the Ever Memorable John Hales of Eton College.....285

DISSERTATIONES DUÆ DE SERIE ET SUCCESSIONE PRIMORUM ROMÆ EPISCOPORUM.

Joannis Thani Dedicatio ad Ven. Gulielmum Sancroft, Archiep. Cantuarensem.....293

Dissertatio Prima, De Successione Primorum Romæ Episcoporum in Genere.....296

Dissertatio Posterior, De Annis Primorum Romæ Episcoporum sigillatim.....436

APPENDIX. Pearsoni Prolegomena in Hieroclem, et alia quædam Opera Subseciva.....573

CONCIONES AD CLERUM SEX.

Note prefixed by Mr. Stones.

Reliquias hasce Pearsonianas ab ipsis autographis, in museo Reverendi Viri Joannis Thane, S. T. P. Archidiaconi Cestriensis, nuper defuncti, reservatis, transcripsit J. S., A. D. 1727.

PRECATIONIS FORMULA A PEARSONO IN CONCIONIBUS USURPATA.

Oremus.

OMNIPOTENS et Æterne Deus, respicere dignare servos tuos ad nutum Domini sui compositos, et ad verbum tuum percipiendum congregatos: Exaudi orationes nostras, quas pro S. Catholica Ecclesia fundimus, quacunque in ora ac parte terrarum. Benedic viticulis per has insulas tuæ manus consitura pullulantibus. Protege Carolum Secundum, Regem Britanniæ, Franciæ, Hiberniæque, defensorem fidei, omniumque nostrum in causis tum civilibus tum ecclesiasticis rectorem summum: Propitius esto Serenissimæ Reginæ Catharinæ, Jacobo Duci Eboracensi, totique regiæ familiæ. Instrue, dirigeque clerum tuum, archiepiscopos, episcopos, presbyteros, diaconos, primatem præcipue Cantuariensem, et Eliensem præsulem: Fave magno regni conventui, optimatibusque regni, illis præsertim, qui regi sunt a sanctioribus consiliis: Tu, cui summum est in omnes imperium, redde hos auctoritate tua ita munitos, atque consilio instructos, ut singuli, prout officii cujusque ratio postulaverit, operam dent, aut fidelibus sancte instituendis, aut reipublicæ recte administrandæ, memores illius diei, quo populi curæ suæ crediti rationem sunt reddituri.

Oramus insuper, O Pater luminum et misericordiarum, ut universas prophetarum scholas regere, rigare, ac fovere velis; Academiam utramque, Cantabrigiensem hanc, Oxoniensem illam. Respice apud nos Honoratissimum Dom. Illustrissimum Georgium Ducem Buckingamiæ, Cancellarium nostrum, Dignissimum Procancellarium, Ornatissimos Professores, Procuratores, Taxatores, reliquosque qui aliquo apud nos publico officio funguntur. Propitius esto omnibus collegiis, tua providentia et fundatorum benefactorumque munificentia extructis et ornatis, illi præsertim quod Sanctæ et Individuæ Trinitati dicatum est. Respice Collegium Jesu, Regale, Reginaleque; fave præfectis, sociis, scholaribus, omnibusque bonis literis inibi operam navantibus.

Spargant se bonitatis tuæ radii ad hujus regni fines, omnesque harum insularum angulos: doce gentem, instrue populum, ut Te vera fide et timore colant, ut debita regem obedientia et honore prosequantur, ut se invicem mutuo amoris ardore et charitatis affectu amplexentur.

Benedictum sit nomen tuum, Domine, pro beneficiis quæ quotidie in nos immerentes contulisti; pro iis, qui intra Ecclesiæ pomœria, in vera fide, per omnia post conditum mundum sæcula, obdormierunt. Adesto nobis eodem lumine et fervore Spiritus, quo illi animati sunt; ut eorum exempla secuti, eadem cum illis amicis sponsi resurrectione potiri, et immortalitate frui possimus.

Hæc ut omnia nobis contingant vim et efficaciam indas verbo in tuo nomine prædicando; respicias Filium pro nobis mortuum, et exaudias orationem, quam ab Illius ore acceptam refundimus:

Pater noster, qui es in cœlis, &c.

CONCIO I.

Jer. vi. 16. *Interrogate de semitis antiquis.*

QUAM perturbata, quam afflicta jam diu fuerit Ecclesia nostra, nemo est qui nescit; quam lubrico in loco adhuc versetur, quot scopulos latentes, et arenas avide hausturas merito reformidet, norunt illi saltem, qui de illius salute solliciti, omnem publicæ religionis curam nondum deposuerunt. Qua ope tot periculorum metus tollatur, qua arte tot inimicorum animi molliantur, quibus adminiculis tot motus atque molimina in æternum conquiescant; hoc vero scire, prudentis, hoc efficere, felicis, hoc velle, hoc cupere, hoc conari certe omnium est.

Ne autem officio meo desim, in re tam ardua, ac tamen pernecessaria, quid consilii apud me sit, expromam; quid ipse sentiam, dicam, patres fratresque.

Hæc in qua versamur academia, altera est prophetarum schola, alter videntium oculus; hic odore primo testæ recentes imbuuntur, hic religionis semina sparguntur, quibus herbescat terra, et flavescat messis; ab his Athenis oleum est, quo templorum lampades nutriuntur; ab hoc fonte scaturiunt aquæ, quibus agri Ecclesiæ perfunduntur; hinc exit sonus, quo sacer-

dotum tubæ, quo *Boanerges* perstrepunt: si hic recte, illic male esse non potest.

Hic itaque opportune dandi consilii locus, hic fundamenta ecclesiasticæ pacis rite ponenda, hic formandi animi, et veritate imbuendi.

Vos igitur, si a me quæratis, quid in religionis negotio maxime spectandum putem; quo, in pietatis studio recte instituendo, præcipue collineandum sentiam; quid ad errores convellendos, et stabiliendam veritatem, quid ad audaciam nefariorum hominum refrænandam, et comprimendos impetus, quid ad tumultus in Ecclesia sedandos imprimis aptum existimem, sic accipite.

Qui divino theologiæ studio operam datis, qui chartis potissimum sacris impallescitis; qui venerandum sacerdotis officium aut occupatis, aut ambitis; qui tremendam animarum curam suscepturi estis; excutite præsentis sæculi pruritum, fugite affectatam novitatem, quod fuit ab initio quærite, fontes consulite, ad antiquitatem confugite, ad sacros Patres redite, ad Ecclesiam primitivam respicite; h. e. ut cum propheta nostro loquar; *Interrogate de semitis antiquis.*

Verba Prophetæ ad Judæos, imo consilium Dei ad populum suum; ad populum ignarum, Interrogate; ad errabundum, Interrogate de semitis; ad instabilem, Interrogate de semitis antiquis. *Interroga de diebus antiquis*, inquit Moses, Deut. iv. 32. *Interrogate de semitis antiquis*, inquit post Mosen Jeremias. Ante Jeremiam Moses, Interroga de diebus antiquis, quid scil. Deus pro populo fecerit: post Mosen Jeremias, Interrogate de semitis antiquis, quid Deus per Mosen populum docuerit.

Moses populo Israelitico viam monstravit, cum promulgavit legem; semitas præscripsit, cum mandata Dei tradidit: vivente adhuc Mose, semitæ recentes sunt;

h. e. leges nuper promulgatæ; ambulante populo sub Mose Josuaque, adhuc recentes, vestigiis sanctorum noviter tritæ. Prophetante Jeremia, post multa sæcula, semitæ factæ sunt antiquæ, tum ex institutione vetusta, tum ex observatione diuturna. Sed aberraverat tandem populus a lege Dei, mandata rejecerat, exempla sanctorum contempserat, novas semitas sibi adinvenerat: quare revocat Propheta ad præcepta vetera, et pristina sanctorum vestigia: h. e. ad semitas antiquas.

Si itaque Judæos spectes, quos per prophetam his verbis Deus allocutus est, ex hoc ipso monito sive mandato, hujusmodi officium illis incubuit, ut quoniam præcepta divina neglexerant, et alienos Deos venerati fuerant, quoniam novellas legis interpretationes admiserant, et humanas etiam traditiones superaddiderant, quoniam regulas sibi prioribus sæculis inauditas præfixerant, atque ita vitam jam agerent voluntati Dei patefactæ minime conformem, scirent præsentis sæculi neque doctrinam neque mores probari, et, depositis novarum opinionum erroribus moribusque ex nupera consuetudine corruptis, mentem animumque ad legem Dei revocarent; reputarent secum, quomodo patriarchæ coram Deo ambulaverint, quid tot retro annis Moses præscripserit, quem ad modum sancti homines, et dilecti Deo, et legem datam intellexerint, et intellectam custodiverint, atque ita tandem ad pristina illa sæcula se totos componerent, atque formarent.

Hæc autem Judæos tantum spectant, non et Christianos? exivit lex e Sina, sed non et e Sione? ad populum suum Deus sub lege hæc locutus est, non et sub evangelio? Imo multo magis. Si illos tam diserte revocet ad Mosen, patriarchas, et synagogam veterem, multo magis nos ad Christum, ad Apostolos, ad Ecclesiam primitivam. *ὁδοὶ μὲν πολλαὶ, οἱ ἅγιοι προφῆται·*

ὁδὸς δὲ ἀληθῶς ἀγαθὴ, ὁ Κύριος ἡμῶν. ut observavit S. Theodoretus [a].

A lege data, ad deploranda illa Jeremiæ tempora, plures quam mille anni sunt elapsi: ab evangelio Christi promulgato, a S. Scripturæ canone per Apostolos consignato atque Ecclesiæ concredito, ad hæc nostra tempora jam plane deplorata, plures quam sesquimille ad calculum numerantur. Per hæc tam longinqui temporis spatia, quot hæreses pullularunt! quot eruperunt schismata! quæ ætas horum monstrorum tam ferax, quæ Ecclesia his turbinibus tam vexata, quam nostra est? Prodierunt novi homines clamitantes *Ecce hic Christus est, et ecce illic Christus est:* quo nos vertimus? Post Mosen Deus excitavit sæpius prophetas, qui populum suum in vera doctrina cultuque Dei retinerent: at per Filium novissime locutus est; nobisque Christus non prophetarum oracula ulterius promisit, sed pseudo-prophetarum commenta in perpetuum prædixit. Ita Christi ipsius dignitas, evangelii natura, Ecclesiæ constitutio, et novissimorum temporum ratio, nos ad antiquitatis asylum refugere non invitant tantum, sed et cogunt.

1. Ut a dignitate Christi et evangelii natura ordiamur. Christiana fides semel tradita est; et per omnia sæcula Christianos decet, quod Judas ad universos scripsit, *supercertare semel traditæ sanctis fidei.* Jam vero si fides "tradita" sit, ab aliis eam accipimus, non ipsi excogitamus; si "semel tradita" sit, non potest serius nasci, non potest nata immutari: si denique "sanctis semel tradita" sit, ab illis recipienda est quibus tradita; neque enim est sanctis tradita, nisi ut tradenda. Interrogemus igitur quid Apostoli scripserint, quid fecerint, quid prædicaverint; quæramus

[a] In hunc loc. Jer. vi. 16.

quid Apostolici viri senserint, quid proxime sequentibus sæculis tradiderint; sciscitemur quid sancti illi, quid confessores, quid martyres crediderint, qua doctrina imbuti, quo spiritu animati ad ignes cucurrerunt, ad cœlos evolarunt.

2. A constitutione Ecclesiæ quid aliud discimus? quæ non est nisi una, et quæ ad unam illam haud pertinet, ad nullam sciat se pertinere. Ipsa autem Ecclesiarum unitas non aliunde quam a prima petenda esse videatur. Nam ut recte Tertullianus [b], " Omne " genus ad originem suam censeatur necesse est. Ita- " que tot et tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis " prima, ex qua omnes." Et ut ex Tertulliano S. Cyprianus [c], " Cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, " numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ " largitate, unitas tamen servatur in origine." Quærendum itaque imprimis, quæ veteris Ecclesiæ facies, quales Apostoli cathedras reliquerint, quales successores elegerint, qui [d] totam doctrinam cum sanguine suo profuderunt: tenenda est regula, quam [e] Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo Patre tradidit: remeandum est ad illos quibus Christus dixit, *Docete omnes gentes*, et *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Hæc ipsa est religionis natura, ut non animi sagacitate invenienda, non ingenii facultate excogitanda [sit,] sed ab iis, quorum curæ commissa est, prudenter recipienda, fideliter retinenda. Sic Cotta loquitur apud Ciceronem: " Cum de religione agitur, T. Coruncanium, " P. Scipionem, P. Scævolam, pontifices maximos, non " Zenonem, aut Cleanthem, aut Chrysippum sequor."

Cum in aliis fere rebus omnibus, tum in religione

[b] De Præscript. Hæret. c. 20. [c] De Unitate Ecclesiæ, p. 108. ed. Fell. [d] " cui." S. [e] " quæ." S.

nihil est novitate levius, nihil periculosius. Remedia morbis et vulneribus eligimus, sed non nisi ex iis herbis stirpibusque, quarum utilitates longinqui temporis usu et periclitatione percipimus: et animas nostras, cœlestis auræ particulas, et ad immortalitatem anhelantes, illa doctrina studebimus pascere, quam nulla experientia comprobavit? Philosophia quotidie *progressu*, theologia nisi *regressu* non crescit.

Cupio itaque vos in studio theologico, rebusque divinis, ad antiquitatem quærendam, amplectendam, venerandam perducere: quod quo distinctius fiat, in tres potissimum partes reliqua dividetur oratio; quarum 1. Doctrinam, 2. Disciplinam, 3. Cultum Dei spectabit.

I. Quot sunt et præsenti et superiore sæculo, de plurimis Christianæ religionis capitibus, inter ecclesiam Romanam Tridentinis placitis mordicus adhærentem, interque[f] reformatas ortæ controversiæ! quot inter ecclesias reformatas, et ex illis ortas novas indies hæreticorum turbas! Habent omnes sua in S. Scriptura latibula, quibus se abscondant; habent argumenta ingeniosa et subtiliter excogitata, quibus se defendant. Sudent orthodoxi quantum velint, vix plures Scripturas ostendent, vix plura argumenta afferent. Unius antiquæ Ecclesiæ auctoritas omnes opprimet. Nam, ut recte S. Irenæus, [lib. iv. c. 45.] "ibi discere oportet "veritatem, apud quos est ea, quæ est ab Apostolis, "Ecclesiæ successio."

In sacramento eucharistiæ jam consecrato, jam confecto, dicimus cum Christo "esse corpus Christi;" dicimus cum S. Paulo, esse et "panem." Pontificii corpus esse asserunt, panem esse negant. Scripturas urgent, rationes afferunt; quid agendum est? "Inter-

[f] Sic, "illas .... que." S.

" rogate de semitis antiquis," quomodo fuit ab initio? quem in modum Apostoli intellexerunt Christum? *De pane illo edat*, inquit S. Paulus, etiam cum Christi institutionem repetit, etiam cum modo dixerat, *hoc est corpum meum*. Quomodo Ecclesia intellexit Apostolos? Consulite S. Patres, qui millies " panem" vocant, qui " simul corpus, simul panem" esse dicunt; nunquam, opinor, absolute panem esse negant. Hic itaque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit.

Et jam minori difficultate antiquæ Ecclesiæ auctoritas novatores prosternet, quam pontificios. Hi enim, licet errores plurimos introduxerint, et novellos, et Ecclesiæ primitivæ menti contrarios; hæreses tamen antiquitus condemnatas non defendunt; illi decreta Conciliorum aperte rescindunt, hæreses sopitas excitant, condemnatas [educunt][g], et cum omnia novare maxime cupiant, nihil tamen novi proferunt, nihil nisi quod antiquatum, nisi quod ab antiquitate condemnatum.

Doctrinam prorsus novam, priori sæculo, aut Lælius aut F. Socinus excogitare sibi videbatur, neque sibi soli; sequebantur eum plurimi, tantum unicum rationis arbitrum, et Scripturæ interpretem; sed cum eum legimus, aut Photinum semper habemus, aut Pelagium; in theoreticis Photinum, in practicis Pelagium, hæreticos ab Ecclesia Dei, dum viverent, percussos; postquam denati sunt, communi omnium calculo per tot sæcula condemnatos.

Eodem fere tempore prodiit Anabaptistarum furor. .

. . . . . .

II. De doctrina diximus; ad disciplinam accedamus; de qua magnis animis, aut furore potius, odiisque plus quam Vatinianis, nuper certatum est. Cum enim pa-

[g] Hiatus in orig. " educunt" defectum suppleret. S.

trum nostrorum memoria, in perturbatissimo unius civitatis statu, novum quoddam Ecclesiasticæ Politiæ formam Jo. Calvinus adinvenisset; disciplina, in mediis flammis et sævientis populi furore nata, omnium nuperorum motuum civilium aut causa, aut saltem comes fuit; eamque [h], qua Ecclesia nostra tam diu floruerat, quam leges omnes tam sancte stabiliverant, simul tum auctoritate regia, sub alterius sceptri nomine, expulit, ... expunxit.

Si jam quæritis, quo jure quave injuria hæc facta sint, *interrogate de semitis antiquis:* quid factum sit ab initio quærite; evolvite annales Ecclesiæ, percurrite scripta antiquissimorum Patrum: disciplinam episcopalem ubique invenietis, presbyteranam nusquam. "Habemus," inquit S. Irenæus, "annumerare eos, qui "ab Apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et "successores eorum, usque ad nos." [Lib. ii. c. 3.]

Primo igitur loco habemus Apostolos; morientibus illis habemus episcopos ab Apostolis institutos; sublatis primis episcopis, habemus eorum successores: "uno "avulso, non deficit alter Aureus." "Percurre," inquit Tertullianus, "ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ "adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur [i]." Cathedra Apostoli capax est episcopi, sed haud opinor consessus presbyterorum: multo minus si consessus iste sit partim clericorum, partim laicorum. Quod autem tota ratio disciplinæ ecclesiasticæ ab horum episcoporum auctoritate dependeret, notissima sententia est S. Ignatii [k]: Μηδεὶς χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. Nec minus illa Tertulliani: "Dandi quidem baptismum jus habet summus sacerdos, "qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi; non

[h] sc. disciplinam. S.
[i] De Præscript. Hær. c. 36.
[k] Ad Smyrn. viii.

" tamen sine episcopi auctoritate, propter honorem " Ecclesiæ, quo salvo, salva pax est[1]." Ubi igitur honor Ecclesiæ, ubi pax illa quam Christus abiens legavit, si hæc auctoritas sarta tecta non sit, si disciplina ecclesiastica ad originem suam non recenseatur?

III. Quid tandem de cultu Dei sentiendum? quid, nisi ut omnia ad antiquissima Ecclesiæ tempora referantur? ut Deus eo modo a nobis colatur, quo Apostoli, quo apostolici viri, quo sancti, quo confessores, quo martyres coluerunt. In publicis Ecclesiæ precibus solum Deum invocandum proponimus: pontificii angelos addunt, sanctosque, quos aut Deus, aut ipsi fecerunt. Scripturas opponimus, regerunt; rationes proponimus, reponunt: praxin Ecclesiæ primitivæ Scripturis adjungimus, apostolicis literis apostolicas ecclesias, tanquam interpretes, addimus; quid pro se adducant per multa sæcula non habent.

Formulam precum publicarum condidit Ecclesia nostra, confirmavit auctoritas suprema. Multa novatoribus non placent; et ea quidem plerumque quæ optima, quia sunt antiquissima. Fateor equidem me maxime illis precibus accendi, quas antiquas esse novi, meque quasi in illa felicissima tempora delatum sentio, dum eadem verba pronuntio. Dum orationem Dominicam recito, in ipso Apostolorum choro versari videor, cum S. Petro, cum S. Johanne, conjungor; " sic ille " manus, sic ora ferebat;" hæc ipsa verba flexo genu ad Deum suum protulit. Cum hymnum illum eucharisticum, " Gloria in excelsis Deo," post participationem canimus, quidni cum illis fratribus primitivis versemur, qui fuerunt ἀπ' ἀρχῆς πιστοί, et hunc, inter cæteros, hymnum ab initio composuere. Quid mihi cum novatorum objectiunculis de responsis populi, cum apud

[1] De Baptismo, c. 17.

S. Augustinum legam, "Quotidie per universum orbem "humanum genus una pene voce respondet, Sursum "corda se habere ad Dominum[m];" cum S. Basilium audio, *ὁ μέντοι λαὸς ἀρχαίαν ἀφίησι τὴν φωνὴν, καὶ οὐδενὶ πώποτε ἀσεβεῖν ἐνομίσθησαν*[n]· cum S. Chrysostomum video defendentem quod populus adhuc apud nos usurpat, *ἐπὶ τῶν φρικωδεστάτων μυστηρίων ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς τῷ λαῷ*, sc. Deus vobiscum, *ἐπεύχεται καὶ ὁ λαὸς τῷ ἱερεῖ· τὸ γὰρ, Μετὰ τοῦ πνεύματός σου, οὐδὲν ἄλλο ἔστιν ἢ τοῦτο*[o].

Sive igitur doctrinam, sive disciplinam, sive cultum. .

. . . . . .

[m] De Vera Religione, c. iii. 5. Notissimus locus est S. Cypriani de Orat. Dom. p. 152. ed. Fell. "Quando stamus ad orationem, "... sacerdos parat fratrum "mentes dicendo, Sursum corda; "ut, dum respondet plebs, Habe- "mus ad Dominum, admoneatur "se nihil aliud quam Dominum "cogitare debere."

[n] De Spirit. Sanct. c. xxix. 73. *οὐδενὶ πώποτε ἀσεβεῖν ἐνομίσθησαν οἱ λέγοντες, Αἰνοῦμεν Πατέρα, καὶ Υἱὸν, καὶ Πνεῦμα Ἅγιον Θεοῦ.*

[o] Homil. xviii. in 2 Cor. Vid. Bingham. Antiq. xv. c. iii. 2.

CONCIO II.

Joan. v. 31. Ἐὰν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου οὐκ ἔστιν ἀληθής. *Si Ego testimonium perhibeo de Meipso, testimonium meum non est verum.*

CUM multa Christus dixerit, prout illius temporis et gentis ratio ferebat, quæ nobis, et ætate et regione longe dissitis, et a Judæorum statu moribusque maxime remotis, mira fortasse videantur; tum hoc effatum præcipue difficultatem quandam haud vulgarem, et quasi ignominia in auctoritatem loquentis redundantem, prima facie repræsentat. An enim Ille, qui æterna Patris Sapientia fuit, si quid de Seipso assereret, verum non diceret? Ubi certi aliquid aut explorati reperiemus, si pro indubitatis non habeantur, quæ ab Eo prolata sunt, qui dixit, *Ego sum via, veritas, et vita?* Si illa veritati consentanea non sint, quæ Christus de Seipso testabatur, quæ nobis, in Ejus nomine, æternæ salutis spes relicta est? Nonne Idem in eodem evangelio dixit, *Etsi Ego testimonium perhibeo de Meipso, verum est testimonium meum?* Quomodo utrumque effatum recipiam? An idem et verum et non verum esse potest? Quomodo alterutrum amplectar? Si ex testimonio dependeam, quomodo aut hoc aut illud verum erit?

Perspicitis, opinor, viri patres fratresque, quas in angustias conjecti, quanta in difficultate versamur. Sed unica observatione præmissa, hæc nebula nullo negotio discutitur. Pro circumstantiis et loci, et temporis, et gentis varie Christus locutus est. Hic igitur προλαβὼν εἶπε: hæc sententia præoccupatio est, et concessio rhetorica; πρὸς τὴν ἐκείνων ὑπόνοιαν spectat, ut observat S. Chrysostomus[a]; præoccupat suspicacium Judæorum objectionem; concedit quod eos objectum ire optime novit. Id enim ipsi postea dixerunt et aperte professi sunt Pharisæi, cap. viii. 13. *Tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum.* Neque pervicacium Judæorum hæc sententia tantum fuit, sed et omnium fere mortalium. "More majorum," inquit Cicero, "comparatum est, ut in rebus minimis homines "amplissimi testimonium de sua re non dicerent."

Quamvis per se certissima sit doctrina a Christo tradita, et de iis dubitare nefas est, quæ ab Illo promulgata sunt, *in Quo omnes sapientiæ thesauri recondebantur;* tamen ad convincendos eos, qui veritati tam perspicuæ se opponunt, suo exemplo docet, adhibenda esse ea testimonia, quæ ipsi admittunt. Cum discipulis agens, inquit, *Creditis in Deum; credite et in Me:* cum Judæis autem disputans, adducit loca prophetarum, testimonium Mosis, Joannis, miracula coram ipsis edita. *Vos misistis ad Joannem; et testimonium ille perhibuit veritati.* Cur mihi non creditis, cum Joanni credatis, qui mihi præbet testimonium? Nostis me Eum esse, de quo ille dixit, *Cujus ego non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti.* Nec hæc mei causa vobis dico, quasi humana auctoritate ad evangelii confirmationem indigerem; sed vestri potius gratia, qui nullius, nisi de quo præconceptam opinionem habetis, testimonium

[a] In loc. Hom. in Joann. xxxix.

admittitis. *Ego enim non ab homine testimonium accipio; sed hæc dico, ut vos salvi sitis;* qui aliter credituri non videmini.

Sint igitur apud nos principia religionis Christianæ *αὐτόπιστα*, sit auctoritas Christi revelantis suprema, sit traditio Ecclesiæ ab illius promissione pendens firma et inconcussa: cum tamen nonnulli, etiam intra Ecclesiæ pomœria, in fide vacillent, et nescio quæ humana et externa argumenta postulent, etiam in eorum gratiam, ut et illi salvi sint, talia, si qua sint, conquirenda putamus. Jam vero communi hominum consensu approbatum est, nullum esse ad veritatem confirmandam efficacius testimonium, quam quod ab inimico proficiscitur, qui sola vi veritatis compulsus, et rei ipsius dignitate commotus, contra animi propensionem calculum suum apponere voluisse putandus est. Christianæ religioni primulum exortæ totus se opposuit mundus: foris Ethnici, domi Judæi, se illi hostes infensissimos et præbuerunt et professi sunt. Illis evangelium *insipientia*, his *scandalum* fuit. *Ἐπειδὴ καὶ Ἕλλησι καὶ Βαρβάροις, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἡ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία εἰκότως δοκεῖ ἀξιόχρεως εἶναι.* ut recte Isid. Pelusiota[b]. "Tuum testimonium" inquit Cicero, "quod "in aliena re leve esset, id in tua, quoniam contra te "est, gravissimum debet esse." Primo igitur Ethnicorum, dein Judæorum testimonia proferemus.

1. Natus est Dei Filius, ut diu ante a prophetis fuerat prædictum, Bethleemi; et huic nativitati vix citius de cœlo angeli testimonium perhibebant, quam Romani imperii tabulæ censuales. Illuc, Dei providentia, Cyrenius ab Augusto missus, Josephum et Mariam evocabat; eorum nomina cum filio jamjam nato in tabulas illas relata sunt, et Romæ, non tam ad am-

[b] Epist. lib. iv. ep. 225. Ubi de testimonio Josephi loquitur.

plitudinem imperii, quam solummodo spectabat imperator, quam ad rei inauditæ memoriam, diligenter custodita sunt. De hisce tabulis Tertullianus [c], juris Romani et antiquitatum peritissimus: "Censum Au- "gusti, testem fidelissimum dominicæ nativitatis Ro- "mana archiva custodiunt [d]." Ad has incredulos Judæos mittit, ut vel ex illis aliquid de Messia discerent, quod a Scripturis haurire noluerunt. "Fuit "enim," inquit, "de patria Bethlehem et de domo "David, sicut apud Romanos descripta est Maria, ex "qua nascitur Christus [e]." Ad has provocat adversus Marcionis discipulos disputans, qui Christum vere natum negabant, et primam evangelii partem sua machæra resecabant. "Sed et census constat actos sub "Augusto nunc in Judæa per Sentium Saturninum; "apud quos genus ejus inquirere potuissent [f]." De hisce tabulis censualibus, *τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ῥώμης*, loquitur S. Chrysostomus [g]. Unde dies ille, quem nos ad honorem nativitatis Christi etiamnum celebramus, in Orientem dimanavit, et ab Epiphaniorum Festo distinctus est, et unica communi tanti beneficii memoria ac celebritate totam Ecclesia replevit.

Apparuit stella in Oriente, et nova et mira, et nunquam ante conspecta, quæ excitavit Magos ad testimonium Christo perhibendum. *Ubi*, inquiunt illi, *natus est rex Judæorum?* Imo vero de loco quæritis? de re ipsa prius docete, unde certiores facti estis. *Vidimus*,

[c] Ante Tertullianum Justinus Martyr. Apol. i. §. 44. *Κώμη δέ τις ἐστὶν ἐν τῇ χώρᾳ Ιουδαίων, ἀπέχουσα σταδίους τριακονταπέντε Ιεροσολύμων, ἐν ᾗ ἐγεννήθη Ιησοῦς Χριστός· ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου.*

[d] Adv. Marcion. iv. §. 7.

[e] Adv. Judæos. ix.

[f] Adv. Marcion. iv. §. 19.

[g] Hom. in Diem Nat. Dom. Nostri. tom. ii. p. 354. ed Bened.

inquiunt, *stellam Ejus in Oriente, et venimus ad Eum adorandum.* Quo testimonio hominum a gente et sacris Judaicis alienorum, quid aut majus aut divinius dici potuit? Sed hæc nostra sunt, inquies, neque hujus rei aut vola aut vestigium alibi quam in evangelio reperitur. Fateor equidem rerum Orientalium monumenta periisse, nec ad manus Christianorum pervenisse. Quid illi rerum cœlestium observantissimi Magi, ad patriam suam reversi, aut dixerint aut scripserint, prorsus nescimus: habemus tamen ejusdem rei certissimum etiam ab Ethnicis testimonium, quod historiæ ex adventu Magorum natæ fidem facit. Herodes enim, putans se a Magis delusum, *occidit omnes pueros qui erant in Bethleem et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisiverat a Magis.* Hoc autem infanticidium, quod celare tantopere cupiebant Judæi, terrarum domini Romani agnoverunt, et suo calculo imperator Augustus factum fuisse comprobavit. Cum enim jocos affectaret, ne hujus quidem occasionem famæ sibi oblatum præteriit; sed, ut refert Aurelius Macrobius, non religioni Christianæ sed Ethnicæ superstitioni deditus, etiam in hac palæstra ingenium exercuit. Verba Macrobii notatu digna hæc quidem sunt: "Cum audisset inter pueros "quos in Syria Herodes rex Judæorum intra bimatum "jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, Melius "est Herodis porcum esse quam filium." Innotuit igitur Romanis, Herodem omnes intra bimatum infantes Bethleemi, crudelitate inaudita, et ex mera[h] suspicione orta, interfecisse. Cujus tam insoliti furoris et insaniæ ratio reddi nulla potest, nisi quod illi ab Oriente sapientes regi timido, et ad novi successoris nomen exhorrescenti, alia Judææ sceptra prædicerent,

[h] mira. S.

et illi, qui ab Augusti nutu tantummodo pendebat, regni ruinam de cœlo minarentur. Ita historia, ab una hostium parte serio seduloque suffocata, ab altera joco erupit, et æternitati consecrata est.

2. Phlegon, libertus Hadriani imperatoris, in chronicis, quorum exigua tantum fragmenta supersunt, nonnulla de Christo scripsit sane honorifica. Nam, ut legimus Origenem, harum rerum et maxime curiosum, et testem fidelissimum, *περὶ τινῶν μελλόντων πρόγνωσιν ἔδωκε τῷ Χριστῷ*, " rerum futurarum scientiam Illi tri- " buebat," quam sibi soli vindicat Deus; *καὶ ἐμαρτύρησεν*, inquit, *ὅτι κατὰ τὰ εἰρημένα ὑπ' αὐτοῦ τὰ λεγόμενα ἀπήντησε*, " et aperte testabatur etiam res ipsas secun- " dum ea quæ prædixerat evenisse [i]." Quinetiam idem tenebras, sub morte Christi mundo offusas, sub magnæ eclipseos nomine descripsit [k], quamvis plena luna illæ contigerint, qua eclipsin solis effici non posse omnes norunt. Ita, dum effectum potius quam causam respiceret, in philosophia imperitum, in historia diligentem et fidelem se præstitit. Neque enim ad calculos corporum cœlestium motus digessit, sed per Olympiades temporum intervalla et rerum eventus descripsit. Huic consensit etiam Thallus historicus, teste Africano [l]; unde Tertullianus, Origenis synchronus, Apologetico

[i] Contr. Celsum. ii. p. 69. ed Spencer.

[k] Ibid. p. 80. et Comment. Lat. in Matth. §. 134. Cf. Eusebii Chronicon. A. D. 33. apud Hieron. Opp. tom. viii. p. 649. Phlegontis, inter " viros eruditissimos" meminit S. Hieronymus, Quæst. Hebr. in Genesin. Mirum, quod vir doctus Sam. Clarke, quam ad hoc Phlegontis testimonium provocasset, (Boyle lect. p. ii. p. 276. ed tert.) postea, suadente Sykesio, locum omisit. Unde Sykesium non immerito indignabundus castigat nequam iste Will. Whiston; (Vit. Clarkii, p. 117.) qui et ipse plura ad hoc testimonium illustrandum congessit in Dissertatione sua, *The testimony of Phlegon &c. examined and cleared, in answer to Dr. Sykes.* Lond. 1732.

[l] Biblioth. Gallandi. ii. p. 374.

ad Gentes, " Eum mundi casum relatum in archivis " vestris habetis [m]." h. e. certissimum horrendæ Judæorum impietatis argumentum, ac divinissimum innocentiæ potestatisque Christi.

3. Pilatus, procurator Cæsaris, qui innocentiam Christi adeo palam vindicabat, nec nisi invitus a Judæis expetitum et quasi extortum tradidit, Illius gesta mortemque in acta publica, qualia in provinciis a præsidibus earum et procuratoribus Cæsaris confici solebant, referenda curavit, et Tiberio Romam transmittenda. " Ea omnia," inquit Tertullianus, " super Christo Pi- " latus, et ipse pro sua conscientia Christianus, Cæsari " tunc Tiberio nuntiavit [n]." Ante Tertullianum Justinus Martyr in Apologia ipsis imperatoribus Romæ dedicata, de modo crucifixionis Dominicæ ad publica hæc Pilati acta provocabat: Καὶ ταῦτα ὅτι γέγονε, δύνασθε μαθεῖν ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων Ἄκτων: " Quod hæc ita gesta sint, imperatoris pii et " philosophi, ex actis quæ sub Pilato conscripta sunt, " cognoscere potestis [o]." Dubitari igitur non potest, quin Pilatus Judææ procurator, ea Tiberio Cæsari rescripserit, quæ ad veritatem historiæ de vita et morte Christi demonstrandam maxime pertinerent, eaque ipsa, in archivis Romæ, conservata fuisse. Neque enim Justinus et Tertullianus adeo dementes aut fatui putandi sunt, ut et Romanis omnibus, et imperatoribus ipsis, ea objicerent, quæ aut nunquam extarent, aut contra Christianos facerent. Romanorum nimia sedulitas et manifesta fraus, cum summa credelitate conjuncta, indubitatam huic rei fidem faciunt. Cum enim hæc Pilati acta in apologiis Christianorum frequenter sibi

[m] Apologet. §. 21. Act. Apost. iii. §. 4.
[n] Apologet. ibid. Cf. Lect. in
[o] Apol. i. §. 45. et 63.

objecta viderent, et maximam eorum in Ecclesia auctoritatem et famam esse perspicerent; tandem ipsi acta, sub Pilati nomine, sed adultera, sed falsissima, publicabant [p]. Nam sub Diocletiani et Maximini imperio, ea sub hoc titulo ediderunt, quæ ad infamiam Christi maxime redundarent; quæ et edicto per omnes imperii provincias spargi curarunt, ludi magistris declaranda, et puerorum memoriæ commendanda, tradiderunt, et confessoribus ad Martyrii coronam festinantibus objiciebant.

4. Sed fraus ista facile Christianis subolebat, neque tam fictis et adulteratis mercimoniis decipi potuerunt. Noverant [q] alia Tiberio rescripta fuisse, quæ in illo cautissimo suspicacissimoque imperatore aliam de Christo sententiam excitarant [r]. Ille enim, acceptis a Pilato actis, ad senatum retulit. S. Chrysost. Hom. xxvi. in 2 Cor. Ὅτε γοῦν τὰ κατὰ Χριστὸν ἀπηγγέλη πάντα, ἔπεμψεν ὁ τοῦ ἔθνους ἄρχων πυνθανόμενος εἰ δοκεῖ αὐτοῖς καὶ αὐτὸν χειροτονῆσαι θεόν. Ante eum Tertullianus: "Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chris-"tianum in sæculum intravit, annunciata sibi ex Syria "Palæstina quæ illic veritatem istius divinitatis reve-"larant, detulit ad senatum cum prærogativa sententiæ "suæ [s]." Quid illustrius hoc testimonio ab inimicis Christianæ religionis profecto vel excogitari potest? quid honorificentius? unde miror equidem Christianum aliquem, historiam adeo nobilem in tanta luce et antiquitate Ethnicis objectam, et a nemine, quod scimus, negatam, aut pro suspecta habitam, negare, rejicere, et exercitatione critica reprobare voluisse. Additur quidem a Tertulliano, "Senatus, quia non in se

[p] Vid. Euseb. I. ix. 3. IX. v.
[q] Noverunt. S.
[r] excitarunt. S.
[s] Apolog. §. 5.

" probaverat, respuit." Inde Criticus[t], " Hem! re-
" spuit Senatus quod Tiberio placuit?" Senatus ille

[t] Tanaquil. Faber. Epist. 12. lib. 2. Vid. Pearson. Lect. in Acta Apost. iv. §. 14. p. 64. inter Opp. Posthuma. S. Præter Fabrum, Tertulliano fidem abnegarunt Basnagius, Jo. Clericus in Biblioth. Univ. ix. 139. aliique, quos recensent Jo. Alb. Fabricius, Cod. Apocryph. N. T. p. 217, Gottfrid. Lumper. Hist. Theol. Crit. de SS. Patr. vol. vi. p. 702. Gibbono idem placuisse, nihil mirum. Mirari quis potest, Dom. Episcopum Lincolniensem, de hac historia agentem, Pearsoni sententiam non advocasse. (Eccl. Hist. ex Tertulliano Illustrat. p. 110.—112.) Ait quidem ille, " Pearsonum lectionem, *in* " *se*, substitutam velle pro vul-" gata, *ipse*," quo interpretationem suam Tertulliani confirmet. At ista lectio non nata est ex conjectura Pearsoni, sed quam exhibent B. Rhenani editiones post primam, quam recepit Pamelius, et quam ex Codicum auctoritate tuetur Havercamp. in editione sua Apologetici, Lugd. Bat. 1718. Dubitari ergo potest, annon lectionem, *ipse*, receperint alii ex comparatione Græcæ versionis Eusebii, Hist. Eccl. ii. 2; ubi legitur ἡ δὲ σύγκλητος, ἐπεὶ οὐχ αὕτη (aliter, οὐκ αὐτὴ) δεδοκιμάκει, ἀπώσατο. At, 1°. non inde satis liquet, quid legerit Eusebius; potuit enim utramvis lectionem sic vertisse: 2°. quod notat Havercampius, non adeo certum est, Eusebium Tertulliani mentem perspexisse. Est enim amphibolia ex duobus antecedentibus, Romanis ipsis aliquando, ut docet Quinctilianus, ambigua. Certe quæ Tertullianus hic habet, " annunciata " ex Syria Palæstina, *quæ illic* " *veritatem illius divinitatis reve-*" *larant*," non assequitur Eusebius, reddendo, ἀγγελθέντος ἐκ Παλαιστίνης τοῦ δόγματος τούτου, ἔνθα πρῶτον ἤρξατο. Vid. Valesii not. ad loc.

Quod ad summam quæstionis, cum, præter Pearsonum, Is. Vossius, Tillemontius, Huetius, Fabricius, ut alios taceam, hanc " historiam adeo nobilem" suis suffragiis comprobaverunt, vellem Dom. Lincolniensis suis de fide Tertulliani suspicionibus ipse potuisset satisfacere; neque enim tanti erant, quæ virum in antiquitate tam bene versatum morarentur. " Tertulliano uno auc-" tore," ait, " traditam." Et, " unde evenire potuit," rogat, " ut imperatoris relatio ad Se-" natum de re adeo memorabili " scriptores cæteros omnes la-" tuisset? Justinus Martyr, qui " de Evangelicæ Historiæ veri-" tate non semel ad Acta Pilati " provocat, ne verbum quidem " admiscet de sententia Tiberii, " qua Christum inter divos Ro-" manos adscribi voluit." Præmissis negativis nihil probatur. Quis enim de scriptoribus cæteris omnibus, quorum copiam nobis invidit ætas, ausit pronuntiare? Neque certo statuendum est, Justinum de Tiberii proposito nihil audivisse, eo quod in scriptis hodie exstantibus nihil diserte meminit. Sunt quibus videri potest plura rescivisse, quam scripsit, de actis istis Pilati, et quid Romæ ex Pilati nuntio

scilicet, qui Tiberio adeo servilis fuit. Sed nec Tiberium, nec Senatum, nec Tertullianum intellexit, qui huic testimonio tam præclaro contradixit. Id Tiberii ingenium fuit, ut Senatus ex relatione facta, quid ipse voluerit, minime intelligeret. Senatus antea Tiberio divinitatem obtulerat, quam ille respuit; quia igitur " divinitatem in se non probaverat," sed oblatam rejecerat, tutissimum putabant [senatores] alium neminem inter deos suos referre, ne eum Tiberio majorem efficere viderentur. Refert Suetonius, " neque tam " parvum quicquam neque tam magnum publici pri- " vatique negotii fuisse, de quo non ad P. C. referretur." Et quidem " quædam adversus sententiam suam de- " cerni ne questus quidem est [u]." Unde evanescunt omnes illæ de ira imperatoris levissimæ suspiciones; et testimonii a Pilatio Romam missi, cum jam a metu tumultuantis populi Judaici liberaretur, certitudo perspicitur. Hæc de Christo ipso.

5. De Christianis hanc confessionem etiam ab illis qui religionem nostram coram tribunali negaverant, accepit Plinius Secundus, et imperatori Trajano remisit: " Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel " culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die " ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo,

factum, imperante Tiberio. Sin minus, neutiquam veritati fraudem facere oportet S. Justini silentium, viri in Asia inter Græcos philosophos enutriti, Romano foro procul, qui nonnisi sero ad urbem accessit, de legibus, de senatu, et principum moribus, pauca admodum videtur intellexisse. Contra, si Tertulliani unius auctoritate moti hanc historiam tradidere Eusebius, Chrysostomus, cæteri; nonne Tertullianus unus inter Patres erat Romani juris callentissimus, rerum transactarum idem curiosus indagator, et qui unice fidem sibi in re ejusmodi proprio quodam jure vindicaret? Error in virum doctum æque et prudentem non cadit. Finxisse vero ausum quis credat, cum inter hostes tot tantosque Christiani nominis causa ageretur?

[u] In Tiber. c. 30, 31.

" dicere secum invicem; seque sacramento, non in " scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, " ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne " depositum appellati abnegarent."

Ammianus Marcellinus, et ipse Paganus, Christianam religionem " absolutam et simplicem" vocat, eamque " professionem" esse ostendit, " quæ nihil nisi justum " suadet et lene [x]."

II. Hæc ex antiquissimis Gentilium monumentis, ad ea quæ de originibus Christianis prædicantur confirmanda, adduximus. Judæi vero, ex quibus ortus est Christus, non tantum *κατόπιν Ἑλλήνων ἐγένοντο, περὶ τὴν εἰς αὐτὸν πίστιν*, ut observat Sozomenus [y], sed et Ethnicis multo pervicaciores extiterunt. Qui, cum Romanum procuratorem ad Eum crucifigendum cogerent atque compellerent, " omnia de Christo nobis " abstulerunt præter crucem." Quicquid de Ejus vita credimus adeo pernegant, quasi Eum vixisse nolint, quem mortuum prædicant; adeo eorum temporum historiam confundere conantur, ut ne quidem quando vixerit scire velint. Et cum nos Pontii Pilati nomen, etiam in symbolo fidei, quotidie recitemus, longe ab illius ætate passionem Christi removere satagunt, quasi et illud nobis inviderent. Sed et inter istos non reliquit nos Christus sine testimonio.

1. Josephus, et Judæus, et sacerdos, et Apostolis synchronus, et eorum temporum callentissimus, locupletissimus rerum nostrarum testis est. Nam primo de Joanne Baptista, Christi prodromo, honorificentissime loquitur: appellat eum *ἀγαθὸν ἄνδρα*, ostendit quomodo Judæos ad virtutem, justitiam, atque pietatem hortatus est, qualiter illi ejus prædicatione affecti sunt, et ex Judæorum sententia docet, Herodis exercitum ab

[x] Lib. xxii. c. 11. [y] Hist. lib. i. c. 1.

Arcta penitus deletum fuisse ex justa Dei vindicta, quod tam sanctum virum occidisset [z]. Hic autem bonus, et sanctus, et Deo charus Joannes, quem Judæi non tantum in Evangeliis nostris, sed in ipsorum scriptis prophetam agnoscunt, ille ipse est quem Christus tanquam testem appellavit. Quinetiam idem de Jacobo fratre Domini perhonorifice scribit. Narrat Ananum pontificem furiosum fuisse, quod, synedrio convocato, procuratore mortuo, *παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ιησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτοῦ, καί τινας ἄλλους, παρέδωκε.* "Adducens fratrem Jesu, qui "dicitur Christus, nomine Jacobum, et alios, tradidit "lapidandos [a]." Imo vero obsidionem Hierosolymorum, omnesque illas Judæorum ærumnas, hujus unius injustissimæ neci imputabat. *Ταῦτα δὲ*, inquit, *συμβέβηκεν Ιουδαίοις κατ' ἐκδίκησιν Ιακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ιησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι κατέκτειναν.* "Hæc omnia "contigerunt Judæis propter Jacobum justum, fratrem "Jesu, qui dicitur Christus, qui, cum esset omnium "consensu justissimus, nihilominus a Judæis necatus "est." Hæc ille, qui hujus tristissimæ tragœdiæ non tantum spectator sed et actor fuit, de fratre Domini, de episcopo Hierosolymitano, testatus est [b].

[z] Antiq. xviii. c. v. §. 2.

[a] Ibid. xx c. ix. §. 1.

[b] Sequuntur hæc uncinis inclusa: "[Sed posteriora verba "Origenis sunt, non Josephi.]" In textu non reposui, quia mihi non constat, utrum Pearsono an Stonesio debeantur. Verba ista, quasi ex Josepho desumpta, exhibet Origenes contra Celsum, lib. i. p. 35. ed. Spenc. Post Origenem, Eusebius in Hist. Eccl. ii. 23. Hieronym. in Catalog. Vir. Illustr. c. ii. et xiii. Sunt qui credunt memoria lapsum Origenem, et ad Jacobum retulisse quæ scribit Josephus alibi de Joanne Baptista. Cum vero is locus huic non omnino respondeat, probabilius videtur quod conjicit Spencer, in loc. Origenis, verba quædam ex Josepho, librariorum incuria, periise. Vide tamen quæ de hoc loco habet Pearsonus, Lect. in Act. Apost. iv. 3.

2. Qui talia de Christi prodromo Joanne, de fratre Domini Jacobo dixit, nihilne de Christo scripsit? nullamne Illius honorificam mentionem facit? Imo vero imprimis. Cum enim Pilati procuratoris res in Judæa gestas breviter describit, breviusculam quidem, sed satis luculentam narrationem Originum Christianarum interponit. Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σόφος ἀνὴρ, εἴγε αὐτὸν ἄνδρα λέγειν χρή. "Iisdem temporibus "fuit Jesus vir sapiens, si tamen Eum virum appellare "fas est." Rationes multas addit, quare vix Eum hominem simpliciter appellare liceat: "quia miracula "operatus est, veritatem amantium doctor fuit, plu- "rimos, tum Judæos, tum Gentiles, ad se traxit: quod "cum crucifixus esset, discipuli Eum haud desererent; "quod post triduum vivus apparuerit; quod prophetæ "de Illo hæc et plura prædixerint, quod Christianorum "gens ad eam ætatem qua scripsit, h. e. ad extrema "fere Domitiani tempora duraverit." Quare hæc Josephi verba Eusebius excerpsit, Hieronymus in Catalogum transtulit, Ruffinus ex Josepho vertit, Isidorus Pelusiota in Epistolam transcripsit, Sozomenus illustravit.

Quid igitur iis faciemus, qui, nescio qua critica prurigine perciti, tam luculentum nobis testimonium eripere conantur[c]? Parum hoc est: locum nobilissimum, ad honorem Christianæ religionis scriptum, ad summam Christianorum infamiam et dehonestamentum torquent. Fraudem hic et fœdam imposturam reperisse se gloriantur, easque clarissimis inter Christianos scriptoribus

[c] Horum agmen duxit Tanaquillus Faber; clausit, quod sciam, Voltairius. Fabri rationes in Diatriba sua editas, A. D. 1655, docte refutant nostri, Cavius in vit. Josephi Hist. Liter. i. 33, 34. Car. Daubuz. in Dissert. de Testimonio Josephi. Lond. 1706. 8vo. et in Append. ed. Havercamp. Rem totam summatim attigit vir doctus et bonus, Lud. Bagot. olim Episc. Asaph. Disc. in Prophet. vii. p. 174. sqq.

imputant et impingunt[d], nulla ratione solida suffulti, nudis suspicionibus, iisque levissimis, ducti. Certe hæc de Christo et Christianis dicta, maxime Josepho convenient, cujus hæc semper, ut ipse testatur, sententia fuit, *δεῖν ἕκαστον ἄνθρωπον κατὰ τὴν ἑαυτοῦ προαίρεσιν τὸν Θεὸν εὐσεβεῖν, ἀλλὰ μὴ μετὰ βίας*[e]. Hinc illius scripta, lectu sane dignissima, a præfractis Judæis repudiata et rejecta, a Christianis semper in pretio habita et hucusque conservata sunt. Sed hæc alterius et loci et temporis sunt.

Interim nos, qui Christiani sumus, ne eam methodum deseramus, quam secutus est Christus. Agnoscamus Christi doctrinam esse per se, sua certitudine, veram, et a veritatis fonte ad nos derivatam; neque aliis adminiculis ad infallibilem in nobis fidem generandam indigere. Sed nec illa testimonia negligamus, aut a nobis extorqueri patiamur, quæ cuipiam utilia esse possint, aut ad Christianæ religionis honestamentum spectare videantur. Eadem ratio fidem retinendi, quæ disseminandi fuit. Non artes doceo Romanas; non collegia condenda suadeo de propaganda fide, ut piis fraudibus animi hominum ad religionem amplectandam alliciantur:

> " Non tali auxilio, nec defensoribus istis

egemus: quæ nobis tradita sunt, fideliter retineamus, a male feriatorum hominum objectionibus vindicemus, providentiæ Dei omnia committamus, et Illius opem in conservanda fide imploremus.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, &c.

[d] " Mihi imprimis credibile fit, " auctorem hujus *τεχνάσματος* esse " Eusebium." Tan. Faber in Diatriba. p. 37. Longe diversum Pearsoni de fide et diligentia Eusebii judicium. Vid. Vindic. Ignat. P. i. c. viii. Ergo, qui Pearsonum audiunt, nec viam illam mediam probabunt, quam tentavit F. A. Heinichen, nuperus Eusebii editor, interpolatum Josephi locum ex parte esse contendens, et interpolatum ab Eusebio. Respondeo cum Pearsono: "Ostende " mihi lapsum Eusebii in aliquo " alio opere, ut de hoc credam!"

[e] In Vita sua. c. 23.

CONCIO III.

Act. xii. 24. ὁ δὲ λόγος τοῦ Θεοῦ ἤυξανε καὶ ἐπληθύνετο. *Verbum autem Domini crescebat et multiplicabatur.*

PROPAGATIO evangelii, res imprimis omni admiratione digna, nec aliunde quam a voluntate et consilio Dei proficisci, nec alia quam plane divina potentia perfici potuit. Unicum quidem sibi aliquando adscivit Deus hominem, Abrahamum; ex illo populum produxit, quem unius provinciæ satis angustæ finibus affixit; cultumque nominis, stirpe Abrahami satis succrescente, unius templi claustris inclusit.

Sed interim consilium per prophetas enunciavit, Messiam se aliquando missurum, humani generis Redemptorem, *daturumque ei gentes hæreditatem, et possessionem terminos terræ.* Ipse tamen Filius Dei Salvator omnium hominum, profitetur *non se missum, nisi ad oves perditas domus Israel.* In Judæa ita sedes Evangelii figenda, fundamentum Ecclesiæ collocandum fuit. Ibi *Verbo caro factum est;* ibi vixit et mortuus est; ibi resurrexit; inde in cœlum vectus est.

Mirandum itaque omnino non fuit, si apud Judæos, *quibus oracula concredita sunt, quorum erant promissiones, ex quibus,* et ad quos, *Christus venit,* Verbum Dei cresceret et multiplicaretur. Miranda potius, et

omnibus modis detestanda populi, adhuc Dei, protervitas et pervicacia; quod cum in propria venerit Deus, sui eum non receperint. Facillima novi fœderis receptio ab iis merito expectanda fuit, qui vetus ante receperant, qui interpretationes prophetarum amplexi sunt, qui Messiam etiam tunc tam avide expectabant, coram quibus Apostoli ex Vet. Testamento tam firmiter probabant, Jesum esse Christum.

Ut autem, etiam renitente Judæa, ab Hierosolymis ad omnes fines terræ Evangelii sonus pertingeret, et verbum Dei etiam apud gentes cresceret et multiplicaretur, hic Rhodus, hic saltus. Hebræi ipsi gens minima, propriis finibus, unico templo contenta; religio licet a Deo instituta, reliquis tamen mortalibus incognita, et ab aliis omnibus penitus distincta atque disparata. Ita exteri loquebantur; "dedita sacris incerta Judæa Dei[a]." Nesciebant illi, an Deum an asinum colerent[b]. Quod a Cicerone de Romanis dictum est, ab aliis etiam gentibns dici potuit. "Istorum religio sacrorum, a splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, ma-
"jorum institutis, abhorrebat. Quam chara gens illa
"diis immortalibus esset, docuit, quod victa, quod
"elocata, quod serva facta est[c]." Quid quod vita sanctissimi Jesu, et mors, et miracula, facto constabant, cujus fides penes Judæos solos, gentium consensu mortalium levissimos, et quibus regeri solebat, "credat
"Judæus Apella."

Hic igitur divina providentia adoranda est, observandaque diligenter vestigia, quibus hæc religio Christiana, et nova, et inaudita, et oppugnata, et a patriis sedibus pene expulsa, non igne, non gladio, non vi ulla, sed mira quadam prædicationis stultitia in animos hominum

[a] Lucan. Pharsal. ii. 593. [b] Tertullian. Apolog. c. xvi.
[c] Oratio pro Flacco. c. 28.

sensim illaberetnr; et ubi homines aut densa caligine obruti, aut inveterata superstitione præoccupati, aut dæmonum præstigiis irretiti essent, ibi Verbum Dei cresceret et multiplicaretur.

Ut hæc olim facta fuisse constet, et sapienter et suaviter omnia disponente Deo; primum, nobis recognoscendæ sunt Judæorum vetustissimæ διασποραὶ, qui in Palæstina, Dei ipsius manu collocati atque constituti sua quidem culpa, sed singulari quadam providentia, per varias terrarum oras dispergebantur.

Primo, Tiglath-pelesserus, Reubenitas, Gaditas, Manassitas et Naphthalitas; mox Salmanassar decem tribuum reliquias in Assyriam transtulit. Sennacharibus[d] duas tribus cum Levitis in Babyloniam transportavit. Ptolemæus Lagi centum millia Judæorum in Ægyptum, Libyam, et Cyrenen traduxit. Antiochus Soter, jure civium Hebræis in Ionia dato, illuc quam plurimas pellexit, ut Seleucus in Antiochiam. Antiochus Magnus duo millia familiarum, ex Babylonia et Mesopotamia arcessita, in oppidis Phrygiæ, Lydiæque collocavit. Ptolemæus Lathurus decem millia abduxit. Antiochus Epiphanes, Hierosolymis occupatis, quadraginta millia Judæorum vendidit. Fœdus inter Romanos et Judæos ictum, temporibus Maccabaicis, multos etiam in Italiam evocavit. Plurimos bello captos Romani libertate donarunt, qui, Philone teste, et patria religione, et jure civitatis fruebantur[e].

Hi igitur omnes tam longe lateque dispersi, Judæam tanquam patriam, et Hierosolyma velut metropolim suam respiciebant[f]. Illuc frequenter commeabant, illic

[d] Sic S. Veritas autem postulat "Nabuchodonosor."

[e] Philonis Legatio ad Caium, p. 1014. c. Cf. Lect. in Act. Apost. iv. 7.

[f] Cf. Lect. in Act. Apost. i. §. 8.

libentissime diversabantur, tum ad negotia, tum præcipue ad sacra peragenda, Hierosolymitano templo affixa atque connexa. Hinc prima propagandi evangelii opportunitas; cum Spiritus Sanctus ipso Pentecostes die, quo potissimum ad urbem undique advolarunt, Apostolos afflavit, concitavit, implevit. Aderant tunc Judæi κατοικοῦντες, *ex omni natione quæ sub cœlo est.* Aderant et ἐπιδημοῦντες, qui miraculi linguarum et causa simul et testes erant. Hinc statim *appositæ sunt Ecclesiæ animæ circiter tria millia.* Et sonitus ille, tanquam ruentis spiritus violenti, non domum tantum, sed totum pene orbem penetravit. Quid enim illi, ad patriam suam quisque reversi, libentius popularibus prædicabant, quam linguam nativam atque vernaculam fuisse Hierosolymis intellectam, et divinorum mysteriorum revelatione illustratam? Ita ab initio perspicimus, quam divino consilio antiquitus evulgato, et recenti miraculo consentaneum fuit, ut verbum Dei cresceret, et multiplicaretur, et prædicatio evangelii, coram uniuscujusque gentis Judæis, lingua una primum concepta, eosdem ad patriam usque suam et domum prosequeretur.

Secundo, Ad incrementum Judaicæ religionis ab ipso Deo institutus est proselytismus, ut ex aliis gentibus in populum Dei adsciscerentur homines ab idololatrico cultu alieni, et ad veri numinis religionem amplectandam proclives; ideoque ipsa lege Mosaica aliquando, non tantum indigenæ et Israelitæ, sed et advenæ seu peregrini diserte obligantur, et sub ipso Decalogi præcepti continentur. Paucissimi quidem proselyti facti sunt, et ex gentibus tantummodo conterminis aut subactis, dum Judæi Terræ Sanctæ finibus circumscriberentur. Postquam autem in terrarum orbem dispersi sunt, et opportunitas major se obtulit, et acrius ferventiusque

desiderium incessit quam plurimos ad Deum Israelis redigendi. Sub ipso Christi adventu, *scribæ et Pharisæi circumibant mare et aridam, ut proselytum facerent.*

Etiam hic divinæ providentiæ manifestissima vestigia adoranda sunt. Proselytismus enim non tantum Christianismi quasi prolusio fuit et adumbratio; sed et aditum aperuit propagando evangelio maxime accommodatum atque congruentem. Duo enim genera ab initio proselytorum agnoscebantur; quorum hi signaculum circumcisionis receperunt, Legis Mosaicæ jugo colla submiserunt, et plane Judæi facti sunt, religionis consortio conjunctissimi, et solo genere distincti; alii vero gentilium tantum numinum venerationi renunciabant, Deum Israelis tanquam verum et unicum adorabant, leges humano generi communes admittebant, a Mosaicis ceremoniis abstinebant. Et priores quidem proselyti, non minus quam Judæi, Apostolis resistebant, imo magis; erant enim vel ipsis Pharisæis evangelicæ veritati plerumque iniquiores; nam et Christus hoc significavit: *Proselytus cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Et Justinus Martyr, optimus sui temporis testis: *οἱ δὲ προσηλυτοὶ οὐ μόνον οὐ πιστεύουσιν, ἀλλὰ διπλότερον ὑμῶν βλασφημοῦσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ἡμᾶς τοὺς εἰς ἐκεῖνον πιστεύοντας καὶ φονεύειν καὶ αἰκίζειν βούλονται*[g].

Posteriores vero, cum viderent ab Apostolis eundem Deum, ad quem ante confugerant, prædicari, ceremonias Legis, quas ipsi prius respuerant, repudiari, æternam vitam, quam jam expectabant, clarius multo evidentiusque repromitti, facile et libenter iis se adjunxerunt; præsertim cum perspicerent multo meliori conditione apud Christianos se futuros, quam apud Judæos fuerant.

[g] Dialog. cum Tryphone. c. 122. p. 350. ed. Paris. 1636.

Extraordinaria et quasi fortuita fuit sub lege gentium vocatio; sub evangelio ordinaria, congrua, atque perpetua. Apud illos etiamnum pro gentilibus et immundis hi proselyti portæ habebantur, neque cum ipsis versari dignati sunt; ad atrium tantummodo Gentilium et immundorum admittebantur: cum in Ecclesiam Christi æquo jure reciperentur, quæ ex Judæis et gentibus conflata est, nulla generis, nulla religionis distinctione habita, secundum Isaiæ vaticinium, xiv. 1. *καὶ ὁ γειώρας προστεθήσεται πρὸς αὐτοὺς, καὶ προστεθήσεται πρὸς τὸν οἶκον Ισραήλ*[b]. Quod in his proselytis impletum non est, donec, diruto pariete, ad intimum cum Judæis commercium in Ecclesia Christi admitterentur.

Hi igitur ab atriis templi, hi a synagogarum finibus, sonante per Apostolos evangelii tuba, ad Christum convolarunt, atque ita verbum Dei crescebat et multiplicabatur.

III. Sed receptis etiam Judæorum aliquibus, et adjectis proselytorum appendiculis, adhuc regnum Satanæ, et numero et potentia, formidandum stetit; gentesque per omnes terrarum oras idololatrico cultu imbutæ, et fœdis superstitionibus per tot sæcula assuetæ obstiterunt. Verum enimvero et hic divina providentia, Apostolis, apostolicisque viris prædicantibus, viam stravit, ostium aperuit, aditum patefecit.

Multi jam philosophorum prudentiores consultioresque, rationem ducem secuti, de uno Deo summo docuerunt; contra deorum imagines, et fœdissimas tunc temporis ceremonias disputabant; a superstitione po-

[b] S. habet *γηόρας* et *προστεθήσεται αὐτοῖς*. Correxi ad editionem LXX. Cantabr. 1665, quam juxta exemplar Vaticanum excudi curavit Pearsonus, et ad Holmesianam. Vid. Justin. Martyr. Dial. Tryph. c. 122, 123. Valesii not. in Euseb. Hist. i. 7. et Alberti comment. adv. *Γειώρας* in Hesych. Hieronymus derivat ab Hebraico גר. Idem videtur Turcicum modernum, *Giaour*.

pulorum animos revocabant, et ad internum quendam numinis cultum, animique puritatem adhortabantur.

Quamplurima hæc primis Christianis argumenta adversus Gentiles suppeditabant. Pleni sunt Christianorum primitivorum libri, refertæ philosophorum hujusmodi sententiis Apologiæ, quas ex Mose excerptas et surreptas putabant; ut Justinus Martyr asserere non dubitaret, *οὐκ ἀλλότρια εἶναι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριστοῦ*[i]; et Clemens Alexandrinus, de Philosophia, 282. D. *ἐπαιδαγώγει γὰρ αὐτὴ τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους εἰς Χριστόν*[k]. Cum S. Paulus *Ignotum Deum* in ara Atheniensi reperiret, hunc illis enunciabat, quem illi ignorantes colebant, et Dionysium ab Areopagitico tribunali, et ab ipsa ara extraxit.

Sed gentium, de fictitiis numinibus suis, præconceptam superstitionem, arma Romana præcipue fregerant: quocunque victrices aquilæ pervolarunt, ibi veterum deorum majestas cecidit, et auctoritas imminuta est; quot de populis victorias consecuti sunt, tot de diis eorum patriis triumphos egerant. Vetustissima omnium opinio fuit, deos suos prius civitatem deserere, quam ab hostibus caperetur[l]. Ita omnia eorum numina Romani exercitus fugaverunt, sic tandem reliquis insultare didicerunt, ut vix ipsi suos, nisi frigide et perfunctorie, colerent.

Tunc oracula ubique siluerunt; tam diu ambiguus Apollo Pythius, jam plane nullus. Mira mihi semper visa est, philosophorum de ejus silentio anxia et subtilis

[i] Apol. ii. §. 13. Vide quæ S. Augustinus habet de Plotini discipulis in militiam Christi transeuntibus. Epist, cxviii. §. 33. Ad Dioscorum.

[k] Stromat. lib. i. p. 337. Idem ait, Strom. lib. vi. p. 823. ubi se explicat, *φιλοσοφίαν πολλάκις εἰρήκαμεν τὸ κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιτευκτικὸν τῆς ἀληθείας.*

[l] Æschyl. *τοὺς θεοὺς*
τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν
λόγος.

disputatio, cum tam manifesto, et voluntate Dei, et opinione hominum, supprimeretur. Cum nihil de imperio, nihil de victoria, nihil de publicis aut gravioribus negotiis quæreretur, sed tantum ἐπὶ πράγμασι μικροῖς καὶ δημοτικοῖς ἐρωτήσεις, ut fatetur Plutarchus[m]. Descendit itaque, primo, Pythia a carminibus et heroicis responsis, ad prosaica et pedestria, utpote ejus temporis quæstiunculis congruentiora; et cum illæ etiam pedetentim deficerent, prudens conticuit. Idque divina providentia factum docuit olim Cynicus: ἀλλὰ καὶ πρόνοια θεῶν, συσκευασαμένη τὰ χρηστήρια πανταχόθεν, οἴχεται· "Pro-" videntia deorum, oraculis undique convasatis, abiit, " evanescit, evasit." Cum igitur ipsæ Gentilium deorum nefandæ ceremoniæ evilescerent, cum reverentia numinibus præstita quotidie minueretur, cum oracula et aruspicinæ ubique declinarent, et ad interitum properare viderentur, eo ipso temporis articulo, viri Deo pleni, et vigore Spiritus animati, principiis maxime rationi consentaneis instructi, dono miraculorum, quoties opus erat, armati, virtutibus omnibus imbuti, et summa vitæ innocentia et sanctitate præditi atque conspicui, ad debellandas Satanæ arces, ad eximendas hominum animis evellendasque aniles de fictitiis numinibus opiniones, et apti imprimis et accommodati erant: quo facile perspicias quomodo Verbum Dei, etiam inter gentes, cresceret et multiplicaretur.

IV. Ut hæc omnia ab Apostolis et apostolicis viris perficerentur, neque alia ratione, quam prædicatione evangelii, quam solum Deus ipse instituerat, opus fuit ut linguis ab omni populo intellectis loquerentur. Neque enim miraculum die Pentecostes editum diu duravit, eodem saltem vigore et efficacia. Divina itaque providentia factum est, ut diu ante adventum

[m] De Oracul. Defect. Opp. ii. 428. ed. Xylandr.

Christi, Dei ipsius oracula, veteri Hebræo sermone concepta, jam ipsis pene peregrino, in Græcam linguam transferrentur, eique versioni Hebræi ipsi, extra Judææ fines positi, assuescerent et adhærerent, aliisque undecunque ambitiose exponerent.

Ingens hæc ad evangelium ubique dilatandum utilitas, maximum compendium: id si non aliunde liqueret, vel inde tamen conspiceretur, quod refractarii Judæi versionem illam, primo festo die celebrarent, postea jejunio dehonestare et deturpare conarentur, cum viderent apostolicum virum, ex quacunque natione accersitum, LXXvirali versione munitum, idem fere præstare potuisse, quod Apostoli Pentecostali miraculo roborati præstiterunt.

Nam Græca tum lingua toti terrarum orbi fuit omnium notissima. "Græca leguntur in omnibus "gentibus, Latina suis tantum terminis atque iis "exiguis continentur." Ita, ante adventum Christi Cicero; post, Juvenalis, "Nunc totus Græcas habet "orbis Athenas." Luculentissimum est S. Hieronymi testimonium, ex eorum temporum scriptoribus depromptum. "Legamus Varronis de antiquitatibus "libros et Sisinnii Capitonis, et Græcum Phlegonta, "cæterosque eruditissimos viros, et videbimus pene "omnes insulas, et totius orbis littora, terrasque mari "vicinas Græcis accolis occupatas[n]." Quid quod ipsi Græci Alexandri victoriis circumlati, ejusque successorum armis et imperiis collocati atque fixi, inquilini tamen et advenæ ab indigenis non minus putabantur, quam vel exules extorresque Judæi in iisdem civitatibus habitantes; unde inter eosdem major orta est conjunctiorque familiaritas et necessitudo.

Cum igitur sacri codices non tantum Alexandriæ,

[n] Quæst. Hebr. in Genesin. c. x. 4, 5.

ubi primum exarati sunt, sed etiam in aliis terrarum oris legerentur; habebant ad manus ubique fere viri, ad evangelium pædicandum missi, libros, quos non multo minori effectu proponerent et explicarent, quam afflante Spiritu Pentecostali Hierosolymis loquuti sunt Apostoli. Hinc Novi Fœderis libri Græce scripti sunt: non tantum ad Corinthios in Achaia, ad Philippenses aut Thessalonicenses in Macedonia, ad Smyrnenses aut Ephesios in Lydia, sed et ad Romanos in Italia, imo et ad Hebræos ubicunque degentes eadem lingua scripsit S. Paulus; ad duodecim tribus τῆς διασπορᾶς S. Jacobus; ad διασπορὰν Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ, S. Petrus.

Cogitemus igitur S. Paulum Tarso, et S. Barnabam Cypro oriundum, cum Judæis, utpote qui se indignos evangelio reddidissent, valedicerent, et renunciarent, summa alacritate se ad gentes proficisci professos esse: minime dubitantes quin inter illas verbum Dei cresceret et multiplicaretur.

Sed cum hæc omnia secundum Dei consilium tam probe succederent, nova orta est difficultas. Judæi enim, cum viderent etiam Gentiles in Christi Ecclesiam recipi, et non justitiæ, non portæ, sed Christi proselytos, vel potius, amicos fieri, eo magis exacerbati et exulcerati facti, acrius insurgebant, et adversus Christianos ubique persecutionem moliebantur. Idque eo facilius perfecerunt, quod arcem religionis tenerent, quod sanctam civitatem obtinerent, quod templo totique cultui patrio præficerentur.

Sed et hic laboranti tenellæ Ecclesiæ suæ succurrebat Deus, et mortis dilectissimi Filii memor, scelerumque Judaicæ gentis, excitavit Titum, qui templum incenderet, urbem devastaret, sacrificiis Judaicis finem in æternum imponeret. Idque tam manifesto Dei consilio

et voluntati attributum est, ut imperator ipse, Dominus Judææ factus, coronam capiti impositam recusaret, quod non sua fortitudine, sed Dei iracundia effectum crederet; ut refert in vita Apollonii Philostratus.

Tunc tota Judæorum terra vendita est, synedrii potestas pessundata, vectigal Templo pendi solitum, Capitolio reservatum est, et victi manus non tam Romanis quam Christianis dederunt. Tum " dispersi, " palabundi, et cœli et soli sui extorres, vagabantur " per orbem, sine homine, sine Deo Rege;" ut loquitur Tertullianus[o]. Tum vero, Verbum Dei liberius multo crescebat, et multiplicabatur.

Proreptavit quidem antea in Cæsaris palatium, etiam Neronis, cum S. Paulus missus in carcerem, persecutoris domum Christi fecerat Ecclesiam. Dehinc vero in immensum crevit, teste Tertulliano. " Hesterni sumus, " et vestra omnia complevimus, urbes, insulas, tribus, " decurias, palatium, senatum, forum[p]." Tandem etiam ipsam imperialem sedem occupavit, factique sunt reges nutritii, et reginæ nutrices Ecclesiæ. Sed in omnibus maxime prævaluit Christianorum sanctitas. Sic Deo, sic Christo Ecclesiæ capiti visum est, ad nominis sui gloriam, et ad mundi salutem.

Hæc Dei benignitas summa, utinam nos in causa non simus, ut non sit sempiterna. Dixit aliquando Dominus ad Ecclesiam Ephesinam, *Venio tibi cito, et movebo candelabrum tuum de loco suo.* Vidimus hanc prophetiam nimis certo et evidenter impletam. Quot Ecclesiæ Asiaticæ, quot Achaicæ, quot Macedonicæ, quas fundarunt Apostoli, jam perierunt! *A Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum*, inquit Apostolus, *replevi evangelium Christi;* et habemus itinerarium S. Pauli in chartis depictum, amplum sane atque spati-

[o] Apolog. c. xxi. [p] Ibid. c. xxxvii.

osum ; sed præter ipsas chartas, Christianis parum relictum est. Quod Dei providentia et benignitate tam cito crevit, nostris secleribus sensim decrescit.

Peccata Palæstinorum sobolem Abrahami introduxerunt in Judæam ; scelera Judæorum ipsos e Terra Sancta expulerunt ; illorum dispersio nostris fuit incremento : eorum abjectio erat mundi reconciliatio. Per aliorum scelera crevimus, per nostra decrescimus ; *Videmus bonitatem et severitatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in nos autem benignitatem, si permanserimus in bonitate ;* alioquin et nos excidemur, qui sub hac conditione crevimus et multiplicati sumus. An putamus Christum, *cum venerit, inventurum fidem super terram?* Si Christianos spectemus, vix ac ne vix quidem sperare possumus ; in Christo solo spem collocamus, qui dixit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; et portæ inferorum non prævalebunt adversus Eam.*

CONCIO IV.

1 Tim. iv. 1. Τὸ δὲ Πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum.*

DATE mihi veniam, viri patres fratresque, si minime pro more nostro, explicationi hujus loci, non admodum difficilis aut obscuri, tempus impendam, et a nimis docta atque subtili, ut ego quidem arbitror, interpretatione vindicem, quæ mihi Catholicam Christi Ecclesiam plane apostaticam et idololatricam facere videtur.

Et quidem illa imprimis interpretatio summopere placet, quæ primo intuitu, plana, facilis, et minime coacta est, quæ quadam luce nativa atque propria animos legentium statim ferit, et in consensum trahit, quæ S. Apostolum, præceptis institutisque religionis Christianæ discipulum suum quasi formantem, et adversus omnes Ecclesiæ hostes munientem, decet.

Hæc tibi scribo, inquit, *ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari:* non tantum ut cognoscas quales instituendi ordinandique sint, qui populo præsint ; aut

qua fide instruendi imbuendique sint Christianorum animi, quorum mysteriorum cognitione illustrandi, et ad sanctam beatamque vitam perducendi; sed etiam ne ignores præstigias Satanæ, omniumque spirituum seductorum, qui homines ab Ecclesia seducere et nefandis erroribus inquinare conantur: de quibus quid mihi Spiritus revelavit minime celandum, teque admonendum, ut iis faciliter occurras, putavi. Quæ igitur ad naturam hæreseos et originem, quæque ad prædictionem detectionemque hæreticorum jamjam prodeuntium spectant, paucis accipe.

Spiritus autem manifeste dicit, hoc clare et distincte a Spiritu Sancto revelatum est, *quod discedent quidam a fide;* quid enim credendum sit homini Christiano, nos diu docuimus, et constanti prædicatione verbi palam fecimus: qui hanc fidem sunt amplexi, in unum congregati, quasi in Ecclesiæ gremio conquiescunt. Sed adveniet dies, quo etiam ex illis aliqui ab ea quam edocti sunt fide desciscent, et salutarem doctrinam, qua primum fuerant imbuti, respuent. Hoc autem eventurum ἐν ὑστέροις καιροῖς, *novissimis*, seu potius, *posterioribus temporibus*, Spiritus diserte docet. Nihil autem certius est, quam hæc ipsa tempora, quibus prædicatur Christus, et totius Judaicæ reipublicæ finis appropinquat, novissima vocari. Ad tuum igitur officium spectat, ut cum hæc futura scias, discessione aliquorum minime percellaris, aut in munere tuo implendo flaccescas, aut desperes; sed quotcunque poteris, diligentia tua in officio atque salutari doctrina retineas. *Oportet quidem hæreses esse;* et discessio de fide, de qua Spiritus loquitur, genuina propriaque est hæreseos descriptio; ut enim charitati schisma, ita fidei adversatur hæresis.

Sed miretur fortasse quispiam, unde hæreses eo præ-

sertim tempore oriri possent, cum Apostolorum nonnulli adhuc in vivis essent, cum eorum comites atque discipuli plerisque Ecclesiis præessent, cum divina charismata ubique florerent, cum miracula nondum cessassent, cum novæ quotidie Scripturæ ad fidem confirmandam, ad errores convellendos, ederentur. Quare idem Spiritus originem et causam hæreseon non minus aperte depingit. *Discedent*, inquit, *quidam a fide, attendentes spiritibus erroris*, (sive, seductoribus,) *et doctrinis dæmoniorum.* Ut enim Spiritus Sanctus, qui Spiritus est veritatis, ducit in omnem veritatem, et efficaciter operatur in animis hominum, ad ingenerandam et stabiliendam fidem; ita sunt et alii spiritus mali, spiritus erroris, qui etiam operantur in hominibus hujus sæculi, qui inter triticum zizania seminant, qui doctrinas et veritati et sanctitati contrarias docent, qui fidem in ecclesiis stabilitam corrumpere, et discipulos Christi ad se trahere conantur. Si qui igitur sint, qui his spiritibus attendunt, qui doctrinæ a dæmonibus excogitatæ atque promulgatæ adhærent, hi a fide discedunt, et in hæreses ἀπωλείας prolabuntur. " Omnis enim hæretica doctrina " dæmoniorum arte composita est," ut observat Primasius.

Tales jam extitisse S. Paulus animadverterat, *qui naufragium fidei fecerant*, ideoque nominatim Timotheo significaverat, et Satanæ preceptori suo tradiderat; Hymenæum scilicet, et Alexandrum. Hos autem, de quibus Spiritus monuit, quia nominare non potuit, quod nondum cogniti essent, sed brevi tamen erupturi, ita descripsit, ut ex ipsorum doctrina, a S. Spiritu prævisa atque prædicta, quamprimum erumperent, detegerentur.

Hæc est facillima simplicissimaque de primitivis

hæreticis textus explicatio, quæ etiam verbis quæ sequuntur maxime confirmatur. Docet enim idem Spiritus, eos qui a fide recessuri erant, illis adhæsuros, *qui nuptias damnarent, et a cibis quibusdam*, tanquam immundis et illicitis, *abstinerent.* Quinam autem illi fuerint, in historia Ecclesiæ apertissime refertur; neque enim diu post Apostoli mortem exorti sunt. Ideoque statim Timotheum affatur, *Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu:* utpote quibus, a præstigiis dæmoniorum, a nefandis hæreticorum placitis præmuniri, et in sana doctrina fideque vera retineri possent.

Sed sunt quibus hæc simplicia, et vulgo nota, et ab omnibus recepta non placent; pensiculatius omnia et subtilius excutienda putant: magnum hic *mysterium* latere existimant, et quidem illud unicum *iniquitatis;* grandem ἀποστασίαν a longe prædici volunt, eamque idololatricam. Mirum mihi quidem hoc vel prima facie videtur. An unquam de apostasia Ecclesiæ Apostoli loquuti sunt? An de ea Sanctum Spiritum ita locutum putabant, *contra quam* nuperrime Christus ipse dixerat *ne portas quidem inferni unquam prævalituras?* An de ea S. Paulus, hoc præsertim loco, intelligi potest, qui priori capite, ipsam appellat στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας;

Hæc sententia duorum præcipue verborum, διδασκαλίας sc. δαιμονίων, interpretatione nititur, quæ volunt non active, seu de causa, sed passive, seu de objecto, intelligi debere, ut sint doctrinæ de dæmonibus, h. e. de diis medioxumis, ut a Gentilibus philosophis traduntur. Putant igitur Spiritum Sanctum præmonere, fore aliquando tempus, cum Ecclesia Dei fidei semel sanctis traditæ valedicet, et doctrinam a gentibus excogitatam,

non quidem de supremis numinibus, sed de mediis quibusdam, quos dæmonas vocare solebant, avide amplectetur.

Ad comprobandum hunc loquendi modum, adducunt locum ex Epistola ad Hebr. et per se nimis obscurum, et ad hanc rem minime accommodum. Volunt hic *διδασκαλίαν δαιμονίων* accipi ut illic *διδαχαὶ βαπτισμῶν*[a]. Hebr. vi. 2.

At 1°. eo ipso loco non dicitur *διδαχὴ βαπτισμῶν*, sed *βαπτισμῶν διδαχῆς*[b]: et *βαπτισμοὶ διδαχῆς* recte dici potest de baptismo cum prævia eaque longa institutione. Qui enim baptizandi erant, inter catechumenos diu versati, doctrina Christiana imbuebantur.

2°. Dæmones personæ sunt, baptismi non sunt: si diceretur *διδαχὴ βαπτισμῶν*, quod tamen probari non potest, verterem, *doctrinam de baptismo*, quia baptismus nisi improprie docere non potest. At *doctrina dæmoniorum* ita proprie dicitur, ut doctrina hominum; hæc autem est doctrina, quam non Deus, sed homo, docuit; ut illa, quam non Deus, aut Spiritus Dei, sed spiritus seductores, sive dæmones, docuerunt. Ut sequuntur Pharisæi doctrinas hominum, ita hæretici dæmoniorum. Ita recte Tertullianus conjunxit: " Hæ," inquit, " sunt " doctrinæ hominum et dæmoniorum[c]." Ita semper in Evangeliis *διδαχὴ Χριστοῦ* est *doctrina quam Christus tradidit.* In Actibus, *διδαχὴ Ἀποστόλων*, *quam tradiderunt Apostoli.* In hac ad Timotheum Epistola,

[a] Auctor interpretationis, quam improbat Pearsonus, est vir in theologia spectatus, Josephus Mede. Apostasy of the Latter Times, chap. ii. Works, p. 626. ed. 1672.

[b] Vid. S. Chrysostom. in loc. S. Basil. de Spirit. S. x. §. 26. *εἶτα τὴν σωτηρίαν ταύτην, διὰ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ Ἁγίου Πνεύματος βεβαιουμένην γνωρίσαντες, ὃν παρελάβομεν τύπον διδαχῆς προησόμεθα*; Erasmus ait, " Græcanica scholia sic " interpretantur, ut separatim sit " legendum;" i. e. *βαπτισμῶν, διδαχῆς, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν.*

[c] De Præscript. Hæret. c. vii.

παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ, i. e. *doctrinæ, quam ego prædicavi.* In Apocalypsi, διδαχὴ Βαλαὰμ, et διδαχὴ Νικολαϊτῶν, eodem modo sumuntur. Frustra igitur hic loquendi modus in Scripturis quæritur; certe nusquam invenitur.

Illud autem, in quo præcipue hæc sententia fundatur, multo magis a Scripturis abhorret. Volunt enim δαιμόνιον hic sumi, non sensu malo, ut diabolum significet, sed bono potius, seu indifferente, ut significentur δαίμονες eo plane modo, quo a Gentilibus, præsertim philosophis, pro diis medioxumis et hominum curatoribus sumebantur[d].

Nova hæc plane, atque in Ecclesia Dei inaudita. Origenes in Scripturis versatissimus, simulque philosophiæ Platonicæ callentissimus, aliter judicavit, eaque docuit quæ sunt huic sententiæ prorsus et ex diametro contraria. Ita enim ille, libro contra Celsum quinto: τὸ δαιμόνων ὄνομα οὐδὲ μέσον ἐστιν, οὐδὲ ἀστεῖον· "nomen "dæmonum neque medium, seu indifferens, neque "bonum est;" ἀεὶ δὲ ἐπὶ τῶν φαύλων ἔξω τοῦ παχυτέρου σώματος δυνάμεων τάσσεται τὸ τῶν δαιμόνων ὄνομα, πλανώντων καὶ περισπώντων τοὺς ἀνθρώπους, καὶ καθελκόντων ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ὑπερουρανίων ἐπὶ τὰ τῇδε πράγματα. "semper autem nomen dæmonum pro malis extra "corpus crassum potestatibus ponitur, quæ seducunt "et avellunt homines, et a Deo rebusque cœlestibus "ad hæc inferiora detrahunt[e]." Idem lib. vii. contra Celsum asserit omnes fere qui δαίμονας statuerunt, aliquos ex iis malos fuisse fateri: κατὰ δὲ ἡμᾶς, inquit, πάντες δαίμονες, ἀποπεσόντες τῆς εἰς τὸ ἀγαθὸν ὁδοῦ, πρότερον οὐκ ὄντες δαίμονες· καὶ ἔστιν εἶδος τῶν ἐκπεσόντων Θεοῦ τὸ τῶν δαιμόνων. "secundum nos autem omnes "dæmones a via ad bonum ceciderunt, cum ante

[d] Mede. Apostasy. chap. iii. etc. [e] P. 234. ed. Spencer.

" dæmones non essent; adeoque species est a Deo " excidentium dæmonum genus." Hæc Origenes[f].

Pariter etiam Eusebius, cum philosophorum doctrinam de diis et dæmonibus accurate recitasset, Præp. Evang. lib. iv. c. 5. Christianorum ex adverso sententiam tradit: *τὰ μὲν γὰρ παρ' ἡμῖν θεῖα λόγια οὐδ' ὅλως ἀγαθὸν οἶδεν ὀνομάζειν δαίμονας, πάντας δὲ πονηροὺς εἶναι τοὺς τῆς λήξεως ταύτης καὶ δὴ καὶ τῆς προσηγορίας μετειληχότας.* " Nam divina quidem apud nos oracula nusquam " omnino dæmonem bonum vocare solent, omnes autem " malos esse, qui illum ordinem[g] aut nominationem " sortiti sunt." Et S. Augustin. de Civ. Dei, lib. ix. c. 19. " Nos autem, ut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam vero *bonos dæmonas* legimus, sed ubi- " cunque illarum literarum hoc nomen positum repe- " ritur, sive dæmones, sive dæmonia, dicantur, non nisi " maligni significantur spiritus."

Et hæc quidem observatio a literatis viris facta, et verissima, et certissima apparet. Nam 1°. LXX Interpretes nunquam *δαιμονία* nisi malo sensu usurparunt, et eorum loquendi modum semper agnoscunt omnes libri Vet. Testamenti Apocryphi. In evangeliis, ubi Judæi

[f] P. 377, 378. ib. S. Hieron. Comment. in Eph. lib. iii. c. vi. §. 12. " Quomodo in urbibus eos, " qui aliquid commisere flagitii, " videmus vel bestias alere, vel " secare marmora, vel mundare " spurcitias cloacarum, vel præ- " esse gladiatoribus, et fundendo " reorum sanguini destinari: ita " et dæmones, ex proprii arbitrii " libertate, insidiarum, fraudum, " scelerum, atque perjurii, et reli- " quam vitiorum provinciam esse " sortitos, ut sint rectores tene- " brarum, quia esse lucis principes " noluerunt." Quæ fortasse ex Origene excerpserat. " Sunt " enim illi commentarii," ut Pearsoni verbis utar, (Vindic. Ignat. part. i. c. x.) " nihil aliud ferme, " quam ex veterum scriptis ex- " cerpta: et locus videtur esse " plane Origenicus." Vid. Lib. viii. contr. Cels. p. 399. ed. Spenc.

[g] Ita v. λήξεως interpretatur etiam Toupius. Vid. not. Gaisfordi in loc. Euseb.

cum Christo colloquuntur, ut hæc vox frequentissime usurpatur, ita semper eodem modo sumitur. Non aliter utitur Jacobus in Epistola, non aliter Joannes in Apocalypsi, non aliter denique S. Paulus in Epistolis.

Locum quidem afferunt ex Actibus[h], ubi vulgari sensu sumitur: *ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι*: sed illa sunt ab ipsis philosophis dicta, et uniuscunque verba secundum mentem loquentis accipienda nemo negat. Verba Gentilium Scriptura recitat, sensum non agnoscit. Non vocat sacra pagina *Barnabam*, *Jovem*, aut *Paulum*, *Mercurium*, quia narrat gentes iis nominibus eos indigitasse; non deos esse eos tradit, quia Lystriani dixerunt, *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Si Lystriani non *θεοὺς*, sed *δαίμονας* eos appellassent, nemo unquam Apostolos, qui Christianus esset, dæmonas appellasset. Alia Apostolorum, alia philosophorum, uti mens, ita et locutio est.

Sed et ipsum Paulum ita aliquando, imo semper locutum esse volunt[i], ut hic scilicet, ita et in 10. cap. 1^ae^ ad Corinthios: *ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει, καὶ οὐ Θεῷ.* Statuunt Apostolum his verbis alludere ad doctrinam philosophorum de diis, seu dæmonibus suis, cum certum sit eum, sensum S. Scripturæ, Mosis, et prophetarum, secutum fuisse. Ita enim legimus, Deut. xxxii. 17. *Ἔθυσαν δαιμονίοις καὶ οὐ Θεῷ.* Hæc sunt verba Mosis, eadem Apostoli; sicut in Barucho, iv. 17. *θύσαντες δαιμονίοις καὶ οὐ Θεῷ.* Et respexisse Apostolum ad verba Mosis ex ipso loco certissimum est; statim enim subjungit, *Ἢ παραζηλοῦμεν τὸν Κύριον*; *An provocamus et irritamus Dominum?* alludens ad ea quæ in Deut. sequuntur, v. 21. *Αὐτοὶ παρεζήλωσάν με ἐπ' οὐ Θεῷ, παρώξυνάν με ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν.* Hæc fuerunt in Ecclesia

[h] Mede. Apostasy. chap. vi. Works, p. 635.

[i] Mede. ibid. p. 636.

tritissima. Ut enim legimus Ps. xcv. 5. *πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν, δαιμόνια.*

De *mensa* autem et *poculo dæmoniorum* quod loquitur Apostolus, non opus est ut huc accersamus poculum *ἀγαθοῦ δαίμονος* ex Athenæo[1]; diserte enim spectat ad illa Isaiæ prophetæ, lxv. 11, *Ὑμεῖς δὲ οἱ ἐγκαταλιπόντες με, . . . καὶ ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα.* Ubi igitur Apostolus ipsis verbis et sensibus Scripturæ utitur, eum ad nescio quos philosophos et Gentiles respexisse, et eorum potius more intelligi voluisse, prorsus incredibile est. Ex Mose, Davide, Isaia, Barucho, ex evangeliis, Jacobo, Joanne, Paulum, potius quam ex Platone aut Plutarcho interpretor.

Putant etiam S. Lucam Evangelistam innuere voluisse, esse aliquos dæmonas bonos, quia dixit hominem habuisse *πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου, spiritum dæmonis impuri, vel immundi*[1]: cum ille sæpius quam quisquam ex evangelistis *δαιμόνιον, malum spiritum*, indigitet, et expresse dicat, dedisse Christum Apostolis *δύναμιν καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια, virtutem et potestatem in*

[k] Locum ex Stephani Thesauro affert Mede, ib. p. 636.

[1] Mede, ib. "St. Luke, the "best-languaged of the Evan- "gelists, knowing the word to be "ambiguous, to distinguish it, "doth the first time use it with "an explanation, &c." c. iv. v. 33. At istud epitheton, *ἀκάθαρτον*, solenne est omnibus evangelistis, quoties *πνευμάτων πονηρῶν* fiat mentio; et *πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου* idem est ac si dixisset *πνεῦμα ἀκάθαρτον*, quod in Vet. T. semel, Zach. xiii. 2. et ter et vicies in N. T. legitur. Unde crediderim S. Lucam hic plenius locutum, non propter ambiguitatem vocis *δαιμονίου*, sed propter usum vocis *πνεῦμα* sensu Gentilibus insolito; et *πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου* scripsisse, ne quis dubitaret quales aut unde essent subinde memorati *spiritus immundi*. Ita SS. Patres, quum apud Gentiles de iisdem verba faciunt, sæpius se explicant; ut Cyprianus, mentione facta de "spiritubus insinceris et "vagis," "hos," ait, "poetæ "dæmonas norunt:" et Minucius Felix, c. 27. "impuri spiritus, "dæmones." Vid. etiam Didym. Alex. de Spirit. Sanct. c. 56. ad fin.

omnia dæmonia. ix. 1. At Apostoli, opinor, tantum acceperunt potestatem in spiritus malos; omnia igitur dæmonia, secundum S. Lucam, sunt spiritus mali.

Cum tam infeliciter Scripturas interpretati sint, concedunt quidem Patres hunc locum nunquam intellexisse; dicunt ab eorum oculis de industria occultatum fuisse; aliter enim *mysterium iniquitatis* nunquam obtinere potuisset[m]. Mira quidem mihi hæc videntur, ut Deus ipse tam solicite *mysterium iniquitatis* foveret atque procuraret, ut ne illud deficeret, omnium sanctorum martyrumque oculis tenebras offunderet, ne Ecclesiam suam ab apostasia retinerent.

Interim tamen, inquiunt, Deus non reliquit Spiritum sine unius testis suffragio[n]. Testem autem illum nobis producunt S. Epiphanium; sed mutilum et imperfectum, et perperam explicatum. Ille enim, ut reliqui omnes Patres, plane noster est. Accusat quidem Antidicomarianitas[o], quod S. Mariæ sacrificarent; peccatum illud his verbis graviter increpat: *ὥστε εἶναι τὸ πᾶν διαβολικὸν ἐνέργημα, καὶ πνεύματος ἀκαθάρτου διδασκαλίαν· πληροῦται γὰρ καὶ ἐπὶ τούτοις τὸ, ἀποστήσονταί τινες τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας, προσέχοντες μύθοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων.* "Quare totum illud est operatio diabolica, "et spiritus impuri doctrina: impletur enim et in illis "istud, *Deficient quidam a sana doctrina, attendentes*

[m] "But you will say, Did any "of the Fathers or ancients ex- "pound it thus in this place? If "they had done so, the *mystery* "*of iniquity* could never have "taken such footing: which, be- "cause it was to come according "to divine disposition, what won- "der then if it were hidden from "their eyes?" Mede. ib. p. 636.

[n] "Howsoever, it may seem "that God left not his Spirit "without a witness. For, as I "take it, Epiphanius, out of the "most zealous of the Fathers of "his time against saint-worship "then peeping, took *διδασκαλία* "*δαιμονίων* for *a doctrine of wor-* "*shipping dead men.*" Mede, ib. Qui, Epiphanii locum citans, omissa priori clausula, incipit, *πληροῦται γὰρ κ. τ. λ.*

[o] Legend. videtur "Collyri- "dianos." Vid. not. seq.

"*fabulis et doctrinis dæmoniorum.*" Quis jam non videt, apud Epiphanium, *διδασκαλίαν δαιμονίων* idem esse quod *πνεύματος ἀκαθάρτου διδασκαλία*? interpretatus igitur est *δαιμόνιον*, non bono aut indifferenti sensu, sed prorsus malo, pro spiritu scil. impuro: accepit verba, non sensu passivo, sive pro objecto, sed activo plane, et pro causa, cum appellet *διαβολικὸν ἐνέργημα*, " dæ-" monis afflatum." Reliqua, quæ sequuntur apud Epiphanium plane obscura, non ad hunc Antidicomarianitarum actum, sed ad posteriora, de adorata Jephthe puella, pertinent[q]. Sola igitur et nuda stat hæc interpretatio, nullo Scripturæ loco, nullo veterum Patrum testimonio suffulta.

Quid quod hi, qui ab Ecclesia recessuri erant, attendentes doctrinis dæmoniorum, claro et manifesto charactere describuntur, *qui nuptias* simpliciter *damnarent, et a cibis abstinerent.* Quicunque igitur primo hæc docuerunt, hac Spiritus prædictione manifeste feriebantur, et a periculo eorum communionis muniebantur Ecclesiæ. Optimus interpres, S. Chrysostomus: *περὶ Μανιχαίων, καὶ Ἐγκρατιτῶν, καὶ Μαρκιωνιστῶν ταῦτα φησίν.* h. e. " de hæreticis qui a primitiva Ecclesia desciverunt, " hæc sine dubio scripta sunt." Ita Tertullianus: " Paulus Timotheum instruens, nuptiarum quoque in-" terdictores sugillat; ita instituunt Marcion et Apelles

[q] Hæc sunt quæ apud Epiphanium sequuntur: *Ἔσονται γὰρ, φησὶ, νεκροῖς λατρεύοντες, ὡς καὶ ἐν τῷ* Ισραὴλ *ἐσεβάσθησαν· καὶ ἡ τῶν ἁγίων κατὰ καιρὸν εἰς Θεὸν δόξα ἄλλοις γέγονε τοῖς μὴ ὁρῶσι τὴν ἀλήθειαν εἰς πλάνην.* Deinde commemorat, quomodo Sichemitæ in monte Ephraim, quorum vicus postea dictus Neapolis, sacra faciebant *εἰς ὄνομα τῆς* Κόρης, quem cultum institutum arbitratur ex traditione quadam de Jepthe filia. Etenim Ægyptii filiam Pharaonis colebant, Thermutin, Moysis servatricem. Hæc comparat cum prava superstitione Antidicomarianitarum, seu potius Collyridianorum, quos in hoc loco perstringit, mox plenius de iisdem acturus in Hær. lxxix.

" ejus secutor." [De Præscr. Hær. c. 33.] Ante Marcionem, Saturnilus[q], Menandri discipulus, Apostolis suppar, τὸν δὲ γάμον οὗτος πρῶτος τοῦ διαβόλου διδασκαλίαν ὠνόμασε· νομοθετεῖ δὲ καὶ ἐμψύχων ἀπέχεσθαι: " nup- " tias hic primum omnium diaboli doctrinam appellavit; " jubet autem et ab animatis abstinere;" ut loquitur Theodoretus. [Hæret. Fabul. Compend. i. c. 3.] De primitivis his hæreticis, Clemens Alexandrinus: εἰσίν οἱ πορνείαν ἄντικρυς τὸν γάμον λέγουσιν, καὶ ὑπὸ διαβόλου ταύτην παραδίδοσθαι δογματίζουσιν. " Sunt," inquit, " et " ex hæreticis, qui matrimonium fornicationem esse " asserunt, eamque a diabolo traditam." Contra quos disputans, Strom. l. iii. 462. b. Καὶ μήτι ἐπὶ τῶν τοιούτων εἰκότως τὸ Πνεῦμα ἄντικρυς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς κ. τ. λ. Manichæi abstinebant ab animatis, " non " ad regendam carnem, sed ad exercendam blasphe- " miam;" quos ita alloquitur S. Augustinus: " Quoniam " plerumque in agapibus etiam carnes pauperibus ero- " gantur, misericordiam Christianorum similem dicitis " sacrificiis paganorum." [Contr. Faust. xx. 20.]

Hos certe Spiritus Sanctus prævidit; quos autem prævidit, eosdem et prædixit; et Timotheum monet, ut etiam fratres doceret, hos hæreticos esse, *qui attenderent spiritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum.*

Hæc autem ad monachos, et quidem veteres, trahere, quales tamen neque Timotheus, neque fratres visuri erant,—ad eos restringere, qui ipsi tantum a nuptiis abstinebant, in aliis nunquam damnabant, qui tantummodo virginitatem matrimonio, cum Apostolo, præferebant, nuptias nunquam fornicationem vocabant, animata nunquam esu illicita prædicabant,—ab omni

[q] Saturninum appellat Irenæus, i. 22. Cf. quæ habet Epiphanius, Hær. xxiii. c. 5.

ratione abhorrere arbitror[r]. Vidit hæc S. Chrysostomus, ideoque hanc objectionem acute refellit: *τί οὖν; ἡμεῖς οὐ κωλύομεν, φησι, γαμεῖν;* "quid igitur? num nos "vetamus nuptias?" Respondet, *οὐ κωλύομεν, μὴ γένοιτο, βουλομένους, ἀλλὰ τοὺς μὴ βουλομένους γαμεῖν προτρέπομεν ἐπι τὴν παρθενίαν·* "nullo modo; non vetamus eos qui "volunt; sed non volentes nubere adhortamur ad vir- "ginitatem:" *ἕτερόν ἐστι κωλῦσαι, καὶ ἕτερον κύριον ἀφεῖναι τῆς προαιρέσεως·* "aliud est prohibere, aliud "electionis suæ dominium dimittere:" *ὁ γὰρ κωλύων, καθάπαξ τοῦτο ποιεῖ·* "qui enim vetat, generaliter hoc "facit;" *ὁ δὲ ὡς ἐπὶ μείζονα τὴν παρθενίαν ἐνάγων, οὐ κωλύων γαμεῖν τοῦτο ποιεῖ, ἀλλὰ προτρέπων παρθενεύειν.* "qui autem ad virginitatem, tanquam sublimiorem, "adducit, non vetans nuptias, sed ad virginitatem ad- "hortans hoc facit[s]." Ita S. Augustinus contra Mani-

[r] Vid. Mede. Apostasy. Part. ii. chap. vii. p. 688. "*Such as "forbid marriage, and command "to abstain from meats.* Who "are these? The wonderful cor- "respondence of the event makes "me verily believe, that the Holy "Ghost intended here, at least "chiefly, to decypher unto us "monks, and doctors of monkery, "by two such marks as are the "chief points and grounds of "that singularity of life. For "prohibition of marriage, and "difference of meats, are inse- "parable characters of monastical "profession, and therefore com- "mon to all that crew of hypo- "crites, whether solivagant Ere- "mites, or Anchorites which live "alone, or Cænobites which live "in society. And if we take "them together, as our Apostle "doth, I think they can befit no "other kind of men by way of "rule and precept, but these "alone." Deinde *το βρωμάτων ἀπέχεσθαι* adhuc subtilius interpretatur de voto monastico, quo possessionibus renunciatur. Ut vero probet extitisse etiam primitivis temporibus "Antichristi sa- "cerdotes," qui nuptiis malesani abstinebant, advocat S. Chrysostomi Hom. vii. in S. Matth. *πάντα ἡμῖν τὰ τῶν νόμων κοινὰ πρὸς τοὺς μοναχοὺς, πλὴν τοῦ γάμου.*

[s] Hom. xii. in 1 Tim. Cf. Rom. lv. in Matt. sub. fin. Hom. vii. in Hebr. sub fin. Quinetiam S. Chrysostomo pene solenne est, ubicunque de cælibatu et nuptiis agit, hæreticos nuptiarum infamatores redarguere. Vid. Tractat. de Virg. c. 9. 10. Hom. xii. in Coloss. xx. in Ephes. ad c. v. 33. *Ποῦ οἱ αἱρετικοί; οὐκ ἂν, εἰ τῶν διαβεβλημένων ὁ γάμος, νύμφην καὶ Νύμφιον ἐκάλεσεν·* (Ecclesiam scil. et Christum;) *οὐκ ἂν προτρέπων*

chæum: "Ille prohibet, qui hoc malum esse dicit, non "qui huic bono aliud melius anteponit." [Contra Faust. xxx. 6.]

Hæc a me ideo tantum dicta sunt, ne de promissione Jesu Christi, de viris apostolicorum temporum, (sine quibus ne sacris quidem Scripturis jam frueremur,) reliquisque primitivæ Ecclesiæ heroibus, tam male sentiamus; ne tam fœdam Ecclesiæ apostasiam, tamque idololatricam, prædicemus: Quæ, si vera sit, non tantum ab imperii Romani dissolutione, sed ab ipsis fere Ecclesiæ incunabulis, omnes Christianorum conventus infecit atque conspurcavit. Nam, si angelorum sanctorumque, pro nobis humi degentibus, et cum immundorum spirituum caterva colluctantibus, omnem intercessionem intercludamus; si martyrum pro Christo vitam profundentium nullam omnino apud thronum Dei potentiam agnoscamus; si omnes, qui eorum reliquias venerabantur, rejiciamus, conspuamus, et idololatras vocemus; si hæc omnia ex *bestiarum cornibus, ex tempore, et temporibus, et dimidio temporis,* scire nos præsumamus[t]; quænam illa unquam fuerit Ecclesia, cum qua nos communionem habere possumus, penitus ignoro.

Novi equidem, quæ, in hac fœce hominum, facies ecclesiarum sit; quantus unicuique, dissuta Christi tunica, animus assurgat. Sed cum omnia discussimus, cum universa ventilavimus, ad illa tempora nobis red-

ἐκεῖνο παρήγαγε, τὸ, καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατερα κ. τ. λ. In Hom. xiv. in 1 Tim. de vidua Anna loquens, quod Dallæus forsan miratus esset, ait hæreticorum esse etiam secundas nuptias damnare. Quod idem agit S. Bernardus, contra Catharos sui temporis, Serm. in Cantic. lxvi. 4, 5.

[t] Mede, ut supra. P. i. c. xi—xv. Scripserat hic S. "ex tem-"pore, et medio temporis;" quod cum parum intelligam quid velit, reposui verba Apostoli notissima ex Apocalyps. xii. 14. Pearsono enim in mente fuisse arbitror quæ ex isto loco excogitaverat Mede, ib. p. 656.

eundum est, ad illa, inquam, quæ Apostolos et Apostolorum discipulos noverunt; quæ Christianam religionem non tantum professa sunt, sed et vitæ puritate, et sanguinis profusione, dilatarunt. Cum omnia veterum argumenta, quibus tam fortiter adversus Christianæ religionis hostes pugnavere, animo recolo; nullum equidem validius invenio, quam quo ostenderunt, tot hominum in unaquaque mundi ora millia, Christum, post cruentam mortem, ad vitam innocentissimam purissimamque convertisse. Si autem illa religio, quæ totum fere mundum sub Christi jugum misit, apostatica et idololatrica fuit; ubi vere Christiana, ubi Catholica, ubi Apostolica unquam apparebit?

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et Charitas Dei, et Communicatio Spiritus Sancti, sit vobiscum omnibus. Amen.

CONCIO V.

Act. xxvii. 18. Τινὲς δὲ τῶν Επικουρείων καὶ τῶν Στωϊκῶν φιλοσόφων συνέβαλλον αὐτῷ. *Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo.*

CONCIONEM ad Clerum habiturus, quem potius ante oculos ponerem, quam doctorem gentium? apud Clerum Academicum, ubi loci convenirem Apostolum, potius quam Athenis? spectaculum vobis dignum præbiturus, in quo prius vitæ discrimine virum Deo dilectum exhiberem, quam ad Areopagiticum tribunal anhelantem? quid agentem potius præconii evangelici candidatis S. Paulum ostenderem, quam cum philosophis disserentem? Eccum autem S. Paulum, idque Athenis. *Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo.*

Græce legimus, συνέβαλλον αὐτῷ. Arias Montanus, *conjiciebant eo,* sensu plane nullo. Arabica versio, *consenserunt opinioni ipsius,* sensu plane contrario. Æthiopica, *apprehenderunt eum,* sensu ne quidem verisimili. Melius Syriaca, *disceptabant cum eo,* ut Act. iv. 15, συνέβαλλον ἀλλήλοις, *conferebant inter se.* Ita Vet. Interpres, *disserebant cum eo:* satis hæc quidem

proprie, sed haud satis plane: *συμβολὴ* enim Græcis aliquid amplius et acrius significat, commissionem scil. ad pugnam, ad certamen, ad prælium. Ita S. Lucas loquitur, xiv. 31. *τίς βασιλεὺς πορευόμενος συμβαλεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον*, h. e. *Quis rex proficiscens ad committendum prælium?* Hostilis pariter est et hic congressus. Philosophi disputandi arte instructi, literarum sæcularium panoplia armati, infenso animo, impetu acerrimo ferebantur in Apostolum, *συνέβαλλον αὐτῷ*, ipsum adorti, cum ipso congressi confligebant [a].

Quare extra periculi aleam positi, imo certi victoriæ, spectemus prælium: committamus unicum athletam Christianum cum tot hostium cohortibus, explicemus aciem, dispiciamus S. Apostoli adversarios, ut Epicurei, ut Stoici, ut utrique, ut philosophi fuere.

Quatuor itaque cum sint in hoc religionis certamine præcipue spectanda, quod ex ordine verborum primo nobis occurrit observandum hoc est:

1°. S. Paulo Christiane philosophanti Epicurei strenue et animose se opponunt.

Duo hic imprimis discutienda sunt; 1°. Quinam hi Epicurei fuerint? 2°. Unde illis erga S. Paulum tam hostilis animus?

Quinam fuerint Epicurei, aut Stoici, plane ignorasse videtur interpres Æthiopicus, qui, utroque horum philosophorum nomine prætermisso, tantum "pru- "dentes" appellavit: "Et fuerunt ex prudentibus qui "apprehenderunt eum." Satis accurate Syrus nominat "philosophos de dogmate Epicuri." Philosophi enim veteres "inter se variis sectarum libidinibus," Tertulliano teste, "discordabant [b]", ac tanquam Bacchæ,

[a] Conf. Pearsonum, ubi interpretatur S. Dionysii Alex. phrasin, *ὁμόσε διιόντες*, Dissert. i. De Success. Roman. Episcop. c. viii. 3.

[b] De Patient. i.

ut refert Clemens [c], Pentheum suum discerpebant. " Ut enim ex Apennino fluviorum, sic ex sapientum " jugo sunt doctrinarum facta divortia," teste Cicerone.

Inter hæc superbientium sectarum discrimina, Epicurus, quasi αὐτοδίδακτος, et magistrum agnoscens neminem, tamen Democriteum se primo professus est, easque partes sequi, quas aut Platonis silentium aut Aristotelis argumenta jam pene obtriverant. Sed sub alieno nomine non diu latuit, et cum convenientes doctrinæ suæ hortulos elegisset, amicis discipulisque undique convolantibus, ratas sententias tradidit, novamque sectam condidit, et numero, et consensu, et duratione notabilem. Qui igitur hujus dogmata amplexi, qui in hujus verba jurati, hunc quasi deum quendam coluerunt, Epicurei dicti sunt.

Unde igitur illis erga S. Paulum tam hostilis animus? Unde, nisi quod religio Christiana sit ratis Epicuri sententiis ex diametro opposita; idque tum ut religio est, tum ut Christiana est.

Nam primo, asserunt Epicurei mundum hunc factum quidem, sed non a Deo; a casu pendere, non a Numine; ut ipsa divina natura sit " semota a nostris " rebus sejunctaque longe." Τὸ μακάριον, inquit, καὶ ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. h. e. interprete Cicerone, " nihil curare Deum sui, " neque alieni." Ita Deum nobis exhibent, ut scite Tertullianus, " otiosum, et inexercitum, et, ut ita " dixerim, neminem humanis rebus [d]." Ex hac schola illud Plinianum erupit: " Irridendum vero agere curam " rerum humanarum illud quicquid est summum." Atque ita, dum Dei curam et providentiam negant, religionem tollunt, ipsis ultro fatentibus:

[c] Stromat. I. xiii. p. 348. Potter. [d] Apolog. §. 47. Adv. Gentes, ii. §. 2.

" Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
" In terris oppressa gravi sub relligione,
" Primum Graius homo mortaleis tollere contra
" Est oculos ausus, primusque obsistere contra :
. . . . . .
" Quare relligio pedibus subjecta vicissim
" Obteritur ; nos exæquat victoria cœlo."

Viderint itaque de ipsa religione, qui Epicuri manes solicitant, vitamque et dogmata tam honorifice recensent.

Secundo, religionem Christianam tollunt, dum animæ immortalitatem negant, dum ipsam ex corpusculis componunt, ut morte dissolvant, difflent, atque dispergant. Unde rata Epicuri sententia, *ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς* [e].

" Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,
" Quandoquidem natura animi mortalis habetur."

Ita, observante Tertulliano, " Nihil esse post mortem " Epicuri schola est [f]." " Epicurei et de corpore et " de anima hoc idem sentiunt, quod utrumque mortale " est ; et, quod est gravius et detestabilius, prius " dicunt animam post mortem dissolvi quam corpus," S. Augustin. [Serm. cl. 6.]

Aliam plane doctrinam a Christo S. Paulus accepit : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Aliam S. Paulus ex suo pectore protulit : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Ac si ipsius Epicuri argumentum hoc voto solveret ; quod dissolvitur, inquit, sensu caret ; quod sensu caret, nihil ad nos [g] : [at] non dissolvitur morte anima, sed homo ; quo dissoluto, anima Apostoli et sentit, et cum Christo vivit.

[e] Id suis Epicurus " quasi " oraculum edidit ;" ut ait Tullius, de Fin. ii. §. 31.

[f] De Resurrect. Carnis, init.

[g] Verba sunt Tertulliani. De Anima. §. 42.

Tertio, religionem Christianam tollunt, dum asserunt "hominem nullius beatitudinis esse capacem, præter "sanitatem corporis et tranquillitatem animi;" in his summum bonum, in his humanæ felicitatis apicem ponunt.

At doctrina Christiana aliam nobis felicitatem proponit, hanc interimit; ad aliam vitam nos revocat, spe tantum et expectatione beatos docet. Discutiamus beatitudinum catalogum, quem Christus prædicavit; inveniemus nullam nisi ad futura sæcula spectantem. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Sit igitur observatio prima, Vere Christiani esse non possunt, nisi qui Epicurei esse desinunt [h].

2°. S. Paulo Christiane philosophanti Stoici strenue et animose se opponunt.

Duo hic pariter discutienda sunt; 1°. Quinam hi Stoici fuerint. 2°. Unde illis erga S. Paulum tam hostilis animus.

Ac Stoicos quidem constat, *ἀπὸ τῆς Στοᾶς* nominatos, ab illa scil. Porticu, quæ Atheniensibus, præ

[h] "Epicureæ sectæ inter "Christianos nullus locus datus, "nullus honor habitus est, eo "quod inter atheas sectas re-"ferretur." Jac. Brucker. Instit. Hist. Phil. Period. ii. part ii. lib. i. c. 3. §. 7. Neque immerito, quoniam idem vel apud Gentiles de Epicuro judicium. Cicero de Nat. Deor. i. 30. Certe non levibus argumentis Epicuri atheismum asserit doctus ille et eloquens philosophus Christianus, S. Dionysius Alexandrinus, apud Eusebii Præparat. Evang. lib. xiv. c. 27. *Οὔτε γὰρ εἰς οὐρανὸν ἀνέβλεψε νοεροῖς ὀφθαλμοῖς, ἵνα τῆς ἐναργοῦς ἄνωθεν φωνῆς ἀκούσειεν, ἧς ὁ προσεκτικὸς θεατὴς κατακούσας ἐμαρτύρησεν, ὅτι οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ, ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα· οὔτε τῇ διανοίᾳ κατεῖδεν εἰς τοὔδαφος· ἔμαθε γὰρ ἄν, ὅτι τοῦ ἐλέους Κυρίου πλήρης ἡ γῆ, καὶ ὅτι τοῦ Κυρίου ἡ γῆ, καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς.*

imaginum varietate, ποικίλη, Latinis, "pæcile," dicebatur. Illic quippe Zeno Citieus, origine Cynicus, philosophiam professus, novam sectam instituit; discipulique ejus primum ab auctore, Zenones, mox a loco Stoici nominati sunt.

Unde autem illis erga S. Paulum tam hostilis animus, origine Pharisæum, Stoicis simillimum, jam factum Christianum a Stoicis, ut videtur, non admodum abhorrentem? Certe "Stoici nostro dogmati in plerisque "concordant," inquit S. Hieronymus [i]. Unde igitur tanta animorum dissensio?

Imo vero latissimum discrimen inter Zenonis et Christi disciplinam. Hæc sapientia de schola cœli est; hæc institutio de porticu Solomonis.

Agnoscit ille quidem Deum, etiam intra hunc mundum; non sejunctum, et cum Epicuri numine exclusum, sed quasi mundi sui partem, materiæ immersum, corporibus alligatum. Siquidem Deum voluit [k] "sic per materiam decucurrisse, quomodo mel "per favos;" ut Tertullianus [l]. Imo, Deum suum adeo materiæ immiscuisse, ut a mundo ipso discernere non potuerit. Ita enim disputabat: nihil mundo melius; ex quo efficitur esse mundum Deum [m]. Atque ita Stoici καταισχύνουσιν ἀτεχνῶς τὴν φιλοσοφίαν, ut observat Clemens [n]. Providentiam quidem divinam

[i] "Stoici, qui nostro dogmati "in plerisque concordant, nihil "appellant bonum, nisi solam "honestatem atque virtutem; "nihil malum, nisi turpitudi-"nem." Comment. in Isai. lib. iv. c. 11. Alibi vero minus honorifice loquitur S. Hieronymus de Stoicis; ut in Comment. in Jerem. lib. iv. Præf. et Dialog. contra Pelagianos. Vide locum, quem mox affert Pearsonus, ex ejusdem Epist. ad Ctesiphontem.

[k] volunt. S.

[l] Ad Nationes ii. §. 4. Adv. Hermog. §. 44.

[m] Ita Balbus apud Cic. De Nat. Deor, ii. §. 17. Mitius aliquanto de Stoicorum principibus pronunciat Cudworth, cap. iii. §. 28. cap. iv. §. 25.

[n] Cohortatio ad Gentes. tom. i. p. 58. ed. Potter.

statuit; atque inde religionem postulat: sed dum providentiam fatalem docet, religionem quam postulat, enervat, evertit, exterminat. Peccata quoque omnia paria statuit, aut, posito fato, potius nulla. Peccata autem neque paria, neque nulla, pietatem patiuntur. Passiones animi penitus a sapiente removet, a beato tollit: at " hoc est hominem ex homine tollere, et in corpore constitutum, esse sine corpore, et optare potius " quam docere;" ut S. Hieronymus [o]. Summum denique bonum in seipso posuit, nec majoris beatitudinis capacem hominem, quam quæ ex ipsa virtutis natura redundaret.

Alia plane doctoris gentium disciplina. Deus mundi conditor; sed qui ante ipsum retro fuerit, et post ipsum pro infinitis sæculis sit futurus; ipsi ubique essentia præsens, ab ipso prorsus substantia distinctus. Providentiam docet, sed quæ sanctitati et justitiæ divinæ non repugnat; quæ præmium virtutibus proponit, quæ supplicium peccatis minetur; quæ ordinem conservet, non necessitatem imponat. Peccata omnia prohibet, minima condemnat, nulla confundit. Passiones non funditus tollit, sed in ordinem cogit, et, cum Deo servire docuerit, remunerat. Beatitudinem hominis non in seipso, non in hac vita, sed in cœlo, sed in Deo, sed in æternitate collocat. " Epicurei secun- " dum carnem viventes, Stoici secundum animam " viventes; sed neque illi, neque isti secundum Deum ' viventes." S. Augustinus. [Sermo clvi. 7.]

3°. S. Paulo Christiane philosophanti, et Epicurei, et Stoici simul se opponunt. Ecce Zenonis vigor, et Epicuri stupor [p].

Observandum primo, hæ duæ sectæ nunquam inter

[o] Epist. ad Ctesiphont. cxxxiii. 1. [p] Tertullian. de Anima. §. 3.

se convenire potuerunt, sed perpetua exercebant odia, certabantque calumniis:

" Stoicus has partes, has Epicurus agit."

Erant Pharisæi Stoicis simillimi. Ἡ Φαρισαίων αἵρεσις παραπλήσιός ἐστι τῇ πρὸς Ἕλλησι Στωϊκῇ λεγομένῃ, inquit Josephus [q]. Erant Sadducæi Epicureis similiores. Quod fit Hierosolymis, fit et Athenis. Conspirant Pharisæi et Sadducæi adversus Christum; Epicurei et Stoici adversus Paulum.

Observandum est secundo, harum sectarum odia hoc ipso tempore paulo deferbuisse. Certe hoc ipso tempore, quo Athenis prædicavit Paulus, informavit Romæ Neronem Seneca; qui fortasse primus ex Zenonis schola Epicurum diserte laudavit, dum diceret " eum " sancta et recta præcipere, et si propius accesseris, " tristia. Non enim, inquit, quod putes magnum, in " quo dissidemus [r]." Cum Christus pateretur, Luc. xxiii. 12. *facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad invicem.* Cum Ecclesia periclitatur, sectarii pontificiique manus jungunt: cum Apostolus Jesum et resurrectionem docet, Epicurei et Stoici simul disserunt, nec putant magnum in quo dissident.

Tertio, observanda hic est singularis Dei Providentia. Utraque hæc schola eidem tempori originem suam debet. Zeno et Epicurus simul sectam instituerunt; simul hic hortos conduxit, simul alter porticum occupavit. Zeno, quanto senior, tanto serior accessit. Rursus, utraque ut simul incepit, ita et duravit, nullo turbine difflata, nulla tempestate perculsa; post Philippi furores, post Mithridatis tyrannidem, post Syllæ odia, post diversas Augusti victorias, post jam non Athenas tot cladibus extinctas, sed colluviem nationum

[q] In Vit. c. 2. [r] De Vit. Beat. c. 13. de Const. Sap. 16.

libertate precaria superbientem [s], post hæc omnia utraque permansit integra, ut vires illæsas in oppugnanda Ecclesia experirentur, utque, quod observat S. Augustinus, Epist. ad Dioscorum, " errores gentium, qui in " his duabus maxime sectis eminebant, expugnantibus " doctis, et tanta disserendi subtilitate atque copia " subvertentibus, durarent tamen usque in tempora " Christiana." Idque divina providentia factum, ut quæ simul inciperent, simulque crescerent, simul etiam post exortam Christianæ religionis lucem, interirent. " Quos," inquit sanctissimus Pater, " nostra ætate sic " obmutuisse conspicimus, ut vix jam in scholis rhe- " torum commemorentur tantum quæ fuerint illorum " sententiæ; certamina tamen etiam de loquacissimis " Græcorum gymnasiis eradicata atque compressa " sunt [t]."

" Dicebat Epicureus, Mihi frui carne bonum est; " dicebat Stoicus, Mihi frui mea mente bonum est; " dicebat Apostolus, Mihi autem adhærere Deo bonum " est. Dicebat Epicureus, Beatus, cujus est in fructu " voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus, Imo, beatus, " cujus est in fructu virtus animi ejus. Dicebat Apo- " stolus, Beatus, cujus est in nomine Domini spes ejus." S. Augustin. [Serm. clvi. 7.]

Uterque pugnavit, uterque victus est, duplici prælio, simplici victoria: argumenta bina, responsum unicum.

4°. S. Paulo Christiane philosophanti philosophi se opponunt.

Observatum est a S. Augustino, quod " cum essent " plurimæ philosophorum sectæ in civitate Atheniensi, " non contulerint cum Apostolo Paulo nisi Stoici et " Epicurei: . . . . divina enim," inquit, " sapi- " entia hos ei apposuit, in quibus dissensionis phi-

[s] Ex Tac. Annal. ii. 55. [t] Epist. cxviii. ad Dioscorum. §. 21.

" losophorum tota prope causa consisteret." [Serm. cl. c. 5.]

Hoc si concedamus sanctissimo Viro, vellem tamen has sectas non tantum qua tales, sed qua philosophos, S. Paulo restitisse: seu, quod idem est, S. Paulum non his tantum, sed et reliquis omnibus philosophis se opposuisse.

Quid enim, nonne ad Areopagum properantem interrogant, *Possumus scire quæ est hæc nova quæ a te dicitur doctrina? nova enim quædam infers auribus nostris:* καινὴν διδαχὴν, et ξενίζοντά τινα, S. Paulo objiciunt; quæ scil. a nulla unquam philosophorum secta audiverant: erant enim omnibus, æque atque ipsis, et nova et peregrina. *Novorum*, inquiunt, *dæmoniorum videtur annunciator esse; quia Jesum et resurrectionem annunciabat eis.* Tota itaque pene religio Christiana, quatenus est Christiana, erat omnibus philosophis pariter nova, peregrina, ignota. Non igitur Epicurei, aut Stoici tantum, sed et Peripatetici, sed et Platonici, sed et Pythagorici fundamenta Christianæ religionis prorsus ignorabant. Recte Tertullianus, " Ut carnis " restitutio negetur, de una omnium philosophorum " schola sumitur [u]." In cultu veri Dei omnes pueri, omnes ignari; quam ridicula divini Socratis etiam suprema verba, " Reddamus gallum Æsculapio!" Νήπιοι οὖν καὶ οἱ φιλόσοφοι, ἐὰν μὴ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἀπανδρωθῶσιν. Clemens Alex. [x]

Parum hoc est, philosophi veteres, veræ religionis ignari, falsæ patroni sunt. " Hi sunt patriarchæ hæ- " reticorum," ut Tertullianus a S. Hieronymo laudatur. " Ipsæ hæreses a philosophia subornantur," et rursus, " Ex philosophorum ingeniis omnis hæresis animatur."

[u] De Præscript. Hær. c. vii. [x] Stromat. lib. i. p. 347. ed. Potter.

Neque hæc exprobrans, sed gemens loquitur. " Doleo," inquit, " bona fide Platonem omnium hæreticorum con-" dimentarium factum."

Agnoscamus igitur monitum Apostolicum, Col. ii. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum.* Perpendite S. Paulum, memorem eorum quæ Athenis facta sunt, hæc tradidisse, et Clemens Alexandrinus conjiciebat [y]. Audite quid Tertullianus hac de re sentiat: " Si-" quidem et ab Apostolo jam tunc philosophia, con-" cussio veritatis, providebatur: Athenis enim experta " linguatam civitatem, cum omnes illic sapientiæ atque " facundiæ caupones degustasset, inde concipit moni-" torium illud edictum [z]." Et alio loco, (nondum, ut opinor, satis aut explicato aut intellecto,) ad eundem versiculum: " Præter providentiam Spiritus Sancti, " fuerat Athenis, et illam sapientiam humanam, af-" fectatricem et interpolatricem veritatis, de congres-" sibus noverat [a]."

Ut igitur Apostoli curam ex hoc ipso ortam certamine, ut Ecclesiæ periculum, cui, post scholas debellatas atque subversas, ex ipsis hæreses pullularunt, ut sanctissimorum Patrum honorem atque dignitatem, qui cum tot hostibus decertarunt,—ut hæc omnia rite perpendamus, rem ipsam paucis consideremus.

" Esse philosophiam," tradebant Veteres, " rerum " humanarum divinarumque scientiam:" res huma-

[y] Stromat. lib. i. tom. i. p. 346. Potter.

[z] De Anima, §. 3.

[a] De Præscript. Hæret. §. 7. Vulgo legitur alia distinctione: " Videte ne quis vos circum-" veniat per philosophiam et ina-" nem seductionem, secundum " traditionem hominum, præter " providentiam Spiritus Sancti. " Fuerat Athenis, &c." Viderat Pearsonus verba postrema ad sacrum textum nihil pertinere; unde intelligit Tertullianum dicere voluisse: S. Paulus, præter ea quæ ex Spiritus Sancti monitis providerat, (Act. xx. 29, 30.) fuerat Athenis, &c.

nas concedo, divinas denego. In divinis enim non rationem sed traditionem tantum sequebantur, eamque ex Oriente delatam. Eduxit Deus Abrahamum ex Mesopotamia, ut patriam, ut affines, ut deos etiam familiæ suæ relinqueret; edocuit Mosen in deserto, licet universa Ægyptiorum doctrina ante imbutum; revelavit populo suo et Ecclesiæ historiam et voluntatem suam; suscitavit quotidie prophetas, *neque fecit taliter ulli nationi:* hoc est, hæc omnia erant toti generi humano præter Israelitas incognita, etiam tum cum Magi, cum Chaldæi, cum Gymnosophistæ, cum Italica, cum Ionica, cum omnes sectæ Athenienses florerent ac superbirent.

Locutus est Deus tandem per Filium suum, et Filius per Apostolos revelavit mysteria fidei a constitutione mundi incognita; confirmavit prophetarum scripta, et apostolica consignavit; Ecclesiam sibi condidit, illi divina oracula credidit, et sanguine suo, et miraculis confirmata: ita fides Christiana semel tradita est, cum omnibus religionis nostræ principiis. Ita lux illa venit in mundum, plusquam ducentis annis postquam omnes sectarum philosophicarum patres mortui sunt.

Jam vero quanta dementia est, theologiam ab illis philosophis petere, qui primam divinæ voluntatis patefactionem jam factam, cum viverent, ignorabant; antequam secunda fieret, e vita excesserant. An ab illis voluntatem Dei petemus, a quibus Ipse abscondidit? ab illis in Ecclesia Dei doctrinam accersemus, quos Deus Ipse in Abrahamo reliquit, in Mose repudiavit?

Videte, ne quis decipiat vos per philosophiam, secundum traditionem hominum: tota enim illa theologia philosophica est traditio hominum; h. e. hominibus per homines tradita, non per Deum; non ex ratione profecta, sed per manus tradita.

Novam philosophiam non accuso; rationem, ubicunque appareat, amplector; novam et Ecclesiæ Dei inauditam theologiam repudio; quæ, si nova sit, aut nulla, aut certe nostra non est. Non postulat religionis nostræ ratio, ut simus ignari rerum naturæ, ut tollamus, aut negemus ulla adjumenta, quæ nos ducere possunt ad intimam cognitionem creaturæ. Sed non inde voluntas Dei explicatur, non inde consilium Ejus de salute humani generis eruitur, non inde hauriemus *quid Deus præparaverit timentibus*, non inde cognoscemus quales erimus cum Deum viderimus.

Pene cogor cum Tertulliano exclamare, "Quid si-"mile philosophus et Christianus? Græciæ discipulus "et cœli? famæ negotiator, et salutis?[b]" Quid igitur Athenis et Hierosolymis? quid Academiæ et Ecclesiæ? quid hæreticis et Christianis?

Regulam illam potius sequamur, quam ipse tradit saluberrimam:

"Constat omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis "Apostolicis conspiret, veritati deputandam, sine dubio "tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a "Christo, Christus a Deo accepit; omnem vero doc-"trinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra "veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et "Dei[c]."

[b] Apolog. §. 46. [c] De Præscript. Hæret. §. 21.

Note by Mr. Stones, written at the end of this Sermon:

N. B. Quinque præcedentibus Prælectionibus, sive Concionibus ad Clerum, licentiam imprimendi addidit Reverendus vir Joann. Batteley, a Sacris Archiepiscopo Cantuarensi, sub hac forma:

Mart. 22. 1686. Imprimatur

JO. BATTELEY.

Eodem Anno, Sept. 9. 1686. Licentiam imprimendi Opera Posthuma Chronologica Pearsoni J. Batteley dedit.

CONCIO VI[a].

Num. xvii. 8. *Et ecce floruerat virga Aaronis pro domo Levi; et produxerat gemmam, et emiserat florem, et maturaverat amygdala.*

AD clerum locuturo, patres fratresque, quid prius dicendum fuit, quam domus Levi? apud prophetarum filios concionem habituro, quæ orationis aptior materies, quam Aaronis virga? coram sacerdotii candidatis, quid potius expromere, et explicare deceat, quam sacerdotales flores? quo tempore magis hæc omnia ostendere conveniat, quam illo maxime admirando, post gravem seditionem ortam, judicatam, punitam, prostratam, apud Israelitas manifesto judicio, apud nos indubitata providentia, utinam ne hoc tempore iterum resuscitandam. *Et ecce floruerat virga Aaronis &c.*

Neque vero hæc simplex aut nuda, sed multiplex et fœta virgæ efflorescentia: Si originem spectes, gemmata, si progressum, florida, si finem, fructuosa. Produxerat gemmam; quid efficacius, quid vividius? emiserat florem; quid pulchrius, quid ornatius? maturaverat amygdala; quid utilius, quid fructuosius? Hoc triplici gradu, sacerdotale fastigium scanditur:

[a] Transcr. e Lib. MSto in 8vo. S.

his tribus emicationibus pectoralis Aaronici splendor restituitur; triplicato hoc velo, sancti sanctorum reverentia a profanatione arcetur; his tribus testibus sacrorum ordinum dignitas et distinctio in æternum confirmantur. *Et produxerat gemmam, et emiserat florem, et maturaverat amygdala.*

Verba hæc duabus constant partibus, quarum prior est, miraculi summaria descriptio, posterior, descripti in sua membra distributio. In miraculi descriptione, prima vocula refert textus conjunctionem, *Et;* secunda, rei præstitæ admirationem, *Et ecce;* tertia, admirationis causam, *Et ecce floruerat;* quarta, miraculi subjectum, *Et ecce floruerat virga;* quinta, personæ dignitatem, *Et ecce floruerat virga Aaronis;* reliquæ, tribus prælationem, *Et ecce floruerat virga Aaronis pro domo Levi.*

Textus conjunctio flagitat historiam, rei admiratio præparat expectationem, admirationis causa exhibet miraculum, miraculi subjectum indicat potestatem, dignitas personæ ostendit differentiam, tribus prælatio denotat ordinem clericalem.

Quod ad distributionem miraculi attinet, habemus in gemma propositum, in floribus verbum, in amygdalis fructus operum: 1°. initium, 2°. progressus, 3°. perfectio denotatur; et in tanta varietate sacrorum ordinum, distinctio confirmatur.

Ab historia initium sumendum arbitror, qua incognita, reliqua intelligi minime possunt.

Orta est sæpe inter Israelitas, sed nunquam alias gravior seditio. Core, Dathan et Abiram, triumvirorum pessimi, ac ducenti quinquaginta viri, proceres synagogæ, accusant Mosen et Aaronem; nobilis sane conspiratio, neque e trivio profecta. In hunc modum concepta est accusatio. *Omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus; cur elevamini super populum*

Dei? Ac si diceret Core, Levi pronepos, pro tribulibus suis, "Omnes sancti sunt, omnes Deo conjunctissimi: " Quid facit Aaron super sacerdotes? quid sacerdotes " supra Levitas? omnes filii Levi, omnes ministri Dei, " sunt ejusdem ordinis, et æqualis dignitatis."

Moses hac criminatione lacessitus appellat Deum, orat ut notum faciat, qui ad se propius pertineant, et quis sanctus sit. Conditio accipitur, periculum faciunt. Accipiunt Core cœtusque ejus thuribula sua; suum et Aaron; imponunt illi thuribulis suffitum, et confestim dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos. Quinetiam ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros qui efferebant incensum. O voraginem justitiæ! O vindictæ flammas! Ignis in cultu alienus accendit iram Dei; Deo commoto, scabellum frangitur, hiat terra; thronus accenditur, exardescunt cœli. Ita jam res judicata, ita seditio repressa; si tamen vel sic repressa. Sol enim, qui cum occideret nihil præter cineres vidit, cum oriretur flammas conspexit. Murmuravit enim omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Mosen et Aaron, dicens, *Vos interfecistis populum Dei.* Deus bone! Moses et Aaron interfecerunt Israelitas? quam cæca, quam insana hæc accusatio! Si illi interfecerint, quis servavit? si per eorum manus sint interempti, per quas ex Ægypto sunt educti? Quis, nisi Dominus cœli ac terræ, potuit simul et aperire terram, et ignem de cœlo mittere? Ecce! jam latius serpere cœperat seditio: unaquæque tribus sacerdotium spirat. Non jam paritas Levitarum, sed æqualitas omnium postulatur; omnes tribus sanctæ sunt, omnes Israelitæ sacerdotes. Profecto ita fieri solet, patres fratresque: primo seditiose quæritur paritas ministrorum, mox æqualitas omnium introducitur. Imo ita fieri par est, ut qui

superiores ferre nolint, inferiores agnoscere non possint.

Quid ad hæc Moses et Aaron? fugerunt ad tabernaculum. Deus nunquam ante eos recepit in nubem, quam insurrexerit populus. Sic, lasciviente et tumultuante ingrato populo Anglicano, recepit Mosen et Aarones nostros in nubem Deus; Aarones quidem, in nebulam miræ obscuritatis, sed ipsum Mosen, in nubem miraculosæ protectionis. Tum vero Deus inter fideles servos et rebellem populum arbiter apparuit, jussitque Mosen sumere virgas duodecim, pro totidem tribubus, et uniuscujusque nomen inscribere virgæ suæ, nomen etiam Aaronis pro tribu Levi: jussit et omnes in tabernaculo fœderis, coram testimonio ponere, dixitque virgam ejus germinaturam quem Deus elegerit. Quo facto, sequenti die ingressus est Moses tabernaculum testimonii, *Et ecce floruerat virga Aaronis.*

Hæc est historiæ series. Reliquas particulas minutatim haud prosequimur, sed potius in duas partes conjicimus; subjectum miraculi, et naturam: illud quasi animatum, hanc quasi animantem. *Virga Aaronis pro domo Levi;* hoc subjectum: *Ecce floruerat;* hoc miraculum,

Virga est insigne potestatis; habet naturam sceptri; et virga est Aaronis, datur potestas sacerdotalis, est sane aliqua disciplina ecclesiastica. Mater Ecclesia vitis est, *et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.* Ezek. xix. 11. Præcepit Christus discipulis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Sine sandaliis, sine pera, sine tunica ministri Christi esse possunt, sine virga non possunt. Non est Ecclesia sine potestate, non est Christus sine sceptro, non est Petrus sine clave, non est Paulus sine virga [b].

[b] 1 Cor. iv. 21.

Est Aaroni virga non minus quam Mosi, imo eadem videtur fuisse et Aaronis, et Mosis. Dixit enim Deus Mosi, *Tolle virgam.* Num. xx. 8. Sequiturque, commate 9, *Tulit igitur Moses virgam quæ erat in conspectu Dei:* erat autem illa Aaronis, etiam testibus rabbinis, quæ posita erat in tabernaculo testimonii. Plures manus, baculus unus; dulce conjugium magistratus et ministerii: per manus Mosis et Aaronis venit ex Ægypto populus Dei, et in æternum veniet. Nulla unquam dissidia sint inter magistratus gladium tenentes, et ministros Dei Verbo potentes. *Nos fratres sumus*, olim Loto dixit Abrahamus; sed Moses et Aaron magis fratres sunt quam Lotus et Abrahamus. Magistratus *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Sacerdos evangelicus Dei minister est, non minus malis iratus, quamvis vindex minus; imo hujus vindicta minus conspicua, non minus certa. Ut incurrunt in oculos nostros corpora, latent animæ, ita pœna temporalis magis apparet, sed affigit minus. Ita in virga pontificis elucescit Ecclesiæ potestas.

Cum vero legimus *virgam Aaronis pro domo Levi*, inde divinam, et institutionem ministerii, et distinctionem ministrorum concludimus. Non est virga Judæ, non Rubenis, pro domo Levi, sed Aaronis. Sacri ordines ut sunt primulum a Deo instituti, ita sunt ab illis, quos Ipse elegerit, conferendi. Par est, ut Deus non tantum cultum sui præscribat, sed et personas per quas colatur. Æquum est ut accessus ad Eum fiat, per quos Ipse velit. Sicut misit Pater Christum, ita Christus Apostolos, Apostoli successores. Imposuit manus Timotheo Paulus, atque sic factus est ab Apostolo episcopus. Imposuit manus iterum Timotheus; et factus est ab episcopo, aut presbyter, aut episcopus.

Quodcunque factum, nunquam misit nisi qui missus est, nunquam ordinavit, nisi qui ordinatus est, nunquam dedit, nisi qui acceperat; solus Pater misit, et non missus erat: majorem se Christo facit, quisquis non missus audet tamen alios mittere. Hæc est Jeroboami impietas; neque dextra ejus unquam ariditate dignior fuit, quam cum impleret manus hominum [c], atque ita se facere sacerdotes diceret.

Contra naturæ leges est, ut oves pastorem creent, ut relictis suis pastoribus coeant, et ex ipsa negatione obedientiæ, sibi jus alios constituendi condant, aliosque rursum mittendi potentiam sumant.

Sub virga Aaronis est domus Levi; tota potestas spiritualis non redundat a populo ad clerum, sed a clero derivatur ad populum: non a domo, sed pro domo Levi accepit virgam Aaron; non a populo, sed bono populi fit institutio ministri; non ab hominibus neque per homines, sed a Christo Sanctus Paulus Apostolus [d]; non a populo neque per populum, sed a Deo per S. Paulum, Titus episcopus.

Neque tantum hinc institutio ministerii, sed et ministrorum distinctio petenda est. Non omnis filius Levi etiam Aaronis filius est, nec omnis Aaronis filius, sicut ipse Aaron est. Virga Aaronis pro domo Levi, omnis in ipso, et ab ipso auctoritas: non facit sacerdos, sed Aaron sacerdotem.

Quomodo hæc ad Christianos pertineant, docet nos insignis illa S. Hieronymi ad Evangelum sententia. "Ut "sciamus traditiones Apostolicas sumptas de Veteri "Testamento, quod Aaron et filii ejus atque Levitæ in "templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et "diaconi in Ecclesia vindicent." [Epist. cxlvi. ad f.]

[c] 2 Chron. xiii. 9. ubi LXX, πληρῶσαι τὰς χεῖρας ἐν μόσχῳ. [d] Gal. i. 1.

Per hanc traditionem Apostolicam, tota ordinandi potestas in episcopis resedit, nulla alii cuiquam in Novo Testamento indulta est, nulli in Veteri Ecclesia permissa. Quicquid unquam ad honorem presbyteratus dictum, semper ei ordinatio negata est; ut filios crearet permissum, non ut patres. Ita hos ordines scite distinguit Epiphanius: Ἡ μέν ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις· πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ Ἐκκλησίᾳ· ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾶν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ, οὐ μὴν πατέρας ἢ διδασκάλους. [Adv. Aerium. Hæres. lxxv. 4.]

Satis illustre hujus doctrinæ specimen in negotio Colluthi et Ischyræ editum est. Primus omnium Colluthus, cum simplex presbyter esset, Ischyram presbyterum ordinavit, sed ordinatio statim a synodo vacua et nulla pronuntiata est, Ischyrasque in ordinem laicorum redactus, cum justissima magni Athanasii censura, ὅτι Κόλλουθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε, καὶ πᾶσα χεὶρ αὐτοῦ ἄκυρος [e]. Quid huic exemplo tam insigni, tam singulari, regerant Novatores, non ignoro; sed omnia quæ opponunt nihili esse pro comperto habeo. Et sane qui ordinandi potestatem presbyteratui originaliter tribuunt, non possunt non in Aerii hæresin delabi: neque enim aliud quicquam agnoverunt S. Patres, quod hos ordines intime et necessario distingueret.

De subjecto miraculi diximus; sequitur natura.

In ipso miraculo, duo potissimum consideranda; modus, et finis. Ecce floruerat virga, ecce floruerat sola; supra naturæ leges hæc efflorescentia: quod floreret, divinæ est potentiæ, quod sola, divinæ voluntatis: ita utrobique Deus est. Erant omnes pariter aridæ, a stirpe recisæ, ab humore vitali separatæ,

[e] Apolog. de Fuga. tom. i. p. 732. ed. Colon.

germinandi facultate prorsus destitutæ: nihil illis admovetur quod naturam elevet, quod vim exsuscitet, quod vitalitatem aut imprimat, aut expromat. Non in terræ gremium defodiuntur, ut iterum radices agant: non fertilibus aquæ rivis tinguntur, ut vigore novo repullulent: sed tredecim virgæ omnes emortuæ coram arca Dei jacent, nulla naturæ vi, nulla humana arte animandæ. In medio duodecim virgarum jacet una impossibilitate eadem, et desperatione pari; cum reliquis jacet, nulla vi superior, nullo modo vitæ propinquior. Sed accedit vis divina, et inter omnes hanc unam eligit. Qui in principio rerum dixit, *Germinet terra herbam virentem*, idem huic baculo dixit, Germinet, et germinavit. *Et ecce floruerat virga Aaronis, &c.*

Quicquid efficitur ope ministerii, totum virtute divinæ tribuendum. Tingit sacerdos, et aqua peccatum abluit, infantesque regenerat, non aquæ virtute, non sua, sed promissionis efficaciæque Dei: panem consecrat, et ut corpus Christi sit efficit, non manu propria, sed ex institutione, operationeque divina: pœnitenti peccata remittit, auctoritate non sua, sed delegata, et quæ fontem respicit, *Accipite Spiritum Sanctum.* Sacros ordines episcopus confert, *neque hunc honorem sibi sumit, nisi qui vocatus, sicut et Aaron:* neque hic honor personæ, sed officii, nihilque fit nisi per eundem Spiritum, sine quo nihil revera sacrum est: ut apponatur virga, officii nostri est; ut efflorescat, potentiæ bonitatisque divinæ.

Fecit hoc Deus ad confirmandum sacerdotium, ad tollendum schisma, ad seditionem reprimendam. Ita Ipse, versu 5. *Cohibebo a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.* Ac si diceret, " Hactenus ad vos tantum clamor pervenit, et aures

" vestras verberavit: curabo ne aperte in me sæviant. " Agnoscam ordinem, quem Ipse statui, faciamque ut " sciant tribum, quam Mihi ipsi vindicavi." Separatur tribus Levi a reliquis, non ex ambitione Mosis aut Aaronis, sed ex voluntate Dei; et distinctio cleri a laicis jure plane divino nititur. Non manifestius tabernaculum Dei ab Israelitarum tabernaculis distinguitur, quam Levitæ ab Israelitis. Sæpe S. Paulus: *Num omnes Apostoli? num omnes prophetæ? num omnes doctores?* Neutiquam sane.

Inter Levitas ipsos, num omnes sicut Aaron? num omnes sacerdotes? minime gentium. Aaron pontifex est, ... ut Josephus loquitur, ἀραβάχνης [f]. Aaronis filii sacerdotes, cæteri simpliciter Levitæ. Hæc tunc constituta apud Israelitas graduum Leviticorum distinctio; et hujus distinctionis confirmatio finis est miraculi. Finis hic effectum sortitus est, tum in ipso ordine, tum in ordinis successione. Comprobavit hoc miraculum Dei institutum, ut Levitæ a reliquis tribubus separati, divino cultui suo loco moduloque inservirent, ut Aaronis filii, cæteris Levitis prælati, ac sacerdotes facti, sacrificia offerrent, suffitus adolerent, ut filius natu maximus summus pontifex esset, sanctum sanctorum quotannis semel intraret, expiationem perageret.

Quicquid hoc miraculum præstitit in ordine, idem effecit et in successione. Habent enim fructus semina, quæ terræ commissa in arbores crescunt, et rursum fructus edunt. Hæc igitur sacrorum ordinum distinctio, semel divinitus instituta e cœlo confirmata est, ut perpetua et interminata successione legi ipsi

[f] Sive ἀναραβάχης. Antiq. iii. c. 7.

coæva perduraret [g]. Facta hæc vivente Aarone, confirmatio miraculosa ad Eleazaridas et Ithmaridas universos pertinebat. Et in hunc finem reposita est in arca Domini Aaronis virga, εἰς διατήρησιν· dixitque Dominus ad Mosen, *Refer virgam Aaronis in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel.*

Imo vero, cessante Mosaica lege, arca testimonii sublata, virgaque Aaronis deperdita, manet adhuc hujusce miraculi pro sacerdotali successione contra rebelles defensio. Scriptum enim est prophetice ab Isaia, de statu evangelico: *Adducent omnes fratres vestros ex omnibus gentibus, atque etiam ex istis assumam sacerdotes et Levitas, ait Dominus.* Scil. in Ecclesia Christiana hæc ministrorum distinctio observanda. "Quod Aaron et filios ejus, hoc episcopum et pres- "byteratum esse noverimus," inquit S. Hieronymus, Ep. ad Evangelum [h]. Cavendum est itaque etiamnum, monente S. Juda, *ne in contradictione Core pereamus.*

[g] Ἐνταῦθα αἱ κατὰ τὴν Ἐκκλησίαν προκοπαὶ Ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων· ut recte Clemens Alex. P. Conf. Vind. Ignat. p. ii. c. 13.

[h] Nescio an hic erraverit Stonesius in apographo. Ipsa enim S. Hieronymi verba habemus superius: quæ in textu hic leguntur paullo diversa sunt.

ORATIO

AD EXSEQUIAS MATTHÆI WRENN

EPISCOPI ELIENSIS.

" MATTHEW WRENN, D.D. Bishop of Ely, died April 24, " 1667, in the 82nd year of his age, and was interred, accord- " ing to his own appointment, in a vault which he had caused " to be built for that purpose under the Communion Table of " the new-built chapel of Pembroke Hall, Cambridge, which " had been erected at his own expense, without any further " memorial than the initial letters of his name, and date of his " death, on his coffin." Bentham's Ely, p. 201. " He was " buried with the greatest solemnity seen in the memory of " man, performed by the whole University, twenty-four " scholars of St. John's, Peter-House, and Pembroke, being " his relations, in mourning." Lloyd, p. 612. See Peck's Desid. Curiosa, lib. xiv. p. 545. KIDD.

A memoir of bishop Wrenn, giving the dates of his principal preferments, may be found in Athen. Oxon. tit. Corbet, Rich. vol. ii. 885, 886, 887. Wood says there, that he attended Prince Charles, " after he had taken his journey to Spain." This is so worded, as if he had not known that he attended him as his chaplain to Spain; which yet is certain, as stated in the MS. History of Pembr. Hall, quoted by Kennett in his notes on Wood, by Bp. Pearson in this Oration, and by Collier, Hist. vol. ii. p. 726. And in the library of Pembroke Hall there is preserved a catalogue of books beautifully written and emblazoned by Bp. Wrenn's own hand, in which at part ii. p. 4. is an entry dated " Cal. Jan. 1623, 4," in which he speaks of himself as " redux σὺν Θεῷ factus ex Hispania." Wood also says, that Bp. Wrenn was set at liberty from his memorable imprisonment of eighteen years in the Tower " after his majesty's return." Bp. Pearson, who knew how the fact was, here states, truly no doubt, that his liberation

was the act of the same party who had imprisoned him, when they saw which way the wind had set, and began to apprehend the consequences. He was discharged in pursuance of a resolution of the House of Commons, acting under fear of General Monk, March 15, 1660. See Kennett's Register, p. 84.

Lord Clarendon, when he wrote the early part of his History, seems to have been unacquainted with the personal character of this prelate. He speaks of him as " a man of a " severe sour nature," though he at the same time says he was " very learned, and particularly versed in the old liturgies " of the Greek and Latin churches." These words have been copied by other writers. But besides the testimony of Pearson here, that his temper was admirably calm and equable, (without which he could never have borne or survived that strange captivity,) we may consider this sentence as virtually retracted at a later period by Clarendon himself. Certainly it would not be for the qualities here specified, that he afterwards found reason " to prefer the bishop of Ely's counsel and advice " before any man's" in his plans for restoring the church, that he asked him to recommend to the vacant sees, and expressed himself as hopeless of success in the business, till Wrenn should be at liberty. See his letters to Dr. Barwick in Kennett's Register, p. 14, 21, 27, 55, &c.

There is also another passage in the History, which speaks unfavourably of Bp. Wrenn, and tends to confirm the substance of one of the articles of impeachment brought against him by the House of Commons, that, by " proceeding passionately " and warmly" against the schismatics in Norfolk and Suffolk, he caused many of them to leave the kingdom, " to the " lessening the wealthy manufacture there of kerseys and " narrow cloths, and, which was worse, transporting that " mystery into foreign parts." The article in his impeachment states the incredible number of 3000 persons, who are said to have transported themselves into Holland and other foreign countries; and it gives the names of eleven master manufacturers, some of whom are said to have employed a hundred people, who had thus removed. It is however certain, that

in the latter part of the reign of Elizabeth an act was passed giving peculiar privileges to the manufacturers of Somerset, Wilts, and Gloucestershire; from which time the clothiers of those counties have generally continued to flourish, while those of Norfolk and Suffolk have entirely declined. The descendants of the Walloons and Dutch Protestants, who had settled there about the time of the Reformation, are still resident in the districts where the manufactories once were; so that there could have been no general emigration on religious grounds, as Clarendon seems to suppose. It is therefore scarcely a question, that those who went over to Holland, went for higher wages, as stated by the bishop in his able Defence. The distress neither began during his episcopate, nor ended with it.

It is not easy to say how far the excitement of the time may have influenced others; but the Defence, confirmed by the records in the episcopal register, shews that, in a diocese with about 1500 clergymen, not above thirty had been under any censure or monition, of whom some had been for a time restrained, but only six finally deprived. At a time when all bishops were expected to enforce discipline and require conformity, it was not likely that it could have been done with fewer prosecutions. The other charges in his impeachment relate to the ordinary grievances of raising chancel-floors, setting up altar-rails, removing pews, and ordering his clergy to preach in surplices. One point, strongly urged also in Sir Thomas Widdrington's speech on his prosecution, is that he had ordered the church-bells to chime alike for all church-services, whether there was a sermon or not. Yet while denouncing him for thus "robbing souls of the sweet manna "of God's word," his accuser admits, "as for preaching, "that he is most able in this kind is agreed by all." See Nalson's Collection ii. 395. sqq. Also Abp. Laud's Troubles and Trial, p. 541, 2. 548, 9.

The Meditations or Commentaries on Scripture, which Pearson says he wrote in the Tower, appear to have been lost; unless we have a portion of them in "A Brief Theo-"logical Treatise touching that unlawful Scottish Covenant,

" which was in the late ungracious times obtruded upon the " people of England: written first upon sundry private " occasions, in prison, by Matthew Ld. Bishop of Ely, after " the manner of a Sermon upon these words, Ps. xliv. 18. " ' Nor behave ourselves frowardly in Thy Covenant.' Now " thought fit to be published by him for the present use of " his Diocese, the readilier to prepare all therein, Divines and " others, for the due abrenunciation of the said Covenant, " which they are out of hand to make by virtue of the Act for " Uniformity." Lond. 1662. 4to.

Some interesting anecdotes relating to his imprisonment may be found in the " Parentalia, or Memoirs of the Wrenn " Family," written by Christopher Wrenn, son of the architect. They do not however add much to Bp. Pearson's sketch of his life in this oration; from which a good portion is rather inartificially incorporated with the memoir of Bp. Wrenn. They state nothing about the bishop's sons, mentioned by Pearson, of whom some account may be found in Wood and Kennett. And they say nothing of his writings in the Tower; which one would suppose might have been better worth preserving, than many Prison Thoughts, with which the world has been indulged.

ORATIO

HABITA IN CAPELLA PEMBROCHI AD EXSEQUIAS

MATTHÆI WRENN

EPISCOPI ELIENSIS

PER JOANN. PEARSON, S. T. P.

ET COLL. S. TRINITATIS MAGISTRUM.

REVERENDISSIME Domine, Dom. Procancellarie, Nobilissimi Juvenes, Viri Ornatissimi Spectatissimique:

Si unquam mihi in ullo reipublicæ literariæ negotio exoptandum fuit, ut feliciter cederet, et officio auspicate suscepto eventus respondèret, certe hoc potissimum tempore votis omnibus expetendum videtur, ut digna nobis, digna præsule contingat oratio: ne vel Academiæ existimatio, vel Ecclesiæ honos et dignitas, aut animi mei imbecillitate, aut verborum penuria, aut infirmitate judicii evilescat. Neque enim hactenus amplissimo huic artium domicilio, quod habitamus, justior sese efferendi occasio indulta est; neque religionis quam colimus illustrior unquam splendor emicuit, quam in ejus antistitis vita, rebusque gestis, ac varietate fortunæ, cujus exsequias funebri solennitate celebramus. In quo uno viro, si hæc Musarum sedes, quicquid honestum, nobile, gloriosum, ostendere potuit, non exhibuit; in

quo, si fama ab omnibus meritissimo elicita, extorta, ad nos non maxima redundavit; de honore literis vindicando in æternum plane desperandum est. Adspicite sacras infulas vobis quasi in Lycæo ante oculos positas, cogitate hæc episcopatus insignia tanquam tropæa ad Athenas reducta[a]; sed præcipue Matthæum, præsulem vestrum, animo, memoria recolite, cujus feretrum non magis manifeste hæc ornamenta gestavit sustentavitque, quam ipse, dum viveret, sacrum illum ordinem dignitatemque suffulsit, excoluit, ornavit. Erit igitur operæ pretium, viri gravissimi, et vobis grata cogitatione revolvere, et mihi luculentæ orationis filo explicare, quibus auspiciis consummatissima quæque aggressus sit, quibus gradibus ascenderit, per quas ambages et diverticula transierit; ut ejus vestigia legentes, illius exemplo ducti, illius virtutibus ornati, tantum ducem sequi discamus, et ad tam ardua tamque præclara anhelemus.

Ut familiam mire antiquam ac satis nobilem, cæteraque, quæ in exemplum trahi minus possint, præteream; ad academiam accessit summæ spei juvenis, nec vulgari expectatione, aut aliorum more missus, sed, (quod felicissimi ominis erat,) a Lancelotto Andrewsio, laudatissimo hujus Aulæ præposito, expetitus, accersitus, adductus: illius manu in hoc feraci episcoporum solo primulum positus, illius cura diligenter observatus, consiliis perpetim instructus, favore pertinaci excitatus, bonarum literarum studiis totum se dedit, perpetuis vigiliis animum excoluit, corpus maceravit, attrivit, exhausit. Brevi, artium linguarumque insigni peritia notissimus, publicis academiæ muniis exercitiisque summa cum laude perfunctus, ritus religiosissime observabat, disciplinam acerrime exercuit, privilegia gravis-

[a] The funeral solemnity was conducted by a herald, and the deceased Bishop's mitre and crosier laid upon the altar. *Cole's MS.*

sime tuebatur, tamque altum animo harum sedium amorem concepit ac fixit, ut non ætatis longinquitas, non iniquitas temporum, aut obliterare aut diminuere potuerit. Postquam omnibus humanioribus literis, liberalissimisque studiis eruditus, excultus, ac perpolitus evaserat; tota mente atque omni animi impetu in Ecclesiam incubuit. Et sane eximia acerrimaque ingenia, hominesque omni doctrinæ genere et illustris cujusque notæ dotibus maxime florentes, theologia quasi jure suo sibi vindicat; neque enim melius omnes animi vires, quam in pietate excolenda, in cultu Dei exornando, in rebus divinis celebrandis, exerceri et impendi possunt. Dum in his versatur vir rara conspiratione et doctissimus et pientissimus, et ad promovendos academiæ fines et Ecclesiæ pariter intentus, quamvis inter hos parietes, quos tantopere coluit, delitescere videretur, aut Lancelotto suo fidissime obsequentissimeque adhæresceret; in summa expectatione esse cœpit; nihil erat tantum, quod non ab illo perfici atque obtineri posse omnes judicabant; neque perspicacem sapientissimi Regis Jacobi oculum latere potuit, cui erat ante vel ex subselliis nostris satis cognitus atque perspectus. Quare eo temporis articulo, quo familia principis verum Ecclesiæ Anglicanæ et exploratissimæ fidei filium postularet, hunc potissimum sua sponte et ex judicio proprio, hoc est, maximo, a sacris Carolo suo assignavit. Cui rei hic etiam honoris cumulus accessit, quod tam secreto gesta sit, ut in dubio relinqueretur, an daretur a Rege, an peteretur a principe: quæ dubitatio adhuc etiam felicissime aucta est, quod utrique pariter carus esset; et in illo secreto hoc certe apertum et perspicuum fuit, quod majori arcano præluderet. Ecce enim alte insedit animo prudentissimi Regis rei gerendæ certissimum consilium,

quæ toti terrarum orbi, cum ageretur, miraculo fuit, et postquam gesta est, fortasse nunquam desierit: adeo fatigantur et caligant hominum ingenia, qui arcana principum rimari, et publicorum negotiorum causas discutere, ac rationes pernoscere, satagunt, ambiuntque. Statutum est regum solertissimo filium unicum, regni triplicis hæredem, indulgentissimi patris dilectissimam prolem, paternæ familiæ spem et solatium, Carolum, in oras Hispaniæ mittere; prudentissimæ occultissimorumque consiliorum genti, nobis hactenus ex versutia, superbia, et diuturna inimicitia notæ, non exercitu cinctum, non classe armatum, (quales Angli Hispanos petere solebant,) concredere, et eorum fidei satis suspectæ, sua tantum prudentia munitum, committere. Cum igitur Matthæus vester optimo principi in negotio periculosissimo, a sacris, dixerim, an a secretis, esset;—ubi enim vera pietas radices egit, et pectus haud ficta religione penitus imbutum est, hæc, apud alios tam late discrepantia, aut nihil aut parum differunt;—tum vero religionis nostræ fundamenta tam diserte ubique explicavit, nervoseque defendit, et nodos ab ecclesiasticis viris ad res principis implicandas nexos tanto cum acumine privatim dissolvit, ut nec ullis aliis artibus reditus principis ad patrem magis aperte patuerit[b].

[b] It is perhaps not improbable, from what is here stated, that Bp. Wrenn drew up the letter sent by prince Charles out of Spain in answer to one brought by a nuncio of pope Gregory XV; a copy of which may be found in Annals of K. James, p. 77. Lond. 1681. fol. The letter is remarkable for the singular falsification of it published by Prynne in his "Popish Royal Favourite" Charles speaks of his desire to imitate the example of his ancestors the former kings of England, "qui fortunarum et vitæ ipsius "discrimen adiverunt, quo fidem "Christianam latius propaga-"rent." Prynne gives a French and English version, which translate the last clause, "pour l'ex-"altation du Saint Siege," "for "the exaltation of the Holy "Chaire." The rest is similarly perverted.

Cæterum, si ullo indicio, viri gravissimi, reputare cupiamus, quanta academiæ nostræ illa tempestate æstimatio fuerit; non aliunde conjecturam faciendam reor, quam quod hic eam tam ardenter deperiret, ut huc a reduce principe convolaret; Carolus tanta cura dignatus, tanta indulgentia prosecutus sit, ut ad eam ornandam a suo quasi latere Matthæum dimitteret.

Prætereo beneficii opimitatem, qua statim remuneratus; præbendæ dignitatem, qua ornatus. Ad collegii D. Petri gubernacula admotus potius quam evectus, cum socios omnes moderatione animi atque imperii ad summam concordiam pertraxisset, juventutem ad studia bonarum literarum excitasset, nova etiam ædificia exstruxisset, archiva collegii blattis et tineis erepta, excusso pulvere, summa industria in luculentum ordinem redegisset; videretque pietatis officia, ob defectum sacrorum in sinu collegii conventum, et emendicatam quandam Deo serviendi extra pomœria licentiam, minus decore peragi; quod proprio sumtu tunc temporis efficere non potuit, alieno impendio, sed sua apud bonos auctoritate, capellam exstrui et ornari curavit. Procancellarius factus, disciplinam collapsam restituit, omnes in officio continuit, Academiam ipsam docuit, ut se tandem aliquando intelligeret.

But as to the other sacrament, the Supper of the Lord, your case is far worse. For to that you are often invited, nay obliged to receive it thrice a year; and I doubt not but [you] earnestly desire frequently to participate of the body and blood of your Saviour. Whereas, if you be resolved that your pastor established is not a priest or presbyter, and consequently hath no power to consecrate the elements, or render them sacramental, I cannot see how you can follow him to the holy table, or with what comfort or conscience you can bring your family, or concur with your neighbours, to receive the elements from his hands. And yet abstaining from the sacrament, you are thereby deprived

of the spiritual strength and comfort which you desire and have cause to expect; and are moreover betrayed to the censures of the Church, in compliance to whose doctrine you are rendered disobedient to her commands.

Lastly, the unfeigned exercise of religion is undoubtedly, as never more necessary, so never so comfortable as upon the bed of our sickness, especially upon the approach of death: wherefore the Church hath taken great care that the minister shall attend, and how he shall behave himself in the visitation of the sick, for their comfort and advantage. This comfort I confess must be taken from you, who are of that persuasion concerning your pastor; for if upon the apprehension of your latter end you feel your conscience troubled, and being observant of the method prescribed, desire to make a special confession, and receive the benefit of absolution; to which end the priest is ordered to use these words, "By the authority of "Christ committed to me, I absolve thee of all thy "sin:" you will never acquiesce in the absolution, where you acknowledge no commission, nor can you expect any efficacy, which dependeth upon the authority.

These and the like I look upon not as formal objections, or cavils, but as real and severe complaints raised upon sober and religious grounds, matter for Christian zeal rather than moderation. And therefore I cannot persuade myself, that any person endued with any kindness or care of the religion settled in this nation, can ever contrive or assent unto so great a discouragement to the conscientious professors of it, and confusion in the management and administration.

FIVE PREFACES

TO VARIOUS THEOLOGICAL WORKS.

PRÆFATIO

AD

CRITICOS SACROS, SIVE DOCTISSIMORUM VIRORUM IN SS. BIBLIA ANNOTATIONES ET TRACTATUS.

A. D. 1660.

PRODIIT nuper, et nunc inter manus hominum versatur, librorum optimus, Biblia scilicet Polyglotta, editionem feliciter procurante viro admodum reverendo BRIANO WALTONO S. T. D. aliisque viris cl. de Religione et S. Literis quam optime meritis. En tibi jam prodit, lector pie et erudite, (tibi enim soli utrinque et seritur et metitur, tibi soli utrumque prelum insudavit, et Waltonianum, et nostrum,) prodit, inquam, liber, si ita loqui fas sit, δευτερόπρωτος, primo tantum posterior, optimoque proximus, Critici nimirum Sacri. Quid enim post literas natas melius, quid optabilius, quam ut primum S. Scripturæ textus originales una cum versionibus antiquis ὑπὸ μίαν σύνοψιν redigerentur, adeo ut simul ac semel omnia et conspici et conferri possent; dein et ejusdem S. Scripturæ sensus, quem vocant, literalis et grammaticus, qui ipsissima Scriptura est, atque ipsummet Dei verbum, a viris

eruditione, ingenio, judicio instructissimis erueretur? Illud autem viri quos modo dixi, viri sæpius, semper memorandi, summa cum accuratione ante triennium præstiterunt: hoc vero præcipue CORNELII BEE, hominis ad antiquiores melioresque literas juvandas nati, curæ et impensis acceptum ferimus. Is enim vere φερώνυμος quicquid vel ex suapte peritia vel ex indicatione aliena dignum compererat, id omne sedulo conquisitum in hunc thesaurum sacrum, in hanc catenam biblicam, vel, si mavis, (nec enim facile est tantum opus satis amplo titulo cohonestare,) in hanc bibliothecam hagio-criticam, sicut apis "puro distendit nectare cellas," congessit, et in tuos usus recondidit. Enimvero quotquot uspiam ἀξιομνημονευτότερα in divinis voluminibus occurrunt, res, personæ, actiones, loca, tempora, regiones, urbes, templa, instrumenta, vasa, pondera, mensuræ, nummi, habitus, gestus, munera, ritus, leges, consuetudines, omnia docte hic et dilucide enarrantur. Hic non solum explicantur typorum mysteria, prophetiarum et parabolarum ænigmata, adeoque S. Textus loca difficiliora, quin et insuper vocum ipsarum origines, usus, significata, imo apices nonnunquam et minutiæ pensiculatius examinantur. Hic exhibetur quicquid ad divinas paginas vel Synagogæ Rabbini vel Ecclesiæ Doctores subtilius annotarant. Hic componuntur sacrosancta Dei oracula cum exterorum monumentis, Hebræorum leges cum institutis gentilium, Odæ Davidis, Solomonis Parœmiæ, aliorumque scriptorum Θεοπνεύστων gnomæ cum ethnicorum poetarum, rhetorum, philosophorum sententiis parallelis. Hic denique, (quod optimum est interpretandi genus,) videre est mirum SS. Codicum consensum concentumque, alteriusque ut "alter poscit opem locus, et conjurat amice."

Sed non opus est ut hederam hic nostram prætexa-

mus: inspice catalogum, et invenies nomina omni lauro, omni laude majora. Quis singulorum fuerit Annotatorum scopus, quod consilium negotiumque, ex ipsorum, quas catalogo subjunximus, præfationibus constabit melius, optime ex opere. Annotationes, quæ in septem usque tomos excreverunt, duobus insuper tractatuum tomis cumulantur: de quibus hoc tantum nos dixisse sufficiat, hi etiam et ipsi annotationes sunt, idque et criticæ, et sacræ, saltem dignissimi qui annotationibus ejusmodi quasi appendix et Ἐπίμετρον adjiciantur.

Jam quæ nostræ in hoc opere partes fuerint, restat ut exponamus: quod, ne te diutius moremur, paucis accipe. Hoc in primis tibi penitus persuasum iri cupimus, imo expetimus, et exspectamus; nos non cinnum hic commiscuisse, aut consarcinasse centonem, verum auctores tibi exhibere integros et illibatos. Adeo enim nobis pene religio fuit ipsos mutilare, ut etiam ubi alterius verba usurpat unus, et item alter, deinde tertius, atque ita ad eundem locum eadem non sensu tantum sed et verbis plures commentantur, nos eadem verba, licet aliquantulum gravate, identidem reposuerimus, veriti scilicet, si ullibi vel superflua omisissemus, ne quis alibi et necessaria nos omisisse suspicaretur. Aliquid tamen juris nobismetipsis permisimus, idque e re tua, uti speramus, et cum bona venia. Nam non solum quamplurima, quæ oscitabundi typographi χύδην et promiscue ediderant, sed quædam etiam quæ auctores ipsi in alieniorem locum rejecerant, nos opportuno et suo collocavimus. Sic quatuor illi annotationum rivi, quos tumultuario quodam impetu magnus ille eruditionis torrens Jo. Drusius in N. F. profudit, jam in unum alveum collecti leni cursu labuntur. Sic quæ H. Gro-

tius ὁ πάνυ ad Decalogum, ad Ephes. i. ad 2 Thess. ii. 1—12, ad Jac. ii. 14, &c., ad 1 Joh. ii. 18—24, et iii. 9, et iv. 1—5, item ad Apoc. xiii. et xvii. fusius disseruit, et certas ob causas annotatis ad Evangelia subjunxit, in hac nostra editione proprias singula stationes obtinent. Ejusdem viri cl. Appendix ad interpretationem locorum N. T. quæ de Antichristo agunt aut agere putantur, annotata ad Apoc. xvii. immediate subsequitur. Reliquorum quæ sparsim interseruimus sedes tibi indigitabunt catalogi. Optima semper exemplaria sequuti sumus; veruntamen ad errata ipsorum corrigenda, et supplendas lacunas, pejora non raro nobis subsidio fuerunt. Quæ in catalogo asteriscis præfixis insigniuntur, nunc primum in lucem prodeunt: reliqua antea excusa nos denuo tibi repræsentamus. Loca vel ex SS. Scripturis vel aliunde citata diligenter examinavimus, atque inibi deprehendimus multa mendarum millia, quas aut preli incuria fuderat, aut scriptores, ut fit, nimium properantes, parum caverant. Omnia summa qua potuimus cura recensuimus: quæ in manifesto errore tenebantur, purgavimus; ubi res erat in dubio, conjecturis duntaxat adhibitis, liberum tibi reliquimus judicium. Characteres, quoties opus fuit, rite variavimus, et pravis interpunctionibus sublatis substituimus aptiores, atque ita locis obscuris et involutis emphasin suam dedimus et perspicuitatem. Denique non pudet, imo juvat, meminisse quantum negotii nobis facesserint minutiæ typographicæ, quodque per integrum fere sexennium literulis, numerorum notis, punctis, accentibus intenti fuerimus, et tantum non immersi. Hæc enim utcunque nugæ videantur, tamen "seria ducent in mala," ubi fuerint neglecta; et quicquid tuo commodo poterit inservire, nos nec nimis durum unquam

judicabimus, nec nobis indignum. Vale; utere, fruere nostris laboribus, eosque boni consule.

Jo. Pearson, Archidiaconus Surriensis.

Ant. Scattergood, Ecclesiæ Lincolniensis Canonicus.

Fra. Gouldman, Ecclesiæ Okendon Australis in Comitatu Essexiæ Rector.

Ric. Pearson, Coll. Reg. Socius.

Some account of Bp. Pearson's literary associates in the Critici Sacri, and of the bookseller Mr. Cornelius Bee, whose discernment and noble spirit of enterprise occasioned the undertaking and completion of the work, will be found in the Memoir prefixed to these volumes.

PRÆFATIO PARÆNETICA

AD VETUS TESTAMENTUM GRÆCUM EX VERSIONE SEPTUAGINTA INTERPRETUM; JUXTA EXEMPLAR VATICANUM ROMÆ EDITUM.
CANTABRIG. 1665.

CUM multa sint quæ de versione LXXvirali, typis academicis impressa, dici possent, ea tantum hoc loco tradenda duxi, quæ animum theologiæ studio addictum ad eam assidue pervolvendam et accurate perpendendam maxime impellant. Neque vero de ejus antiquitate dignitateque quicquam inpræsentiarum dicemus, de quibus viri docti multa, hoc præsertim sæculo, scripsere; qui cum maxime inter se dissentiant, nihil adhuc satis certi et explorati videntur tradidisse.

Primo itaque versionem hanc frequentius consulendam diligentiusque excutiendam arbitror, quo melius Veteris Testamenti mens intelligatur, et Mosis Prophetarumque sensus liquidior appareat. Cum enim textus Hebraicus, quemadmodum apud nos hodie exstat, et vel Judæorum vel Christianorum commentariis enarratur, sæpe obscurus sit; hi interpretes facilem aliquando sensum, apertum, et concinnum præbent.

Fateor equidem hunc explicandi modum, a Senioribus illis haustum, non in eo pretio apud plerosque esse quo oportuit, ex opinione nimis pervulgata, LXXviralem scilicet versionem esse ab Hebraica veritate maxime alienam; eandemque interpretandi rationem video multo invidiosiorem ab iis hominibus factam esse, qui, cum sint textui Masoretico maxime infensi, auctoritati LXX plurimum tribuere videri volunt; quales hoc sæculo fuere Morinus et Capellus, viri sane docti, sed hypothesibus suis nimis addicti, et ingenio suo nimium plerumque tribuentes. Quam autem feliciter Seniores illi S. Scripturam sint interpretati, vel inde luculenter apparebit, si consideremus quam infeliciter fuerint malæ interpretationis accusati. S. quidem Hieronymus passim hanc versionem vituperat, ejusque auctoritatem labefactare conatur; sed sæpenumero sine ratione. Legimus, Gen. xxv. 8. וַיִּגְוַע וַיָּמָת אַבְרָהָם quæ verba Seniores in hunc modum transtulerunt, *καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν Ἀβραάμ*. S. autem Hieronymus breviter hunc locum ita repræsentat, *et mortuus est Abraham*, statimque subjungit, "Male in LXX interpretibus additum "est, *et deficiens Abraham mortuus est*, quia non con- "venit Abrahæ deficere et imminui [a]." At neque male additum, neque quidem additum est. Quis enim nescit et וַיִּגְוַע in Hebræo legi, et גוע recte reddi per *τὸ ἐκλείπειν*, quod vocabulum non imminutionem Abrahæ, sed euphemismum continet, et placidam ac quietam mortem denotat. Ita certe Onkelos et Jonathan reddidere וְאִתְנְגִיד וַיְמוּת, et Vetus Interpres hic S. Hieronymum deseruit, transtulitque, *et deficiens mortuus est*. Est igitur *τὸ ἐκλείπειν* Græcis interpretibus *expi-*

[a] Quæst. Hebr. in Genesin, tom. iii. p. 344.

rare, mori. Quod non erat exagitandum, sed observandum potius; idque ad intelligendum S. Lucam, apud quem, cap. xvi. 9. Christus ita loquitur: Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα, ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. Licet enim et Alexandrinus et Cantabrigiensis MSS. aut ἐκλείπῃ aut ἐκλίπῃ legant, quam lectionem etiam Syrus est secutus cum Æthiopico; non dubito tamen quin ἐκλίπητε, ut reliqui omnes legunt, primo scriptum fuerit, et mutatum in ἐκλείπῃ ab iis qui hunc τοῦ ἐκλείπειν sensum non observassent: est enim ὅταν ἐκλίπητε, vulg. vers. *cum defeceritis*, loquendi modo LXX præsertim familiari, *cum moriemini;* sive, ut recte Theophylactus, ἵνα, ὅταν ἐκλίπωμεν, καὶ ἀναχωρῶμεν ἐκ τοῦ βίου.

Ita Gen. xxvi. 17, Veteres ex Græco Latini, *et abiit inde Isaac, et venit in vallem Gerarum, et habitavit ibi.* Ad hæc S. Hieronymus, " Pro *valle, torrentem* habet in " Hebræo [b]:" scilicet בְּנַחַל־גְּרָר. At נַחַל tam *vallem* significat quam torrentem; locum nempe depressum, sive aquis coopertus, sive nudus sit [c]. Nulla igitur causa a voce Hebræa, ob quam non tam *vallis* quam *torrens* verteretur. At rationem affert doctissimus Pater ex contextu, miram sane: " Neque enim Isaac, " postquam magnificatus est, in valle habitare poterat." Neque hac importuna objectione contentus, ad vers. 19. *Et foderunt pueri Isaac in valle Gerarum, et invenerunt ibi puteum aquæ vivæ*, hæc annotat: " Et hic pro *valle* " *torrens* scriptus est. Nunquam enim in valle inveni- " tur puteus aquæ vivæ." Mira quidem hæc philosophia; mira hæc a S. Hieronymo profecta, cujus Psalmorum versio juxta Hebraicam veritatem habet, *Qui emittis fontes e convallibus.* Frustra igitur hic su-

[b] Quæst. Hebr. p. 346. [c] Vid. Hammondi not. in Psalm. cx. 7.

gillantur LXX, nec bene Vulgatus Interpres eos reliquit, ut S. Hieronymum sequeretur; unde commentatorum pueriles errores pullularunt.

Legimus, Gen. xxviii. 19. וְאוּלָם לוּז שֵׁם הָעִיר לָרִאשֹׁנָה: LXX: *καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον.* Ad quem locum hæc habet S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis [d]: "Ridicule quidam verbum "Hebraicum *ulam* nomen esse urbis putant, cum *ulam* "interpretetur *prius*. Ordo itaque iste est lectionis, *Et* "*vocavit nomen loci illius Bethel, et prius Luza voca-*" *bulum erat civitatis.* Antiquæ omnes Scripturæ verbo "*ulam*, sive *elem*, plenæ sunt; quod nihil aliud signat "nisi *ante* aut *prius*, vel *vestibulum*, sive *superliminare*, "vel *postes* [e]." At *οὐλὰμ* hic non est nomen urbis, sed pars nominis: ut cum apud Strabonem legimus, *μεταξὺ δὲ Πολίχνης καὶ Παλαισκήψεως ἡ Νεακώμη* [f], *πάλαι* non est nomen urbis, sed *Σκήψει* additum urbem significat, quæ quinquaginta [g] stadiis superius steterat quam postea *ἡ νέα Σκῆψις*, ut Strabo loquitur. Neque ulla ex diversis significationibus *τοῦ* אוּלָם huic loco convenire potest; non *vestibulum*, sive *superliminare*, non *postes;* imo nec *ante* aut *prius;* illud enim hic לָרִאשֹׁנָה. Relinquitur igitur ut pertineat ad nomen urbis, quod LXX potuit esse notissimum, qui DC annis ante S. Hieronymum vixere [h]. De hac urbe Οὐλαμλοὺζ

[d] Quæst. Hebr. p. 349. Eadem fere habet in versione Eusebii Libri de Situ et Nominibus Locorum Hebr. ad voc. Βαιθήλ. ib. p. 166.

[e] "postea," in impressis, errore typothetarum. Pauca alia menda hic illic correximus.

[f] Lib. xiii. p. 603. Idem, lib. xvi. p. 758. *Μετὰ δὲ τὴν Τύρον ἡ Παλαίτυρος.*

[g] "sexaginta" in impressis. Error natus e numero LX in loco Strabonis paululum huic prævio, ubi de Troum Catalogo Homerico loquitur, et versus numerat.

[h] Diversa ratio est qua Joannes Clericus hanc Hieronymi censuram impugnat, negans scil. vocem אוּלָם significare unquam *prius:* ad quem respondet Vallarsius ad loc. Hieron. tom. iii. p. 166.

Eusebius in Locis Hebraicis, *αὕτη ἐστιν ἡ καὶ κληθεῖσα Ζαβουλὰ, καὶ μετὰ ταῦτα Βαιθήλ.* Ita Codex Bonfrerii, sed corruptus, ut ipse suspicatus est. At Codex meus, MS. *κληθεῖσα Λοῦζα* [i], quod sequentia firmant, *δεδήλωται ἀνωτέρω.* Nempe in voce *Βαιθήλ, ἣ δὲ τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο καὶ Λοῦζα,* et in voce *Λοῦζα, ταύτην ἐπωνόμασεν Ἰακὼβ Βαιθήλ.*

Pariter LXX malæ fidei frustra et sine ratione accusantur, Gen. xiii. 13. *Et viri Sodomorum mali et peccatores in conspectu Dei vehementer.* " Superflue," inquit S. Hieronymus, " hic in LXX interpretibus " additum est, *in conspectu Dei.* Siquidem Sodomorum " coloni apud homines mali et peccatores erant; ille " autem dicitur *in conspectu Dei* peccator, qui potest " apud homines justus videri." At certe illa verba, *in conspectu Dei,* non sunt superflue addita, sed ad interpretandum לַיהוָה in Hebræo. Neque mala est interpretatio, si accipiamus לַיהוָה pro לִפְנֵי יְהוָה; ita Chald. קֳדָם יְיָ, ita Vulg. *peccatores coram Domino nimis.*

Quid quod doctissimus Pater Aquilam " proselytum " contentiosum," Symmachum et Theodotionem " Ju- " daizantes hæreticos [k]" sæpe sequitur, et LXX Interpretibus præfert, ubi nulla omnino præferendi ratio comparet? Ut Psalm. lxxxix. (xc.) 7. " Pro eo quod " nos diximus, *turbati sumus,* Symmachus et Aquila " transtulerunt, *acceleravimus.*" Et paulo post: " Pul- " chre autem, non ut in Septuaginta habetur, *turbati*

[i] Ita etiam ex codice Vaticano emendavit Vallarsius, ad Hieron. Opp. tom. iii. p. 288.

[k] Vid. Hieron. Epist. lvii. §. 11. et Comment. in Abacuc, lib. ii. ad cap. iii. 13. De Aquila plura habet Epiphanius De Mensur. et Ponder. c. xv, xvi. De Symmacho et Theodotione, ibid. c. xvi, xvii. De his versionibus fusius agit J. G. Carpzovius in Introd. ad Libros Vet. Test.

" *sumus*, sed juxta Hebraicum, *acceleravimus* dicitur." Imo vero juxta Hebraicum *ἐταράχθημεν*, *turbati sumus*, dicitur; id enim omnino נִבְהָלְנוּ sonat. Licet enim בהל in Piel aut Hiphil *festinare* aut *accelerare* significet, in Niphal tamen *subito terrore percelli*, et *conturbari* denotat. Ut Psalm. vi. 3. וְנַפְשִׁי נִבְהֲלָה מְאֹד וְאַתָּה יְהוָה עַד־מָתָי *ἴασαί με, Κύριε, ὅτι ἐταράχθη τὰ ὀστᾶ μου, καὶ ἡ ψυχή μου ἐταράχθη σφόδρα.* Quem locum ipse S. Hieronymus juxta Hebraicam veritatem ita transtulit: *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea conturbata est valde.* Et Psalm. xlviii. 5. נִבְהֲלוּ נָחְפָזוּ, *ἐταράχθησαν, ἐσαλεύθησαν·* [LXX.] Hieron. *conturbati sunt, admirati sunt.* Imo, quod ulterius observandum est, ipse doctissimus Pater, qui in Epistola ad Cyprianum[l] ita versionem LXX vituperat, in versione sua juxta Hebraicam veritatem Seniores sequitur: *Consumpti sumus in furore tuo, et in indignatione tua conturbati sumus.*

Gen. xxxviii. 5. Vetus Latina versio ex LXX facta, *hæc autem erat in Chazbi, quando peperit eum.* Ad quæ verba S. Hieronymus, Traditionibus Hebraicis in Genesin: " Verbum Hebræum hic pro loci vocabulo " positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens, " *Et vocavit nomen ejus Selom. Et factum est, ut men-* " *tiretur in partu postquam genuit Selom.* Postquam " enim genuit Selom, stetit partus ejus. *Chazbi* ergo, " כָּזְבִּי non nomen loci, sed *mendacium* dicitur[m]." At nec כָּזְבִּי in Hebræo legitur; nec *mendacium*, si ita

[l] Epist. cxl. (al. cxxxix.) 10.

[m] Quæst. Hebr. p. 364. " Con- " tra Hieronymum sentiunt in- " terpretes plerique alii veteres " recentesque." Vallars. in loc. In versione vocis *Achzib*, Mic. i. 14. quæ Drusio eadem est cum *Chezib* in Gen. melior est consensus inter Seniores et Hieronymum.

legeretur, significaret, quod est כָּזָב, neque וְהָיָה בְכָזִיב exponi possunt, *et factum est in mentiendo*, sive *ut mentiretur*, cum כזיב infinitivi formam non habeat. Vocabulum igitur loci agnoscit Onkelos, et cum eo R. Solomon et Aben-Ezra. Eusebius diserte, Lib. de Locis Hebraicis, Χασβεὶ, ἔνθα ἐπήχθησαν, (ita Euseb. a Bonfrerio editus, sed rectius MS. noster,) Χασβὶ, ἔνθα ἐτέχθησαν τῷ Ἰούδα παῖδες· δείκνυται νῦν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως ἔρημος πλησίον Ὀδολλάμ. Frustra igitur hic Aquila Senioribus præfertur, et Vulgata Versio immerito S. Hieronymum est secuta, *quo nato parere ultra cessavit.*

Gen. ii. 8. וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים גַּן בְּעֵדֶן מִקֶּדֶם LXX, Καὶ ἐφύτευσεν Κύριος ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς. Omnia proprie atque perspicue. Ad hæc S. Hieronymus, " pro *paradiso* in Hebræo *hortum* " habet; id est, *gan* [n]." At erat ille hortus arborum omni genere consitus, qui certe est παράδεισος. Quod vocabulum et locum hunc sine dubio recte expressit, et ad superiorem sensum in Novo Testamento ideo est accommodatum. " Porro," inquit, " Eden, עֵדֶן, *deliciæ* " interpretantur." Recte: ita Hesych. Ἐδὲμ, τρυφή. Et Suidas, v. Παράδεισος. Ἐδὲμ δὲ τροφὴ ἑρμηνεύεται. Lege, τρυφή. Ita Patres. " Pro quo Symmachus trans- " tulit *paradisum florentem.*" At hoc minus recte; licet enim עֵדֶן delicias denotet, hic tamen nomen loci est, quod ex adjuncta præpositione patet: גַּן בְּעֵדֶן non est *paradisus florens*, neque בְּעֵדֶן ad גַּן proxime spectat, sed ad וַיִּטַּע referri debet. Et nomen loci esse perspicuum est ex iis quæ dicuntur de Caino Gen. iv. 16.

[n] Quæst. Hebr. p. 307.

Καὶ ᾤκησεν ἐν γῇ Ναὶδ κατέναντι Ἐδέμ. Recte Eusebius de Locis Hebraicis, Ἐδὲμ, ὁ τοῦ θείου παραδείσου τόπος εἰς ἀνατολάς· ἑρμηνεύεται δὲ καὶ τρυφή. Sed progreditur doctissimus Pater: "Necnon quod sequitur, *contra* "*orientem*, in Hebræo *mikedem*, מִקֶּדֶם scribitur, quod "Aquila posuit ἀπὸ ἀρχῆς, et nos, *ab exordio*, possumus "dicere; Symmachus vero, ἐκ πρώτης, et Theodotion, ἐν "πρώτοις, quod et ipsum non *orientem*, sed *principium* "significat. Ex quo manifestissime comprobatur, quod "priusquam cœlum et terram Deus faceret, paradisum "ante condiderat, sicut et legitur in Hebræo: *Planta-*"*verat autem Deus paradisum in Eden a principio.*" Ita doctissimus Pater in sententiam incidit, Judaicorum interpretum gratia ductus, cui nec Judæi ipsi favent [o].

Ex eodem fonte fluxerunt aliæ adversus Seniorum interpretationem exceptiones. LXX, Gen. xxxiii. 1. Καὶ διεῖλεν, vel ἐπιδιεῖλεν, Ἰακὼβ τὰ παιδία ἐπὶ Λείαν, καὶ ἐπὶ Ῥαχὴλ, καὶ ἐπὶ τὰς δύο παιδίσκας. *Et divisit pueros super Liam, et super Rachel, et super duas ancillas.* Ad hæc verba S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, "non, ut plerique existimant, tres turmas fecit, sed duas. "Denique ubi nos habemus *divisit*, Aquila posuit ἡμί-"σευσεν, id est, *dimidiavit;* ut unum cuneum faceret "ancillarum cum parvulis suis, et alium Liæ et Rachel, "quæ liberæ erant, cum filiis earum [p]." At melius LXX Hebræum וַיַּחַץ transtulerunt *divisit*, quam Aquila *dimidiavit;* est enim חָצָה simpliciter *dividere*, in quotcunque partes divisio fiat; ut Jud. ix. 43. וַיִּקַּח אֶת־הָעָם וַיַּחְצֵם לִשְׁלֹשָׁה רָאשִׁים *Et tulit exercitum suum, et divisit*

[o] Vid. libr. Apocryphum 2 Esdræ iii. 6. quem locum contulit Vallarsius.

[p] P. 385.

in tres turmas. Et Dan. xi. 4. תִּשָּׁבֵר מַלְכוּתוֹ וְתֵחָץ לְאַרְבַּע רוּחוֹת הַשָּׁמָיִם *Conteretur regnum ejus, et dividetur in quatuor ventos cœli.* Et quod hoc ipso loco Jacobus diviserit filios suos in tres turmas, ex ipso textu patet; *divisit* enim *super Liam, et super Rachel, et super duas ancillas.* v. 1. *Et posuit utramque ancillam et liberos earum in principio, Liam vero et filios ejus in secundo loco,* (Heb. אַחֲרֹנִים i. e. *primis posteriores,*) *Rachel autem et Joseph novissimos,* (Heb. אַחֲרֹנִים i. e. *adhuc posteriores.*) v. 2. *Et appropinquantes ancillæ et filii earum incurvati sunt.* v. 6. *Accessit quoque Lia cum pueris suis, et cum similiter adorassent, extremi* (Heb. וְאַחַר Chald. וּבָתַר־כֵּן LXX καὶ μετὰ ταῦτα,) *appropinquantes Joseph et Rachel adoraverunt.* v. 7.

Quid quod S. Hieronymus interpretationem LXX tanquam impropriam sæpe rejicit, vel quod male ante ipsum fuerit Latine explicata, vel quod eam ipse minus recte intellexerit. Cum enim hæc Græca Versio prioribus Ecclesiæ sæculis fuerit sæpius translata, idque ab iis factum sit, qui linguæ Hebraicæ ignari, eam cum textu authentico conferre non potuerint; fieri non potuit, quin multa aliter Latine exprimerentur, quam Græca verba, quæ Hebræis semper respondebant, sonarent. Ut Psalm. cxxvii. (cxxviii.) 2. τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι, Veteres transtulerunt, *labores fructuum tuorum manducabis;* sensu nullo: " cum in hoc " loco non LXX Interpretes, sed Latini, de Græci " verbi ambiguitate decepti, καρποὺς *fructus* magis quam " *manus* interpretati sint, cum καρποὶ *manus* quoque " dicantur, quod in Hebræo ponitur *capheca,* כַּפֶּיךָ," ut recte disserit S. Hieronymus, Epist. cxli. (al. xxxiv. 5.)

כַּף enim proprie *vola*, quæ est καρπός. Plena locutio 1 Sam. v. 4. כַּפּוֹת יָדָיו οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν αὐτοῦ. Recte Theodoretus, Ὁ δὲ Σύμμαχος, κόπον χειρῶν σου ἐσθίων· ὡς εἶναι δῆλον ὅτι καὶ οἱ Ἑβδομήκοντα καρποὺς οὐ τὴν ἐπικαρπίαν ἐκάλεσαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν. Quod ideo fuit notandum, quia hic Latini interpretis error pro correctione fœdam Senioribus corruptionem intulit. Cum enim putarent melius dici *fructus laborum* aliquem manducare, quam *labores fructuum*, etiam Græco textui vim intulerunt, et, pro τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου, scripserunt τοὺς καρποὺς τῶν πόνων σου, ut in vetustissimo Alexandrino MS. legitur.

Male igitur aliquando LXX in Latinum sermonem sunt translati, et S. Hieronymus, malam translationem secutus, non Latino Interpreti, sed Senioribus ipsis imputat. Ut Gen. xxxiv. 25. *Et introgressi sunt civitatem diligenter, et interfecerunt omnem masculum.* Ad quæ verba doctissimus Pater, "pro eo quod in "Græcis legitur, ἀσφαλῶς, id est, *diligenter*, in Hebræo "scriptum est בֶּטַח *beta*, id est, *audacter et confidenter* [q]." At ἀσφαλῶς non recte vertitur *diligenter;* multo minus eo sensu hic capiendi sunt Seniores, qui Hebraicum בֶּטַח optime exprimunt, sive ad Sichemitas, cum Paraphraste Chaldaico, sive ad Jacobi filios referatur. Est enim בֶּטַח proprie ἀσφάλεια, id est, non *diligentia* sed *securitas*, et לָבֶטַח sive, per ellipsin, בֶּטַח, ἀσφαλῶς, *secure;* ut Lev. xxvi. 5. וִישַׁבְתֶּם לָבֶטַח בְּאַרְצְכֶם καὶ κατοικήσετε μετ' ἀσφαλείας ἐπὶ τῆς γῆς ὑμῶν. Habitabant Sichemitæ *secure*, nihil mali metuentes; et ingressi sunt Jacobi filii *secure*, id est, sine periculo.

Legimus Gen. xlix. 21. Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμέ-

[q] Quæst. Hebr. ib. p. 359.

νον ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος. Quæ verba sic Latine exhibet S. Hieronymus, *Nephthalim virgultum resolutum, dans in generatione pulchritudinem.* At neque στέλεχος *virgultum*, neque ἀνειμένον, *resolutum*, neque γέννημα *generationem* significat. Ita Græcis Latina minime respondent. Melius multo Latine versa exstant apud Ruffinum, lib. ii. de Benedictionibus: *Arbor remissa*, al. *emissa*, vel, ut nostra exemplaria habent, *vitis diffusa, proferens in fructibus decorem:* et rursus, *vel arbor diffusa, vel vitis.* Apud S. Ambrosium, [De Benedict. Patriarch. c. x.] *Nephthalim vitis remissa, porrigens in germine decorem.* Στέλεχος certe non est *virgultum*, quod proprie est a virgula, ut a salice salictum. Gloss. *Virgulta*, βλαστήματα, θάμνοι, et Græco-Latin. βλάστημα, *germen, virgultum.* Hic autem στέλεχος aut arbor ipsa, aut ejus truncus, ex quo τὰ βλαστήματα, seu *virgulta:* אַיָּלָה enim *arbor.* Ἀνειμένον etiam non *resolutum* est, aut *remissum*, sed ab ἀνίημι, quod *emittere* et *proferre* denotat, et ad plantas cum spectat, germinationem significat, et Hebræo שְׁלֻחָה optime respondet: ut Psalm. lxxx. 12. תְּשַׁלַּח קְצִירֶיהָ עַד־יָם et Ezek. xvii. 6. וַתְּשַׁלַּח פֹּארֹת *et emisit propagines*, et Jerem. xvii. 8. וְעַל־יוּבַל יְשַׁלַּח שָׁרָשָׁיו vulg. *ad humorem mittit radices suas.* Ita Dioscorides, de Xiphio, lib. iv. c. 2. καυλὸν δὲ ἀνίησι πηχυαῖον, καρπὸν δὲ στρογγύλον, ῥίζας β. Est igitur στέλεχος ἀνειμένον, אַיָּלָה שְׁלֻחָה *arbor* vel *truncus emissus, diffusus, germinans, propagines emittens:* cui optime respondet γέννημα, illud scilicet quod emittitur, sive *fructus*, ut Ruffinus, sive *germen* potius, ut Ambrosius: *ramum* enim vel *frondem* significare videtur, ut respondeat אָמִיר. Atque ita hæc plana sunt, ut " designet

"historia Nephtalim rura possedisse arboribus ne-
"morosa," ut loquitur Ruffinus. Cum si אַיָּלָה שְׁלֻחָה cum S. Hieronymo sive *agrum irriguum*, sive *cervum emissum* interpreteris, posteriorem partem vaticinii cum priori vix unquam conciliaveris.

Rebeccam ita alloquitur Jacobus, Gen. xxvii. 12. Μή ποτε ψηλαφήσῃ με ὁ πατήρ μου, καὶ ἔσομαι ἐναντίον αὐτοῦ ὡς καταφρονῶν. Vers. Lat. Rom. *Ne forte attrectet me pater, et ero in conspectu ejus quasi spernens.* Ubi primum μή ποτε non est *ne forte*, sed *forte*, idem quod Hebræum אוּלַי, ita enim Græci cum dubitant loqui solent. At vero quare Jacobus vereatur, ne appareat patri *quasi spernens*, non video; non hanc expositionem vox Hebræa, non res ipsa admittit, sed alium omnino sensum postulat. Melius fortasse dices כִּמְתַעְתֵּעַ ab Aquila versum, ὡς καταμωκώμενος, *ut irridens*, aut a Symmacho, ὡς καταπαίζων, *ut illudens*, quem secutus est Vulgatus Interpres, quam a LXX ὡς καταφρονῶν, *ut spernens*. Et recte quidem, si καταφρονῶν tam frigide interpretemur. Est sane ea vocis Græcæ usitata significatio, sed non sola, nec huic loco accommoda. LXX alibi vocem hanc Hebræam per μωκᾶσθαι et ἐμπαίζειν transtulere, unde suam interpretationem Aquila et Symmachus hauserunt: hic autem καταφρονῶν potius usurparunt, ut huic loco magis accommodum. Hesych. Καταφρονέων, καταβουλευόμενος, *adversus aliquem consilium capiens, insidias struens, dolose affectans*; ut de Pisistrato loquitur Herodotus, lib. i. §. 59. καταφρονήσας τὴν τυραννίδα ἤγειρε τρίτην στάσιν, *dolose affectans tyrannidem, tertiam seditionem excitavit.* Est itaque καταφρονῶν idem quod ἐπίβουλος, *insidiator, deceptor, impostor, prævaricator.* Ut Prov. xiii. 15. Σύνεσις ἀγαθὴ δίδωσι χάριν· ὁδοὶ δὲ καταφρονούντων (Heb. בֹּגְדִים

subdolorum, impostorum, callide et perfide agentium, non autem *contemnentium*, ut vulgo redditur,) ἐν ἀπωλείᾳ. Et Sophon. iii. 4. Οἱ προφῆται αὐτῆς πνευματόφοροι, ἄνδρες καταφρονηταί. *Prophetæ ejus*, non *portantes spiritum*, ut vulgo, πνευματοφόροι, sed πνευματόφοροι, פּוֹחֲזִים, quasi *vento lati, desultorii ac leves;* viri, non *contemptores*, sed אַנְשֵׁי בְּגִדוֹת id est *prævaricatores*[r].

Neque tantum LXXviralis versio ad intelligendum textum Hebræum utilis est imprimis et perquam necessaria, sed etiam ad ipsum textum confirmandum, etiam eum aliquando, quem nunc habemus, Masoretharum diligentia conservatum, saltem quod ad literas spectat. Ut Gen. xiv. 5. habemus scriptum בְּהָם; at ætate S. Hieronymi legebatur, ab ipso saltem, בחם. Ita ipse testatur in Traditionibus Hebraicis. "Porro "בחם, pro quo dixerunt LXX ἅμα αὐτοῖς, hoc est, "*cum iis*, putaverunt scribi per ה *he*, ducti elementi "similitudine, cum per ח scriptum sit. *Beham* enim "cum per tres literas scribitur, si mediam ה habet, inter-"pretatur, *in eis;* si autem ח *heth*, ut in præsenti, locum "significat, id est *in Ham*[s]." Aliter igitur legebat S. Hieronymus, quam nos nunc legimus: ille בחם, nos בהם; sed lectioni hodiernæ patrocinantur LXX Interpretes, qui iisdem literis, quibus et nos, בהם legerunt, ut et codex Hebræorum Samaritanus; neque de loco qui diceretur *Ham*, puto, uspiam legitur.

Si igitur LXX Seniorum fama sine ratione non læderetur, si Judaizantes hæretici sine causa iis non præponerentur, si ipsi ex Græcæ linguæ copia et collatione

[r] Ita Versio Anglicana, *Her prophets are* light *and* treacherous *persons*. [s] P. 327.

cum Hebræo codice recte intelligerentur, si denique non solum quoties ab hodierno textu discrepare videntur, sed etiam quoties cum eo consentiunt, ejusdemque lectionem literariam stabiliunt, perpenderemus, eorum versionem ad Mosen et prophetas probe intelligendos plurimum valere nemo unquam dubitaret.

Secundo, Versio LXXviralis magni semper æstimanda, et in promptu theologis habenda, quo testimonia ab apostolis reliquisque Novi Fœderis scriptoribus ad probandum Jesum esse Christum, et veritatem Christianæ religionis illustrandam, ex Veteri Testamento deprompta confirmentur, et ab omni exceptione liberentur. "Hoc enim generaliter observandum, quod "ubicunque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquun-"tur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, "(id est, utuntur,) quæ jam fuerant in gentibus divul-"gata," scil. ex interpretatione LXX, ut loquitur S. Hieronymus[t]. Et recte quidem observatum est, Apostolos et Apostolicos viros testimonia ex Græco usurpasse, cum loquerentur "ad populos;" non tamen hoc cum restrictione accipiendum: ad quoscunque enim loquuntur, aut quocunque modo scribunt, sæpe testimonia ex Seniorum versione depromunt. S. Irenæus, lib. iii. c. 25. "Etenim Apostoli, cum sint his "omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpreta-"tioni, et interpretatio consonat Apostolorum tradi-"tioni. Etenim Petrus, et Johannes, et Matthæus, et "Paulus, et reliqui deinceps, et horum sectatores, pro-"phetica omnia ita enunciaverunt, quemadmodum "Seniorum interpretatio continet." Quæ verba, licet, quod ad loca spectat, nimis universaliter dicta videantur, quod tamen ad auctores attinet, sunt verissima.

[t] Quæst. Hebr. p. 371. in Gen. xlvi. 26.

Omnes enim plerumque, ubi Vetus Testamentum advocant, Seniorum verbis loquuntur; neque an recte id fecerint, dubitare nos sinit Spiritus, quo scripsere. Hoc autem consilium Dei, qui per scriptores Novi Testamenti loquitur, summa cum veneratione recipiendum est: testimoniaque ab iis producta omni modo defendere nos potius decet, quam Apostolos, reliquosque scriptores sacros, ut aliqui loquuntur, "excusare[u]."

Legimus, Heb. viii. 7. ubi Apostolus non loquitur ad populos, neque gentes quibus sola Græca Scriptura erat divulgata, sed Hebræos affatur, et Christum Mosi, et Novum Veteri Fœderi præferendum probat: *Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans autem eos dicit &c.* Ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, λέγει Κύριος. Quæ sunt ipsissima LXX verba, ad argumentum Apostoli accommodata, ex Jer. xxxi. 32. quæ rem ipsam optime explicant, et discrimen inter duo Fœdera ostendunt, et Judæos legi Mosaicæ adhærentes a Deo rejectos docent. Ubi non est excusandus Apostolus, sed defendenda LXXviralis Versio, quæ auctoritate Apostoli corroboratur. Neque hic admittendus est Vulgatus Interpres, licet S. Hieronymum sequutus; qui hunc locum ita repræsentat, *pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus:* aut paraphrastes Chaldaicus, qui reddit וַאֲנָא אִתְרְעֵיתִי בְּהוֹן *et ego complacui mihi in eis:* hac enim interpretatione non tantum Judæorum rejectio obscuratur, sed etiam Veteris et Novi Fœderis discrepantia tollitur, ut ipsi etiam interpretes Judaici fatentur. Est igitur omnino Græca versio defendenda; idque faciendum sine præjudicio textus Hebraici. Neque enim legendum cum

[u] Alluditur ad verba S. Hieronymi in Comment. in Epist. ad Galatas, lib. iii. cap. v. 12.

Capello בָּם נָעַלְתִּי, (quod nusquam legitur, sed potius נִגְעַלְתִּים,) neque cum Hugone Grotio dicendum LXX legisse בָּחַלְתִּי, quæ vox semel quidem reperitur, cum בְּ conjuncta, Zach. xi. 8. וְגַם נַפְשָׁם בָּחֲלָה בִי, quem locum ita interpretati sunt LXX, *καὶ γὰρ αἱ ψυχαὶ αὐτῶν ἐπωρύοντο ἐπ' ἐμέ· siquidem animæ eorum rugiebant super me;* ut Theodoretus accepit, qui ita sensum expressit, *ἐπειδὰν τοίνυν θηριωδῶς μοι προσῆλθον οἱονεὶ βρυχώμενοι, καὶ τὴν ἐμὴν διψῶντες σφαγήν*; vel ut in aliquibus libris legitur, *ἐπορεύοντο*, uti fortasse legebat S. Hieronymus, qui Latine in hunc modum exhibet, *siquidem et animæ eorum irruebant super me.* Quocunque modo legas, verisimile non est LXX Interpretes, qui locum Zachariæ ita sunt interpretati, apud Jeremiam legisse בָּחַלְתִּי. Et Seniores proculdubio בָּעַלְתִּי *ἠμέλησα* transtulerunt, cum, et Judæis asserentibus, et Arabica lingua testante, בָּעַל *aspernari, fastidire, repudiare* significet, et contextus ipse hanc significationem postulet[x].

Insignis locus est Heb. x. 38. *Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται· καὶ ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ.* Quibus verbis tanquam fundamento utitur [Apostolus], dum Hebræos ad perseverantiam cohortatur. Sumpta autem sunt ex Habac. ii. 4. ordine tantum inverso, quo melius eos a lapsu deterreat; idque secundum versionem LXX. Quod ideo fuit notandum, ut perspicere possimus, qualis sit illa observatio S. Hieronymi, quam ad hunc prophetæ locum protulit[y]: "Porro quod Apostolus LXX magis testimonio abusus "est ad Romanos scribens, *Justus autem ex fide mea*

[x] Confer not. Pococki, quem citat Michaelis in Jer. xxxi. 32.

[y] Comment. in Abacuc, lib. i. cap. 2. tom. vi. p. 612. ed. Vallars.

" *vivet*, et non eo quod habetur in Hebraico, causa " perspicua est. Scribebat enim Romanis, qui Scripturas " Hebraicas nesciebant : nec erat ei cura de verbis, cum " sensus esset in tuto, et damnum ex eo præsens dispu- " tatio non habebat. Alioquin ubicunque diversus est " sensus, et aliter scriptus est in Hebraico, aliter in " LXX, nota eum uti his testimoniis, quæ a Gamaliele " doctore legis didicerat." Ubi observandum primo legisse S. Hieronymum, cap. i. v. 17. ad Rom. *ex fide mea;* cum nec in Græcis nec in Latinis codicibus ita nunc legatur, sed *ex fide* tantum[z]. Id autem mirum alicui videatur, quod doctissimus Pater, qui alibi solum S. Lucam testimoniis ex LXX deductis, ubi ab Hebræo discrepant, abuti contendit[a], id nunc de S. Paulo concedat, et rationem reddat, quod Romanis scriberet, " qui Scripturas Hebraicas nesciebant;" ac si Corinthii, Galatæ, Ephesii, reliquique, magis Hebraicam linguam callerent, quam Romani. Mirum adhuc magis, quod asserat S. Paulum alibi semper ex Hebraico testimonia petere; cum ipse testetur, " Pauli idcirco ad Hebræos " Epistolæ contradictum esse, quod ad Hebræos scribens " utatur testimoniis, quæ in Hebræis voluminibus non " habentur[b]." Mirum denique, quod solum locum ad Romanos citet, cum hic ad Hebræos multo plura ex LXX habeat, eaque ab Hebraico, uti a S. Hieronymo intelligitur, multum diversa. Ita enim LXX, Ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ· ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται, vel, ut MS. Alex. ὁ δὲ δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται. At aliter sonabant Hebraica, vertente S. Hieronymo, *Ecce qui incredulus est, non erit*

[z] Locum ex propheta bis citat S. Cyprianus, Adv. Judæos i. §. vi. 3. §. xlii. " Justus autem ex " fide mea vivet."

[a] Vid. Hieronymi Comment. in Isai. lib. iii. c. vi. tom. iv. p. 97.

[b] Ibid.

recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet. Neque hic " excusandus" Apostolus ; sed potius LXXviralis Versio approbanda ac defendenda est. S. quidem Hieronymus הִנֵּה עֻפְּלָה *Ecce qui incredulus est* transtulit, sensum magis quam verba respiciens ; at cum בּוֹ vertit *in semetipso*, alienam plane a mente Apostoli sententiam est amplexus. Cum vero idem בּוֹ in Commentario referat ad visionem præcedentem, multo adhuc magis cum a LXX tum ab Apostolo recedit. Verba ejus sunt : " LXX dicentes γράψον ὅρασιν, " id est, *scribe visionem*, et postea, *si defecerit, sustine* " *eum, quia veniens veniet, et non tardabit ; si subtraxerit* " *se, non placebit animæ meæ in eo*, primum interpretati " sunt *visionem* genere fœminino, quæ apud Hebræos " generis masculini est : deinde, secundum Hebraicum " genus, ubi declinatur masculine, *sustine eum*, et, *non* " *placebit animæ meæ in eo*, ipsi quoque masculino genere " declinaverunt. Quum utique debuerint, juxta id quod " primum interpretati sunt *visionem*, etiam in reliquis " fœmininum genus ponere *visionis*, ut dicerent, *expecta* " *eam, quia veniens veniet, quod si se subtraxerit, non* " *placebit animæ meæ in ea*, id est, *in visione*." Mira hæc quidem explicatio prophetæ, mira increpatio Seniorum. Neque vero moderna literalis expositio melior est, *Ecce elata est, non recta anima ejus in eo* : quæ quo referenda sint, aut ad quem finem dicta, quis divinare potest ? Nos quidem textum Hebræum non solicitamus ; sed secundum mentem Seniorum explicandum contendimus : עָפַל enim non tantum *elatum esse*, sed etiam *subducere se* et *occultare* significat ; et cum nominis naturam induit, non tantum locum *excelsum* et *munitum*, sed etiam *obscurum absconditumque* denotat, ut 2 Reg. v. 24. וַיָּבֹא אֶל־הָעֹפֶל, καὶ ἦλθεν εἰς

τὸ σκοτεινὸν, vel, ut paraphrastes Chaldaicus, וְעַל לַאֲתַר כַּסְיִי, ut 2 Paralip. xxxiii. 14. et τὸ ἄδυτον et τὸ ὄπελ habemus; et Mich. iv. 8. *turris* עֹפֶל a LXX dicitur αὐχμώδης, S. Hieronymo *nebulosa.* Est igitur עָפַל *se subtrahere* præ metu et *occultare*, quod est ὑποστέλλεσθαι. Hesychius, et Suidas, Ὑποστειλάμενος, ὑποκρυψάμενος, φοβηθείς. Recte igitur הִנֵּה עֻפְּלָה reddi potest, *Ecce subducitur*, vel accipiendo הִנֵּה, ut הֵן Chaldaice sumitur, *si subductio*, vel ὑποστολὴ, *fiat*, id est, *si quis se subducat*, ἐὰν ὑποστείληται, יָשַׁר autem sæpissime ἀρέσκειν denotat; ut Num. xxiii. 27. אוּלַי יִישַׁר בְּעֵינֵי הָאֱלֹהִים εἰ ἀρέσει τῷ Θεῷ, et Deut. vi. 18. וְעָשִׂיתָ הַיָּשָׁר καὶ ποιήσεις τὸ ἀρεστὸν, *et fac quod placitum est.* Sive igitur נַפְשִׁי sive נַפְשׁוֹ legamus, facto a persona ad personam transitu, qui interpretibus frequens est, recte hæc verba, הִנֵּה עֻפְּלָה לֹא יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ ita transferentur, *si quis se subtraxerit, ille animo meo gratus non erit.* Illa autem verba, cum Græce, inverso ordine, ab Apostolo usurpantur, a Theodoro Beza haud bona fide sunt translata, *Justus autem ex fide vivet; at si quis se subduxerit, non est gratum animo meo.* Cum enim pars posterior versiculi ad *justum* pertineat, ut recte Theophylactus, ἐὰν δὲ ὑποστείληται ὁ δίκαιος, Beza eum duplici ratione excludere conatus est, primum interserendo pronomen, *quis*, secundo ἐν αὐτῷ a persona, cui competit, ad factum transferendo. Ex quo loco quam suspecta debeat esse ejus translatio, nemo nescit, qui quibus opinionibus in theologia adhæserit novit. Utcunque sit, scriptores Novi Testamenti, Spiritu Sancto actos, cum ubique fere testimonia ex Veteri Fœdere ipsis LXX verbis depromant, non tam

excusandos esse sentio, quod nimis est dilutum; quin potius videndum annon textus Hebraicus eorum interpretationem ferre possit, quo et Veteris Testamenti sensus rectius intelligatur, et Novi auctoritas magis confirmetur.

Tertio, LXX viralis Versio non tantum ad auctoritatem Apostolorum conservandam plurimum valet, verum etiam ad Novum Instrumentum recte intelligendum et accurate explicandum perquam necessaria est. Scriptores enim sacri Novi Fœderis non tantum ex Veteri frequenter testimonia producunt, sed etiam Mosen et Prophetas ubique doctrinæ Christianæ accommodant, resque Hebraico sermone ante descriptas Græcis verbis tradunt; quod fieri haud aliter fere potuit, quam ut modi formulæque loquendi Hebræis familiares, Græcis incognitæ aut saltem inusitatæ, redderent eorum scripta iis qui Græce tantum scirent obscuriora. Hæc autem obscuritas tolli aut illustrari nullo alio modo potuit, quam ex scientia idiomatum linguæ Hebraicæ, qua conscripti codices prophetici, quos Apostoli ubique fere respiciunt, et qua locuti sunt Christi tempore Judæi, ab antiquiori puriorique aliquantum deflexa, ad quorum mores modosque loquendi disserendique sæpe sermonem accommodant. Hinc autem evenire necesse fuit, ut Græca Veteris Instrumenti versio ad scripta apostolica intelligenda plurimum conferret. In illam enim omnes idiotismi veteris linguæ Hebraicæ erant transfusi, in illa Prophetarum sensus Græce explicati; illi homines Græci, quibuscum præcipue Apostolis negotium fuit, diu fuerant assueti; eamque primo Divina Providentia factam par est credere, ut qui passim et ubique eam legissent, ad percipienda Apostolorum dogmata, sermonesque intelligendos, fierent aptiores.

Multa itaque Græca sunt in Novo Fœdere vocabula

quæ ex usu Græcæ linguæ intelligi non possunt, ex collatione autem cum Hebræa, et ex usu LXX interpretum, facile intelliguntur. Quid σὰρξ, quid πνεῦμα, apud Græcos scriptores denotet, nemo nescit: at si omnes in universum sensus, quibus his vocabulis Græci usi sunt, recenseantur, nullus omnino invenietur, qui mentem Apostolorum attinget. Cum enim בָּשָׂר *carnem* proprie significet, eadem tamen vox ab Hebræis nonnunquam pro *homine* ipso, aliquando *pro humana natura*, sæpe pro ejusdem naturæ *imbecillitate*, aut etiam *vitiositate*, usurpetur, et in hac sensuum varietate unica voce σαρκὸς a LXX reddatur; hinc evenire necesse est ut quoties Apostoli eo sensu usurpent, quem Græci veteres haud agnoverunt, ex Hebræo idiomate et versione LXX explicetur. Ut celebratissimo loco legitur, καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, quod sine ulla veterum Græcorum auctoritate, et tamen recte, redditur, *et Verbum*, sive *Sermo*, *homo factus est*, sive humanam naturam induit. Et ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ, id est, *homo quisquam*, ut Psalm. cxliv. (cxlv.) 21. εὐλογείτω πᾶσα σὰρξ τὸ ὄνομα τὸ ἅγιον. Hinc phrases modique loquendi Græcis incogniti, φρόνημα τῆς σαρκὸς, ἐν σαρκὶ et κατὰ σάρκα εἶναι, κατὰ σάρκα περιπατεῖν, similesque plures. Ita cum רוּחַ satis proprie πνεῦμα, qualiter a veteribus Græcis usurpatur, denotet, et præterea etiam apud Hebræos multa alia significata contineat, quæ apud Græcos haud comparent, cum Apostoli eo sensu usurparunt, quem Græci veteres haud agnoverunt, ex Hebræo idiomate et versione LXX explicandi sunt: ut Joh. iii. 6. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Πνεύματος πνεῦμά ἐστι. Unde sciemus quid sit ῥῆμα, Luc. i. 37. οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα, nisi meminerimus scriptum Gen. xviii. 14. הֲיִפָּלֵא מֵיְהוָה דָּבָר quod LXX. transtulerunt,

μὴ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ ῥῆμα; cum דָּבָר non tantum *verbum*, sed *rem* seu *negotium* denotet? Unde cognosceremus quam vim apud Apostolum habeant τὸ δικαιοῦν et τὸ δικαιοῦσθαι, nisi צדק ea significatione usurpassent Hebræi, et iis verbis LXX reddidissent? Frustra apud veteres Græcos quæras quid sit πιστεύειν τῷ Θεῷ, vel εἰς τὸν Θεὸν, quid sit εἰς τὸν Κύριον, vel πρὸς τὸν Θεὸν πίστις, quæ toties in Novo Fœdere inculcantur, et ex lectione Seniorum facile intelliguntur. Quid esset ἀστεῖος τῷ Θεῷ, Act. vii. 20. unde conjiceremus, nisi LXX Hebræa וַתֵּרֶא אֹתוֹ כִּי טוֹב הוּא ita reddidissent, ἰδόντες δὲ αὐτὸ ἀστεῖον; Quis τὸν Κύριον pro Domino Deo accipiendum putaret, nisi ita Seniores locuti essent, quibus Κύριος est ὁ ὤν. Verum hæc leviter tangere quam latius prosequi potius esse duximus; sunt enim pene infinita.

Neque vero Sacra Scriptura tantum futuro theologo pernoscenda, sed et Ecclesiæ, tot ubique sacrarum literarum testimoniis ubique suffultæ, status cognoscendus, et SS. Patrum in hunc potissimum finem evolvenda volumina. Quod si Græcos Patres consuluerimus, quis eos de rebus divinis disserentes intelliget, qui normam, quam semper in animo, dum scriberent, habuere, non ante cognitam atque perspectam habeat? Aut quæ illis Scriptura Veteris Testamenti innotuit, præter eam quæ a LXX Senioribus edita est? Illam sane, illam ubique respiciunt; illius auctoritate nituntur, illius verba recitant, sententiam referunt, ut in Patrum operibus legendis cœcus plane sit qui eandem non noverit. Quis illa Clementis Romani, Apostolorum discipuli, intelliget, Οὐκ, ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον[c]. Quis illa quæ sequuntur,

[c] Epist. 1. ad Cor. c. iv. Vid. H. Wottoni nott. ad loc.

ut ex sacris oraculis deprompta, agnoscet, Καὶ εἶπε Κάϊν πρὸς Ἄβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, Διέλθωμεν εἰς πεδίον, nisi lacunam Hebræorum codicum observet, et LXX versionem consulat, cui et Samaritanus, et Syrus suffragantur? Patricius Junius, licet Græce doctissimus, hæc S. Clementis verba, τὸ κύτος τῆς ἀπείρου θαλάσσης κατὰ τὴν δημιουργίαν αὐτοῦ συσταθὲν εἰς τὰς συναγωγὰς οὐ παρεκβαίνει τὰ περιτεθειμένα αὐτῇ κλεῖθρα[d], minus bene transtulit, "Immensi maris profunditas in cumulos coacer-" vata claustra et repagula quibus vallatur non trans-" greditur;" quod haud perspiceret Patrum antiquissimum creationem respexisse, et LXX interpretum verba usurpasse, quæ in Hebræo non habentur, Gen. i. 9. καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν. Licet enim S. Basilius observet hæc verba fuisse obelo notata[e], nec in Hebræo codice reperiantur, patet tamen ea ad interpretationem LXX pertinere, et ad ipsa S. Clementem respexisse; et objectio ab Origene facta a Joanne Philopono jamdudum est diluta[f]. In hunc igitur modum sententia S. Clementis fuit potius conformanda, "Moles immensi " maris in ipsa sui creatione in congregationes suas " collecta, repagula sibi circumposita non transgreditur." Clementis Alexandrini Στρωματεῖς, cum ex variis auctorum veterum sententiis, tum vero præcipue ex Sacris Scripturis sunt contexti: nec ullibi magis obscuri reduntur, quam ubi Seniorum verba haud notantur et a

[d] Epist. 1. ad Cor. c. xx. Vid. H. Wottoni nott. ad loc.

[e] Hexaem. Hom. iv. 5. S. Ambrosius ait, "Aliqui nec in He-" bræo putant esse, nec in cæteris " interpretationibus.....Sed quia " in aliis quoque creaturis habet " et definitionem præceptionis, " et repetitum operationis vel in-" dicium, vel effectum, ideo nos " non putamus absurdum id quod " perhibetur additum." Hexaem. lib. iii. c. v.

[f] Joann. Philoponus de Mundi Creatione, lib. iv. c. iv. S. Clementis loci versionem, quæ sequitur, cum debita laude Pearsoni, recepit Wottonus.

reliquis distinguuntur. lib. i. Παιδεία δὲ ἀνεξέλεγκτος πλανᾶται, interprete Herveto, "Disciplina vagatur in-"confutabilis;" quæ verba et per se nihil significant, et ab auctoris instituto plane sunt aliena. Scripta autem sunt, quod interpres haud observaverat, Prov. x. 17. Est autem eo loco ἀνεξέλεγκτος, עֹזֵב תּוֹכַחַת *increpationem deserens*, aut ut Vulg. *relinquens*, i. e. haud potens redarguere, convincere, refellere. Ita saltem Clemens Solomonem intellexit, ut ex ipsius verbis patet: Παιδεία δὲ ἀνεξέλεγκτος πλανᾶται, φησὶ, καὶ χρὴ μετεῖναι τὸ ἐλεγκτικὸν εἶδος ἕνεκα τοῦ τὰς δόξας τὰς ἀπατηλὰς διακρούεσθαι τῶν σοφιστῶν.

Sed et ad Latinos Patres non minus quam Græcos recte intelligendos LXXviralis Versio perquam utilis est, imo necessaria. Quoties enim aliquid ex Veteri Fœdere citant, aut ad locum aliquem quocunque modo respiciunt, aut ipsi Seniores illos interpretantur, aut Latinam interpretationem ex LXX versione factam referunt. Quamvis enim fuerint quamplurimæ inter Latinos Patres Veteris Instrumenti versiones, tamen ante S. Hieronymum nulla ex Hebræo codice facta est, sed ex Græco omnes. "Qui enim scripturas ex He-"bræa lingua in Græcam verterunt, numerari possunt, "Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cui-"que primis fidei temporibus in manus venit Codex "Græcus, et aliquantulum facultatis utriusque linguæ "habere videbatur, ausus est interpretari," ut loquitur S. Augustinus de Doctr. Christiana, lib. ii. c. xi. Et de Civit. Dei, lib. xviii. c. xliii. "Cum fuerint et alii interpre-"tes, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra illa eloquia "transtulerunt, hanc tamen quæ LXX est, tanquam sola "esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi "Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua "ignorant. Ex hac LXX interpretatione etiam in

" Latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ " Latinæ tenent." Omnes itaque Latinæ Veteris Instrumenti versiones ante S. Hieronymum ex LXX Interpretibus sunt expressæ; atque ideo Latini Patres, ubi locum aliquem inde proferunt, aut ad Mosen et Prophetas quoquo modo respiciunt, non aliter quam ex illa interpretatione sunt intelligendi. Libros duos adversus Judæos scripsit ad Quirinum S. Cyprianus, ex utroque Fœdere, Veteri præcipue, " excerptis capitulis " et annexis;" hæc autem, quatenus Vetus Instrumentum spectant, non aliter quam ex LXX versione intelligi possunt. Quis mentem S. Ambrosii assequetur, qui, in Oratione de obitu Theodosii[g], de Helena in hunc modum loquitur, " Adoravit illum qui pependit " in ligno, illum, inquam, qui sicut scarabæus clamavit, " ut persecutoribus sui speccata condoraret," nisi qui sciat eum ad illa Habac. ii. 11. respexisse, *Λίθος ἐκ τοίχου βοήσεται, καὶ κάνθαρος ἐκ ξύλου φθέγξεται αὐτά*; Unde et a S. Ambrosio, et S. Augustino Christus appellatur " Scarabæus bonus."

Denique Seniorum lectio vel ideo urgenda, quod in ea veteris Græcæ literaturæ plurima supersint vestigia, et nonnulli ex criticis Græcis aliter intelligi recte non possint, nisi quando ad LXX respexerint observemus. Unus pro reliquis nobis erit Hesychius, quem nemo nisi in Senioribus versatissimus unquam intelligit. Apud eum legimus, *Σόορ τυρός*. Unde, quia vocibus Laconicis scatet, e litera postrema colligere quis posset Laconum dialectum esse; et ita Isaacus Casaubonus ad Athenæum scripsit. " *Σόορ* vel *Σόρορ*, pro *τυρὸς*, *caseus*." At mihi dubium non est, non *Σόορ* scripsisse Hesychium, sed *Σὸρ*, idque vocabulorum series postulat; unde Casaubonus, " vel *Σόρορ*," addidit. Neque *τυρὸς*

[g] §. 46. Cf. S. Ambros. Epist. xxxii. 6.

scripsisse eum autumo, aut *caseum* in animo habuisse; sed τύρος; atque adeo urbem *Tyrum* intellexisse. Ita enim legimus, Ezech. xxvi. 2. Ἀνθ' οὗ εἶπε Σὸρ ἐπὶ Ἰερουσαλὴμ, et v. 3. Ἰδοὺ Ἐγὼ ἐπὶ σὲ, Σόρ. Utrobique autem Hebraice legitur צר, quæ alibi a LXX Τύρος redditur. Recte igitur apud Hesychium Σὸρ, Τύρος. Eusebius de Locis Hebraicis, Σὸρ, Τύρος, Φοινίκης μητρόπολις, κλήρου Νεφθαλείμ. S. Hieronymus, "Sor, "Tyrus, metropolis Phœnices, in tribu Nephthalim." Et Theodoretus, lib. xi. in Ezechielem, ἡ γὰρ Τύρος Σὸρ τῇ ἐπιχωρίῳ προσαγορεύεται φωνῇ. Legimus apud eundem, Βαρακινῆσιν, ἀκάνθαις, σκόλοψι· et observat H. Stephanus legendum Βαρακηνίσιν, quia apud Suidam Βαρακηνὶς, ἡ ἄκανθα. Verum an vox ipsa sit bene Græca, aut unde talem significationem sit sortita, non docet. Stephanus autem Glossographus antiquus MS. in expositione ἐνδιαθέτων γραφῶν, eadem in hunc modum scripsit, Βαρακίνῃσιν, ἀκάνθαις, σκώληψι, (lege ex Hesychio σκόλοψι,) unde statim colligimus vocem esse Scripturariam. Et quidem Jud. viii. 7. legimus, וְדַשְׁתִּי אֶת־בְּשַׂרְכֶם אֶת־קוֹצֵי הַמִּדְבָּר וְאֶת־הַבָּרְקָנִים : LXX, καὶ ἐγὼ ἀλοήσω τὰς σάρκας ὑμῶν ἐν ταῖς ἀκάνθαις τῆς ἐρήμου, καὶ ἐν ταῖς βαρκηνίμ. Ita Codex Romanus: Alexandrinus, βορκομμεὶν, Ald. βορκοννείμ. Quod autem ἀκάνθας, sive σκόλοπας, eam vocem veteres significare putarint, patet vel ex eo, quod Complutensis et Oxoniensis habeant ἐν τοῖς τριβόλοις. Et Eusebius lib. de Locis Hebraicis, Βορκοννεὶμ, Ἀκύλας τρέπει εἰς ἀκάνθας, Σύμμαχος εἰς τριβόλους. Ita editio Bonfrerii; et S. Hieronymus, "Borconni, quod vertit Aquila in *spinas*, et "Symmachus in *tribulos*." Sed suspecta mihi vox illa τρέπει apud Bonfrerium; in meo enim codice scribitur, Βορκοννεὶμ, ἀ τραγακάνθας καὶ τριβόλους. Ubi pro καὶ

(ϗ) legendum σ', i. e. Symmachus, ut ex S. Hieronymi versione constat[h]. Βαρκανεὶμ igitur, vel, ut Codex Alexandrinus ad versum 19. Βαρακηνεὶμ, Græco casu redditur *βαρακηνίσιν*.

Apud eundem legimus, Μὴ *ἀποσκορακίσησμε, μὴ ἀποδιώξησμε, μὴ ἀποδοκιμάσησμε*, ubi omnia leviter sunt corrupta. Paulo correctius eadem pene apud Suidam, Μὴ *ἀποσκορακίσῃς με, μὴ ἐκδιώξῃς με, μὴ ἐς κόρακας ἐκβάλῃς*. Hæc ad Scripturam Veterem pertinere docet nos Lexicon vetus Scripturarium a reverendo archiepiscopo Armachano mihi concreditum, ubi inter vocabula ad Psalmorum explicationem pertinentia legimus, Μὴ *ἀποσκορακίσῃς με, μὴ ἀποδοκιμάσῃς με, μὴ ἀπορρίψῃς με*. At nec in editione Romana, nec in MS. Alexandrino tale quippiam invenitur. In editionibus quidem Aldina et Complut. Psalm. xxvi. 9. habentur, *βοηθός μου γενοῦ, μὴ ἀποσκορακίσῃς με, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς με*, quibus suffragatur B. Theodoretus. At Vulgatus Interpres lectionem Romanam et Alexandrinam, *μὴ ἐγκαταλίπῃς με, καὶ μὴ ὑπερίδῃς με* sequutus est; vertit enim, *ne derelinquas me, neque despicias me.* Adeo vetus est inter Codices LXX discrepantia. Certe Seniores verba, אַל־תִּטְּשֵׁנִי transtulerunt *μὴ ἀποσκορακίσῃς με*, cæteri autem Interpretes, *μὴ ἀπορρίψῃς με*, quæ verba auctor Lex. Armachani pro explicatione posuit. Testis est B. Theodoretus, *τὸ, μὴ ἀποσκορακίσῃς με, μὴ ἀπορρίψῃς με εἶπον οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ*, additque, ex eruditione Gentilium Seniores hoc vocabulum hausisse, *ἀπὸ τῆς ἔξωθεν δὲ παιδείας οἱ ἑβδομήκοντα τοῦτο τὸ ὄνομα πεποιήκασι· τὸ γὰρ, ἐς κόρακας, ὕβρις τις ἦν παρὰ τοῖς πάλαι*

[h] *τραγακάνθας*, ex Cod. Vaticano edidit Vallarsius, Hieronymi tom. iii. 177. Vid. annotationem Montfauconi ad loc. in Hexaplis, tom. i. 244.

ἀπό τινος μύθου γεγενημένου. Vult igitur a trito proverbio, ἐς κόρακας, e fabula quadam nato, ut etiam Zenobius et Suidas testantur, dictum fuisse σκορακίζειν, quæ vox bene Græca est, ab ipso Demosthene usurpata[k], et ἀποσκορακίζειν. Cui observationi Grammatici veteres adstipulantur. Zenobius, Σκορακίζειν, ἀντὶ τοῦ, εἰς κόρακας πέμπειν, ἐκφαυλίζειν. Hesychius, Σκορακίζει, εἰς ἔρημον πέμπει, καὶ ἀρᾶται, ἀπὸ τοῦ εἰς κόρακας πέμπειν, τὸ ἐκφαυλίζειν. Suidas, Σκορακίζειν, οἷον ἐς κόρακας ἀποπέμπειν· ἀπὸ τούτου γὰρ εἴρηται. Σκορακίζειν igitur ex proverbio factum est; non a LXX, ut innuere videtur B. Theodoretus, sed a Græcis vetustioribus, a quibus acceperunt Seniores. Et frustra H. Stephanus ἀποσκοράζω, *detraho*, novum in lingua Græca verbum, ex depravato Hesychii loco, ut solet, excogitavit, Ἀπεσκόραζεν, ἀπεσύρατο. Legendum enim Ἀπεσκοράκισεν, ut apud Etymologum legimus, Ἀπεσκοράκισεν, ἀντὶ τοῦ, ἀπεκρούσατο, καὶ μετὰ μίσους ἐξέβαλεν [l]. Diffiteri tamen non possumus, Seniores aliquando voces nonnullas effingere atque formare ad exprimenda verba Hebræa, quæ erant Græcis auribus inauditæ. Ut cum apud Hesychium legimus, Ἐν μακρύμασιν, ἐν ἀποστασίαις, quis veterum Græcorum hæc intelligeret? quis quid velit sciret, nisi Seniores consuleret, qui ita in Esdræ interpretatione loquuntur, ix. 1. οὐκ ἐχωρίσθη ὁ λαὸς Ἰσραὴλ καὶ οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ Λευῖται ἀπὸ λαῶν τῶν γαιῶν ἐν μακρύμμασιν αὐτῶν. Hebr. בְּתֹעֲבֹתֵיהֶם, cum ipsi soleant תּוֹעֵבָה aut in ἀνομίαν, aut frequentius in βδέλυγμα ver-

[k] In Epist. Phillippi, 13.

[l] Vox ἀποσκορακισμὸς occurrit in Versione LXX, Isai. lxvi. 15. quam Latine reddit Hieronymus, *increpationem*. Tatianus, Orat. contr. Græcos, c. xii. οἱ τὸν Σκύθην Ἀνάχαρσιν μὴ ἀποσκορακίζοντες. Et Clem. Alex. Pædag. ii. c. xii. τὰ κόσμια ἀποσκορακιστέον. iii. c. xi. ἀποσκορακιστέον δὲ ἡμῖν καὶ τοῦ περιπάτου τὸ μανιῶδες.

tere. Ideo autem in hoc capite per *μάκρυμμα* reddidisse videntur, quod vers. 11. cum נִדָּה sit conjuncta. אֶרֶץ נִדָּה הִיא בְּנִדַּת עַמֵּי הָאֲרָצוֹת בְּתוֹעֲבֹתֵיהֶם *γῆ μετακινουμένη ἐστὶν ἐν μετακινήσει λαῶν τῶν ἐθνῶν ἐν μακρύμμασιν αὐτῶν.* Ut enim תּוֹעֵבָה *τῇ* נִדָּה accommodarent, per *μάκρυμμα* expresserunt, id est, *remotionem, separationem, elongationem*, quæ immunditiam et abominationem sequitur: נִדָּה enim *remotio*, seu quicquid propter immunditiam removetur. Hinc נִדָּה Senioribus *ἄφεδρος*. Hesych. 'Αφέδρῳ, *ἀκαθαρσίᾳ*, ut Lev. xv. 19. *ἑπτὰ ἡμέρας ἔσται ἐν τῇ ἀφέδρῳ αὐτῆς*. Nonnunquam eadem *ἀποκαθημένη* redditur. Hesych. 'Αποκαθημένη, *αἱμορροοῦσα*, ut Ezech. xxii. 10. *ἐν ἀκαθαρσίαις ἀποκαθημένην ἐταπείνουν*. A *μακρύνω* igitur ut *μεμακρυμμένον* Psalm. lvi. in titulo, ita et *μάκρυμμα* deduxerunt: quam vocem, opinor, certe expositionem ejus, frustra apud veteres Græcæ linguæ scriptores quæras.

Cum igitur LXXviralis Versio ad Hebraicam veritatem probe perspiciendam, ad auctoritatem testimoniorum Apostolicorum confirmandam, ad nativum Novi Fœderis stylum recte intelligendum, ad Græcos Latinosque Patres rite tractandos, ad scientiam denique linguæ Græcæ ipsamque criticen adornandam tam sit utilis atque necessaria, quis eam doctis omnibus, præsertim theologis, non videt debere esse commendatissimam ?

Quoniam autem hæc Seniorum versio, etiam S. Hieronymi tempore, " corrupta fuit atque violata," danda est opera, ut ei pristina puritas restitui et redintegrari possit. Certum est exemplaria quæ habemus, Complutense, Aldinum, Romanum, plurimum inter se et ab Alexandrino discrepare ; alios etiam Codices aliquarum S. Scripturæ partium satis antiquos, nunc cum eorum aliquo, nunc cum nullo, convenire. Optime igitur

fecerit, qui Codices omnes MSS cum editis diligenter contulerit, qui varias lectiones non tantum ad Hebraicam veritatem examinaverit, sed cum antiquissimorum Judæorum Philonis et Josephi, et vetustissimorum Patrum scriptis comparaverit, ac denique expositiones eas, quæ apud lexicographos scripturarios etiamnum exstant, vel potius delitescunt, inspexerit, atque ita nobis editionem LXX maxime puram adornaverit. Quale opus utinam aliquando vir doctissimus Isaacus Vossius, qui optime potest, perficeret ederetque.

J. P.

PREFACE[a]

TO LORD VISCOUNT FALKLAND'S DISCOURSE ON THE INFALLIBILITY OF THE CHURCH OF ROME.

The Preface to the Reader.

THE eminent abilities in the most noble author of the ensuing learned discourse, and learneder reply, can scarcely be imagined unknown to any whom this language can reach: but if any such there be, I shall desire them to learn the perfections of that most excellent person, rather from the dedication, than this preface; the design of which is only to give the reader some satisfaction concerning the nature of this controversy in itself, and of these dissertations in particular.

The Romish doctrine of their own infallibility, as it is the most general controversy between them and all other churches excluded by them from their communion, so it is of such a comprehensive nature, that

[a] This Preface appears to have been first prefixed to a London edition of Lord Falkland's Treatise, published in 1647. It is reprinted in the works of Dr. Henry Hammond, fol. vol. ii. p. 629. 2nd ed. Lond. 1684.

being once proved and clearly demonstrated, it would without question draw all other churches so excluded to a most humble submission and acknowledgment; nay, to an earnest desire of a sudden reconciliation upon any terms whatsoever. For howsoever they please to speak and write of our heretical and obstinate persistance in manifest errors, yet I hope they cannot seriously think we would be so irrational, as to contradict him whom we ourselves think beyond a possibility of erring, and to dispute perpetually with them, whom only to hear were to be satisfied.

But when they have propounded their decisions to be believed and embraced by us, as infallibly true, and that, because they propound them, who in their own opinion are infallible; if, notwithstanding, some of those decisions seem to us to be evidently false, because clearly contradictory to that which they themselves propound as infallibly true, that is, the word of God; surely we cannot be blamed if we have desired their infallibility to be most clearly demonstrated, at least to a higher degree of evidence than we have of the contradiction of their decisions to the infallible rule. Wherefore, the great defenders of the doctrine of the Church of England have, with more than ordinary diligence, endeavoured to view the grounds of this controversy, and have written by the advantage either of their learning accurately, or of their parts most strongly, or of the cause itself most convincingly, against that darling *infallibility*. How clearly this controversy hath been managed, with what evidence of truth discussed, what success so much of reason hath had, cannot more plainly appear than in this, that the very name of infallibility, before so much exalted, begins now to be very burthensome, even to the main-

tainers of it: insomuch as one of their latest and ablest proselytes, Hugh Paulin de Cressy, lately dean of Leighlin &c. in Ireland, and prebendary of Windsor in England, in his Exomologesis, or faithful narration of the occasion and motives of his conversion, hath dealt very clearly with the world, and told us, that this "infal-"libility is an unfortunate word:" that Mr. Chillingworth "hath combated against it with too too great "success:" so great, that "he could wish the word "were forgotten, or at least laid by." That not only Mr. Chillingworth, whom he still worthily admires, but we the rest of the poor "Protestants have in very "deed very much to say for ourselves, when we are "pressed unnecessarily with it." And therefore Mr. Cressy's advice to all the Romanists is this, "that we "may never be invited to combat the authority of the "Church under that notion." Oh the strength of reason rightly managed! Oh the power of truth clearly declared! that it should force an eminent member of the Church of Rome (whose great principle is non-retractation) to retract so necessary, so fundamental a doctrine, to desert all their schools, and contradict all their controvertists. But indeed not without very good cause: for he professes withal, that "no such word as "infallibility is to be found in any Council: neither did "ever the Church enlarge her authority to so vast a "wideness: but doth rather deliver the victory into "our hands when we urge her decisions." In all which confessions, although he may seem only to speak of the word, yet that cannot be it which he is so weary of, because we except not against the word at all, but confess it rightly to signify that which we impugn, neither do we ever bring any nominal argument against it. But as when cardinal Bellarmine sets down the

doctrine of their Church in the positive terms, "Summus pontifex, cum totam Ecclesiam docet, in his, "quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest;" we conceive he hath sufficiently expressed the sense of the word infallibility, so that "infallibilis est," and "nullo casu errare potest," are to us the same thing; it cannot therefore be the word alone, but the whole importance and sense of that word infallibility, which Mr. Cressy so earnestly desires all his Catholics ever hereafter to forsake, because the former Church did never acknowledge it, and the present Church will never be able to maintain it. This is the great success which the reason, parts, and learning of the late defenders of our Church have had in this main architectonical controversy.

And yet though the Church never maintained it, though the Protestants have had such advantage against it, though Mr. Cressy, confessing both, have wished all Catholics to forsake it; yet will he not wholly forsake it himself, but undertakes most irrationally to answer for it. If the Church never asserted it, if the "Catholics be not at all concerned in it," to what end will Mr. Cressy, the great mitigator of the rigour and defender of the latitude of the Church's decisions, maintain it? If Mr. Chillingworth have had such good "success" against it, why will his old friend Mr. Cressy endeavour to answer his arguments? especially considering, when he hath answered them all, he can only from thence conclude that Mr. Chillingworth was a very bad disputant, who could bring no argument able to confute that which in itself is not to be maintained.

So unreasonable it is and inconsistent with his concessions that he should give an answer at all; but the

manner of his answer which he gives is far more irrational. For deserting the infallibility, he answers only the authority of the Church, and so makes this authority answer for that infallibility: from whence these three manifest absurdities must necessarily follow.

First, When he hath answered all Mr. Chillingworth's arguments, in the same manner as he pretends to answer them, he must still acknowledge them unanswerable, as they were intended by him that made them. And no argument need to be thought good for any thing else, if he which made it knew what he said, as Mr. Chillingworth certainly did.

Secondly, He only pretends to answer those arguments as against the authority of the Church, simply considered, without relation to such an infallibility, which were never made against an authority so qualified. And therefore, whether the argument of his dear friend were to any purpose or no, his answer manifestly must be to none.

Thirdly, If he intend to refute all opposition made to their infallibility by an assertion of their bare authority, then must he assert that authority to be as great and convincing which is fallible, as that which is infallible; that guide to be as good which may lead me out of my way, as that which cannot; that judge to be as fit to determine any doubt who is capable of a mistake, as he which is not. And then I make no question but some of his own Church, among the rest of their dislikes, will put him in mind of that handsome sentence of cardinal Bellarmine, "Iniquissimum esset cogere Christianos, ut "non appellent ab eo judicio quod erroneum esse "potuit."

I once thought to have replied to those answers which he hath given to Mr. Chillingworth's arguments:

but his antecedent concession hath made them so inconsiderable to me, that upon a second thought, I fear I should be as guilty in replying after my objections, as he hath been in answering after his concessions. Wherefore I shall conclude with an asseveration of mine own, which shall be therefore short because mine: That the reply of this most excellent person, (sola operarum summa, præsertim in Græcis, incuria excepta,) is the most accurate refutation of all which can be said in this controversy that ever yet appeared; and if what hath been already delivered have had such success upon so eminent an adversary, then may we very rationally expect at least the same effect upon all who shall be so happy as to read these discourses.

Which is the earnest desire of

J. PEARSON.

A PREFACE

TO A PARAPHRASTICAL EXPLICATION OF THE TWELVE MINOR PROPHETS, BY DAVID STOKES, D.D. A.D. 1659.

BY THE MOST WORTHY AND LEARNED MR. JOHN PEARSON, MINISTER OF ST. CLEMENT'S, EASTCHEAP.

IF the eunuch in the Acts, having a Prophet in his hand, and being asked this question, "Understand-"est thou what thou readest?" could give no better answer than that, "How can I, except some man "should guide me?"—if this were the best account which could there be given, where the original language was familiarly understood; what need of an interpreter must they have, who, far distant both in time and place, can read the Prophets in no other than their mother-language, and that most different from the tongue in which those holy authors wrote! As therefore the generality of Christians could not read the Scriptures at all except they were first translated, so when they are, many parts of them cannot yet be understood until they be interpreted. And, as of all the holy writers the prophets are confessedly most obscure; so amongst them the smallest must neces-

sarily be most intricate; brevity always causing some obscurity.

Now, though there be many commentators which have copiously written on the Prophets, yet we shall not find that light which might be expected from them; because some have undertaken to expound those oracles, being themselves either altogether ignorant of their language, or very little versed in it. Others enlarge themselves by way of doctrines or common-place, which may belong as well to any authors as those to which they are applied. Wherefore if any man hath really a desire to understand the scriptures, I commend unto him those interpreters whose expositions are literal, searching and declaring the proprieties of the speech of the author, and the scope and aim which he that wrote had in the writing of it.

Of these literal interpreters, useful to all readers, those are most advantageous to the unlearned, who contrive their expositions by way of paraphrase, and so make the author speak his own sense plainly, and perspicuously; which is the greatest light that can be given unto any writing originally obscure. For if the interpreter truly understand the mind of the author, then without any trouble or circumlocution it becomes the same thing as if the writer had clearly at first expressed himself. And therefore proportionably to our opinion of the knowledge of the paraphrast, we may rely upon the understanding of the author.

Thus in these smaller prophets, acknowledged by all, especially by such as know most, to be obscure; that interpreter which shall be able to deliver their mind, and contrive the same as if it proceeded immediately from themselves, must necessarily be confessed the best expositor. And no man can be able to perform this

but he which is exactly knowing of all the idioms of the Hebrew tongue, and familiarly acquainted with and constantly versed in the Prophets themselves, and the writings of the Jews.

Now such a person as this is hath taken the pains to benefit the Church of God with a paraphrase of this nature, the reverend and learned Dr. Stokes[a], who hath from the happy beginning of his studies been known most industriously to have prosecuted that of the oriental languages, and hath for more than forty years constantly made remarks upon the Hebrew text, from which he hath raised unto himself a body of critical observations ready and most fit for public view. Amongst many advantages accruing especially to the understanding of the Scriptures, he hath made choice to publish this paraphrase of the small Prophets; a work of more real than seeming value. Which I cannot sufficiently commend to the reader, neither in respect of itself, it is of so great use and benefit, nor in reference to his other works, which we may hope to see according to the entertainment given to this. And that, Christian reader, he desires may be found correspondent to the desert thereof; who is the Author's

Most affectionate Friend,

but in this more thine,

JOHN PEARSON.

[a] See an account of Stokes, in Wood's Fasti Oxon. ii. 81. Walker, part ii. p. 93. He, as well as Hales, was one of the deprived Canons of Windsor, and Fellows of Eton.

PREFACE

TO THE GOLDEN REMAINS OF THE EVER MEMORABLE
MR. JOHN HALES OF ETON COLLEGE.
LONDON. 1659.

To the Reader.

IF that reverend and worthy person, Mr. Farindon, had not died before the impression of this book, you had received from that excellent hand an exact account of the Author's life, which he had begun, and resolved to perfect and prefix to this edition. And as the loss of him is great in many particulars, so especially in this; because there was none to whom Mr. Hales was so thoroughly known as unto him, nor was there any so able to declare his worth; partly by reason of his own abilities eminently known, principally because he had learned his author from an intimate converse, who was a man never to be truly expressed but by himself.

I am therefore to entreat thee, reader, being deprived of the proper Plutarch, not to expect any such thing as a life from me, but to accept so much only as is here intended. If Mr. Hales were unknown to thee, be pleased to believe what I know and affirm to be true

of him; if he were known, then only be satisfied, that what is published in his name did really proceed from him. And more than this needs not to be spoken in reference to the advancement of this work; because he which knew or believeth what an excellent person Mr. Hales was, and shall be also persuaded that he was the author of this book, cannot choose but infinitely desire to see and read him in it.

In order to the first of these, I shall speak no more than my own long experience, intimate acquaintance, and high veneration grounded upon both, shall freely and sincerely prompt me to. Mr. John Hales, sometime Greek Professor of the University of Oxford, long Fellow of Eton College, and at last also prebendary of Windsor, was a man, I think, of as great a sharpness, quickness, and subtilty of wit, as ever this, or perhaps any nation bred. His industry did strive, if it were possible, to equal the largeness of his capacity; whereby he became as great a master of polite, various, and universal learning, as ever yet conversed with books. Proportionate to his reading was his meditation, which furnished him with a judgment beyond the vulgar reach of man, built upon unordinary notions, raised out of strange observations and comprehensive thoughts within himself. So that he really was a most prodigious example of an acute and piercing wit, of a vast and illimited knowledge, of a severe and profound judgment.

Although this may seem, as in itself it truly is, a grand elogium, yet I cannot esteem him less in any thing which belongs to a good man, than in those intellectual perfections; and had he never understood a letter, he had other ornaments sufficient to endear him. For he was of a nature, (as we ordinarily speak,) so

kind, so sweet, so courting all mankind; of an affability so prompt, so ready to receive all conditions of men; that I conceive it near as easy a task for any one to become so knowing, as so obliging.

As a Christian, none more acquainted with the nature of the Gospel, because none more studious of the knowledge of it, or more curious in the search; which, being strengthened by those great advantages before mentioned, could not prove otherwise than highly effectual. He took indeed to himself a liberty of judging, not of others, but for himself; and if ever any man might be allowed in these matters to judge, it was he, who had so long, so much, so advantageously considered, and, which is more, never could be said to have had the least worldly design in his determinations. He was not only most truly and strictly just in his secular transactions, most exemplary, meek, and humble, notwithstanding his perfections; but beyond all example charitable, giving unto all; preserving nothing but his books, to continue his learning and himself; which when he had before digested, he was forced at last to feed upon, at the same time the happiest and most unfortunate *helluo* of books, the grand example of learning, and of the envy and contempt which followeth it [a].

This testimony may be truly given of his person, and

[a] "Being reduced to necessity, "he was forced," says Wood, "to sell the best part of his "most admirable library, which "cost him 2500*l.*, to Cornelius "Bee of London bookseller, for "700*l.* only, as I have been "informed by persons of un-"questionable veracity." The sum thus produced he parted with by degrees to many scholars, sequestered ministers, and others that were in want; till he was himself, before his death, almost destitute. See Walker's Sufferings of the Clergy, pt. ii. p. 94, where an affecting account is given of Hales's last days from a MS. of Farindon's.

nothing in it liable to the least exception, but this alone, that it comes far short of him. Which intimation I conceive more necessary for such as knew him not, than all which hath been said.

In reference to the second part of my design, I confess, while he lived, none was ever more solicited and urged to write, and thereby truly to teach the world, than he; none ever so resolved,—pardon the expression, so obstinate,—against it. His facile and courteous nature learnt only not to yield to that solicitation. And therefore the world must be content to suffer the loss of all his learning with the deprivation of himself; and yet he cannot be accused for hiding of his talent, being so communicative, that his chamber was a church, and his chair a pulpit.

Only that there might some taste continue of him, here are some of his remains recollected; such as he could not but write, and such as, when written, were out of his power to destroy. These consist of sermons, miscellanies, and letters; and each of them proceeded from him upon respective obligations. [This impression is further augmented with the addition of some authentic letters, relating to the same transaction [b].] His letters, though written by himself, yet were wholly in the power of that honourable person to whom they were sent [c], and by that means they were preserved. The sermons, preached on several eminent occasions, were snatched from him by his friends, and in their hands the copies were continued, or by transcription dispersed. Of all which published for his, there is need to say no more than this, that you may be confident they *are* his.

[b] This sentence was added in the second edition, 1673. [c] Sir Dudley Carleton.

[The editor hath sent these abroad to explore what welcome they shall find. He hath some more of his sermons and tractates in his hands, and desires if any person have any other writings of the same author by him, that he would be pleased to communicate them to the printer of this work, T. Garthwaite, upon promise and any other engagement, that he will take care to see them printed and set forth by themselves.] [a]

This, reader, is all the trouble thought fit to be given thee, by

JOHN PEARSON.

[a] This paragraph was omitted in the later editions.

DISSERTATIONES DUÆ

DE SERIE ET SUCCESSIONE

PRIMORUM ROMÆ EPISCOPORUM.

JOANNIS THANI DEDICATIO

AD

VENERABILEM GUL. SANCROFT.

ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO DOMINO WILHELMO, DIVINA PROVIDENTIA ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI, TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI ET METROPOLITANO.

QUOD res ipsa magnopere suadet, et officii mei ratio postulat, id certe egomet absque piaculo missum facere non potui. Quem enim magis aut Pearsoniani nominis decus et gloria, aut etiam chronologicæ hæ Reliquiæ quam reverendissimum Cantuariensem nostrum, hodie vindicem ac patronum agnoscant? Nam in ea Ecclesiæ tempora incidimus, in quibus obsequium amicos, veritas odium parit. Hæc ergo ipsa jamdiu a Petri cathedra depulsa ad sedem tuam archiepiscopalem confugit: cumque totus in ea sis ad Ecclesiæ commune bonum et animarum salutem, quid mirum si tantis laboribus par succrescat invidia? Adeo dura rei Christianæ pars ac fortuna, tam iniqua etiam veritatis præ erroris sorte conditio, ut vel inaudita antehac venerandam antiquitatem impune mentiantur, et fides ipsa sanctis semel tradita audiat hæretica. Hem quo redacta est cœlestis illa veræ religionis forma, quam misere recto Dei cultui superstitiosa vanitas illusit! Est genus hominum, qui lucem ipsam et veritatem evangelii aspernantur, qui larvata et ficta omnia in pretio habent, qui relictis veteris Ecclesiæ monumentis adulterinas

merces passim venditant; in rebus sacris quam fluxa fides, in digerendis Ecclesiæ annalibus quanta confusio! Multi tamen exorti sunt viri boni, quos hæc ætas in Ecclesiæ Dei commodum tulit, qui omnes ingenii et eruditionis copias istorum conatibus feliciter opposuere; inter quos prima acie merito stetit, dum vixit, clarissimus Pearsonus, infulati ordinis decus et ornamentum, cujus hæc Chronologia Pontificia, imperfecta quidem illa, sed ab amicissimo Dodwello jam tandem suis numeris absoluta, sub auspiciis optimis prodit in lucem. In clientelam ergo tuam et fidem, reverendissime pater, etiam magni Cestriensis fama se commendat, dum judicio tuo omnia facile permittit; tam sacro munita præsidio a sæculi malignitate labem non metuit; cumque vir idem, cujus supra memini, Pearsonianæ famæ studiosissimus, illustrissimi Asaphensis [a] nomen in subsidium suis succenturiaverit, certe nil aliud sibi voluit, quam ut opus integrum duplici hoc clypeo utrimque tectum procedat in publicum. Deus Opt. Max. utrumque servet incolumem in Ecclesiæ Anglicanæ commodum et felicitatem, et in rei literariæ literatorumque beneficium maximum. Ita ex animo precatur ac vovet

Paternitati tuæ

devotissimus,

JOANNES THANE.

[a] Gul. Lloyd, postea ad Sedem Lichfeldensem, deinde ad Wigorniam translati; cui Dodwellus Dissertationem suam, olim Pearsonianis subjunctam, dedicaverat.

DISSERTATIO PRIMA

DE

SUCCESSIONE PRIMORUM ROMÆ EPISCOPORUM IN GENERE.

CAP. I.

I. Vera series pontificum Romanorum suis temporum terminis recte disposita ad intelligendam historiam ecclesiasticam perquam necessaria est.—II. Chronologi Pontificii qui lucem majorem expectabant, aut professi sunt, nihil in ea re effecerunt.—III. Protestantium chronologi, eam partem chronologiæ aut penitus omiserunt, aut confuse tradiderunt.—IV. Solus Heinschenius eam partem cum cura tradidit, nihil tamen certi attulit.—V. Nobis igitur alia tentanda est via.

I. SERIES pontificum Romanorum suis temporum terminis rite digesta ad intelligendam historiam ecclesiasticam plurimum valet. Eadem vero, præsertim ubi alii characteres temporis desiderantur, haud recte disposita, miram confusionem ut pariat necesse est; cum religio Christiana tam cito Romæ radices egerit, et ab urbe rerum domina in alias regiones penetraverit. Per priora autem Ecclesiæ sæcula ii temporum characteres a scriptoribus ecclesiasticis minime usurpati sunt, quos posteriores adhibuerunt; quales sunt anni a

Christo nato, consules Romani, imperatorum, similesque. Antiquissimi quidem scriptores Christiani nunc fortasse imperatorem, nunc Romanum pontificem obiter nominant; sed plerumque sine anno imperii, semper autem sine anno pontificatus: et quod maxime dolendum, non invenimus ab eodem antiquo auctore, et pontificem, et imperatorem, simul et in eadem re, nominatum. Quoniam vero imperatorum tempora satis certo nobis aliunde innotescunt, ubi eorum nomina proferuntur; si anni etiam addantur, satis certi reddimur; et si non addantur (aliqua circumstantia recte observata) multum aberrare non possumus, cum prioris imperatoris exitum, et sequentis initium, satis certo cognoverimus. At ubi pontifex tantummodo indigitatur, cum Romæ episcoporum tempora ab initio aut cognita aut agnita hactenus non fuerint, neque decessoris obitus, neque successoris ordinatio, satis nobis innotescat, gravis error in annalibus facile admitti potest, quoties res gestæ ad eorum pontificatus rediguntur; plurimosque hujusmodi errores et inveteratos adhuc in historia ecclesiastica retineri ego quidem existimo.

II. " Romana," inquit Bucherius, " Ecclesia licet " continuam texat pastorum suorum seriem, lucem " tamen in eorum prioribus majorem se requirere non " dissimulat." Unde hanc lucem ea Ecclesia quærat, nescio; certe nullam hactenus obtinuit; neque ipse, qui hoc fassus est, quamvis temporum examinator cætera diligentissimus, ullam affundere conatus est. Dionysius Petavius, vir sane doctus, et in rebus chronologicis maxime versatus, in Animadversionibus ad Epiphanium Hæresi xxviii. castigatam horum pontificum seriem, et ad veros annos redactam se dedisse profitetur: sed eam seriem ad veros annos minime castigavit, unum aut alterum annum in æra Christiana correxit, adeoque

nihil effecit; dum eorum tempora sigillatim perscrutari " plus molestiæ quam utilitatis habere" putavit, aut potius, ut se excusaret, putare voluit. Imo chronologi ex ea Ecclesia nuperi, ut Labbeus et Acciolius, dum maxime insudarunt ut anni vulgares Christi, imperatorum anni, et consules, recte sibi invicem responderent; de annis pontificum illorum ordini respondentibus minime soliciti fuerunt, aut leviter tantum eam partem attigerunt. Una nobis cogitantibus hujus discriminis ratio succurrere solebat; quod scilicet, si veri primorum pontificum anni eruerentur, autoritas omnium fere ecclesiasticarum tabularum, (ut loquuntur,) et martyrologiorum, (quod ad duo priora secula pertinet,) prorsus convelleretur.

III. Sed neque Josephus Scaliger neque Calvisius, uterque emendator temporum, quicquam hic tentavit, etiamsi ea ratione minime ducti sunt. Nam Scaliger in Canonum Isagogicorum lib. ii. hunc titulum habet, " Episcopi urbis Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Ierо- " solymorum, Constantinopoleos, et præterea nihil." In Animadversionibus autem ad Eusebii Chronicon, aut parum aut potius nihil de annis pontificum scripsit. Calvisius nulla cura eosdem disponit, sed nunc ex Damaso, nunc ex Eusebio, nunc ex Onuphrio, nonnunquam ex Baronio, ad annos diversos collocat, suam sententiam nunquam interponit. Adeo ut, si episcoporum Romanorum tempora spectemus, hoc Calvisii opus Scaligeri encomium minime mereatur. Hæc igitur chronologiæ pars aut obiter tantum et leviter tacta, aut penitus neglecta, mihi videtur necessario ventilanda, enucleate pensitanda, et ad origines ecclesiasticas eruendas corrigenda atque penitus reformanda. Nam, ut recte ab Ill. Cardinale observatum est, " Si in " ordine et tempore primorum Romanorum pontificum

" quempiam errare contigerit, in multos alios errores " ferri omnino cogetur."

IV. Sed postquam hæc aliaque quamplurima a nobis scripta sunt, et ad finem quem mihi præstitueram producta, vir eruditissimus Heinschenius edidit Diatribam Præliminarem in catalogos veteres Romanorum pontificum, ad Acta Sanctorum Aprilis. Illa Diatriba, quæ tandem ad manus meas pervenit, totam de hac chronologiæ parte doctrinam accurate et copiose explicat; quæ ante ab eo in tomo primo dicta fuerant, cum antiquitatis succum nondum imbiberat, revocat et amota esse vult; quæ nunc edoctus melius magisque exercitatus edit, sola eorum loco substituenda decernit. In quibus cum sæpissime errores Baronii recte castigat, ita tamen tabulas Romanas omnes defendit, etiam ubi vitiosissimæ sunt, et earum discrepantias tam miris modis conciliare conatur, ut post ejus magnam diligentiam ad veritatem eruendam, aut parum, aut nihil, adhuc peractum esse videatur. Nobis igitur ea provincia, quam non paucis abhinc annis in nos receperamus, etiamnum integra relicta esse videbatur, neque magna viri doctissimi industria proposito nostro viam præclusit, sed potius animum addidit, et desiderium illius lucis consequendæ accendit, quam Ecclesia Romana per Bucherium quæsivit, per Heinschenium non invenit. " Placuit," inquit Papebrochius, " hæc " opera circa Romanos pontifices in Aprili, et profuit " multis." Mihi certe nondum placuit, multo minus profuit. Et credo equidem auctori ipsi minus jam placere, cum profiteatur se habere paratam prelo ante tres tomos Junii dividendam universam Pontificiam Chronologiam, quam studiosius elaborans alia multa cognovit. Nam quod se putet ex diebus obitus posse initium cujusque pontificatus eruere, hoc est, ex incer-

tioribus certiora producere, et duos parietes eadem fidelia dealbare: nihil unquam maximo conatu et solertissima indagine efficiet aut extundet, quod cuipiam veritatis cupido satisfaciat; licet ei in hoc negotio Blondellus diu ante in præfatione et apologia viam straverit. Nam cum Martyrologium, quod Romanum dicitur, post librum pontificalem scriptum sit, ex diebus obitus in illo martyrologio descriptis nihil auctoritatis ordinationibus in pontificali descriptis accedet.

V. Quare adhuc diligentiæ nostræ qualicunque locus relictus est; alia nobis via tentanda, et ab illa cui hactenus viri docti institerunt plane diversa. Neque enim tot viros eruditos falli potuisse putandum est, si eam methodum prosecuti essent, quæ veritatem ostendere poterat, aut eos auctores in consilium adhibuissent, qui ipsos ad lucem aliquam perspiciendam dirigere atque deducere valuerant. Sed cum illi tantummodo ad catalogos et chronica priorum temporum nimis incerta, et sibi ipsis plerumque contraria respicerent tanquam omnium oculis exposita; et interim historiam eorundem temporum, tanquam minime ad annos supputandos aut necessariam aut utilem, prætermitterent atque negligerent, nihil ex antiquitate certius colligere potuerunt quam quod auctores, quos ante oculos habuere, quosque pro judicio quisque suo tanquam veraciores sequutus est, ipsis exhibebant. Primo igitur loco illorum catalogorum, gestorum, chronicorum, auctoritas examinanda, discutienda, et ubi opus est refellenda esse videtur, ex quibus nulla hactenus veritatis certitudo, quamvis et diligenter, et a multis quæsita, emicuit, et ex quibus, ut arbitror, qualitercunque evolvendis, terendis, atque retractandis, nulla unquam emicabit aut extorquebitur. Quæ examinatio in antecessum visa est mihi in hoc

opere prorsus necessaria, tum ut rationem reddam æquis lectoribus sane probabilem, quare hactenus ea tempora viris perspicacissimis minus intellecta fuerint, (quod nude propositum aut affirmatum ægre fidem habiturum apud plerosque facile prævideo,) et simul ostendam, quam necessariam sit aliam viam experiri, et in eum finem nostra proponere, si forte illa prioribus et veriora, et clariora, et denique firmiora judicari, debeant

CAP. II.

I. Duo Romanorum pontificum hactenus recepti catalogi veteres erronei.—II. Græcus prior Eusebii. Refellitur Valesius. Quindecim primorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ episcoporum nuda nomina, non item tempora, in archivis ecclesiasticis conservata reperit Eusebius.—III. Sed et recentiorum Hadriano ejusdem urbis episcoporum tempora admodum incerta.—IV. Horum tamen episcoporum nonnullorum tempora, nullo prorsus Autore, designavit Eusebius.—V. Male itaque ex Ecclesiæ Hierosolymitanæ successione collegit Valesius, tempora primorum episcoporum in Ecclesiæ primævæ monumentis fuisse conservata. In reliquarum sedium primariarum successionibus conservata fuisse verisimilius est, non tamen ita certum ut omnem prorsus excludat dubitandi rationem.

I. DUO supersunt Romanorum pontificum veteres catalogi annis uniuscujusque pontificatus consignati, sed non parum diversi, quorum unus a Græcis, alter a Latinis prodiit. Et quidem viri docti, aut hunc, aut illum passim sequuntur; alterum enim eorum satis probant, nec de alio aliquo hactenus cogitarunt: unde nunc huic, nunc illi adhærentes, veritatem assequi minime potuerunt. Ego vero, quod ad duo priora fere spectat sæcula, neutrum probandum, utrumque a veritate longe alienum, et a ducis auctoritate removendum sentio; quod tum ad minuendam maximorum virorum in hoc negotio existimationem (quam in aliis maximam esse debere libenter profiteor) tum ad tollendum totius operis nostri præjudicium omnino necessarium esse judico: quodque nisi præ-

stitero, et apertis rationibus evicero, aut nullum, aut minimum ex industria nostra emolumentum sperare potero.

II. Ut ab antiquiori, Eusebiano scilicet, quo episcoporum quatuor sedium præcipuarum successiones distincte proponuntur, incipiam: merito nobis considerandæ sunt, quæ vir undequaque doctissimus Henricus Valesius observavit: ille autem ad cap. 12. lib. v. Historiæ Eusebii hæc habet; "Nobiles Ecclesiæ, et "præsertim quæ ab Apostolis institutæ fuerant, epi- "scoporum suorum successionem in archivis reconditam "diligentissime servabant; eorum nomina et diem "obitus ex diptychis perscribentes. Hujusmodi libros "accurate excusserat Eusebius noster, sicuti ex hoc "loco apparet, qui præcipuarum sedium episcopus non "aliunde quam ex hujusmodi tabulis digessit." Utinam vir doctissimus hæc aliunde de archivis Ecclesiarum, et successionibus episcoporum reconditis, et de die obitus in diptychis scripto docuisset, et Eusebium sua ex hujusmodi tabulis digessisse probasset; nam quod ex hoc loco apparere ait, mihi minime probatur. Docet hoc loco Eusebius Narcissum post obsidionem Judæorum sub Hadriano decimum quintum successionis locum tenuisse, eorum quindecim ex gentibus primum fuisse Marcum, Μεθ' ὃν ἐπισκοπεῦσαι Κασσιανὸν αἱ τῶν αὐτόθι διαδοχαὶ περιέχουσι, καὶ μετὰ τοῦτον, Πούβλιον, εἶτα Μάξιμον, καὶ ἐπὶ τούτοις Ἰουλιανόν. Quæ verba sic transtulit Valesius, "Post quem episcopatu functum "esse Cassianum, deinde Publium, postea Maximum, "ac deinceps Julianum, episcoporum series, quæ in "archivis illius Ecclesiæ servantur, ostendunt." Habemus igitur archiva illius Ecclesiæ, et successiones in illis conservatas, si Latina Valesii spectemus; sed in Græcis nihil horum. Apud Eusebium simpliciter

positæ *αἱ τῶν αὐτόθι διαδοχαὶ* id non docent [a]. Optimus sui interpres Eusebius, lib. iv. c. 5. *τῶν γε μὴν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐπισκόπων τοὺς χρόνους γραφῇ σωζομένους οὐδαμῶς εὗρον.* " Eorum autem episcoporum tempora, qui " Hierosolymis præfuerunt, scripta conservata," (quæ verba in versione Valesii male omittuntur) " nusquam " reperi." *Τοσοῦτον δὲ ἐξ ἐγγράφων παρείληφα, ὡς μέχρι τῆς καθ' Ἀδριανὸν Ἰουδαίων πολιορκίας, πεντεκαίδεκα τὸν ἀριθμὸν αὐτόθι γεγόνασιν ἐπισκόπων διαδοχαί.* " Illud " tantum ex scriptis accepi, ad illam usque obsessionem " Judæorum, quæ imperante Hadriano contigit, quin- " decim numero episcoporum ibidem successiones " fuisse." Ecce quindecim episcoporum *αὐτόθι διαδοχὰς* scriptas sane, sed a nescio quo; et in eo scripto numerum quidem, et nomina conservata, sed præterea nihil. Eorum enim tempora sive annos, aut obitus, nullibi reperit scripto conservatos Eusebius. Idem Eusebius ipse etiam docet Demonstrationis Evangelicæ lib. iii. cap. 5. *Καὶ ἡ ἱστορία κατέχει, ὡς καὶ μεγίστη τις ἦν ἐκκλησία ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἀπὸ Ἰουδαίων συγκροτουμένη μέχρι τῶν χρόνων τῆς κατ' Ἀδριανὸν πολιορκίας. Λέγονται γοῦν οἱ πρῶτοι κατὰ διαδοχὴν προστάντες αὐτόθι ἐπίσκοποι Ἰουδαῖοι γεγονέναι, ὧν καὶ ὀνόματα παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις μνημονεύεται.* " Historia etiam continet max- " imam quandam Christi Ecclesiam Hierosolymis fuisse " ex Judæis conflatam usque ad Hadriani obsidionem. " Unde episcopi primi qui per successionem ibi præ- " fuerunt, Judæi fuisse dicuntur, quorum etiam nomina " ab incolis etiamnum memorantur." Quindecim igitur primorum episcoporum Hierosolymæ nomina apud

[a] Valesii versionem contra Pearsonum defendit nuperus Eusebii editor, F. A. Heinichen. in Annott. p. 359. ed. Oxon. Dodwellus in Dissert. sua c. xii. 2. " Non assentior patri maximo, " (Pearsono,) quod putet nomi- " num duntaxat, non item tem- " porum has Hegesippi fuisse " *διαδοχάς.*" Vid. infr. c. v.

Christianos provinciæ illius remanserunt, et præterea nihil.

III. Quindecim autem episcoporum, qui post illam Adriani obsessionem Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt, crederes ex ipsius verbis Eusebium majorem notitiam habuisse; sed ipse de iis etiam nihil aliud quam numerum et nomina in historia profert. Imo nec in chronico eorum tempora distinguit; sed potius, cum ad Narcissum episcoporum tricesimum quartum pervenit, hæc vel ipse, vel Hieronymus addidit: "Tan- "tis apud Hierosolymam constitutis episcopis non "potuimus discernere tempora singulorum, eo quod in "præsentem diem episcopatus eorum anni minime "servarentur." Ætate igitur Eusebii, sub initio quarti sæculi, nulla erat annorum distinctio scripto aliquo conservata, quæ tempora triginta trium priorum episcoporum, qui Hierosolymis præsidebant, distingueret. Fateor Epiphanium Hæresi lxvi. episcoporum Hierosolymitanorum tempora promisisse; ubi autem catalogum texit, nullius annos singulatim affert, paucorum exitus ad annos imperatorum deducit, Jacobum tradit passum sub Nerone, Symeonem sub Trajano, Joannem deducit ad undevicesimum Trajani, Justum ad decimum nonum Hadriani. Unde apparet, ne quidem ætate Epiphanii, annos priorum Hierosolymitanorum episcoporum vulgo cognitos fuisse. Indiculus quidem Nicephoro tributus post ætatem Epiphanii scriptus suos annos cuique adjungit, ut etiam Eutychius, sed unde eos habuerint, nescitur.

IV. Illud potius observandum fuit, Eusebium aliquando certum annum assignare, etiam ubi nullum scripto aliquo assignatum viderat. Ipse enim fatetur quindecim prioribus Hierosolymorum episcopis annos assignatos reperiri minime potuisse, et tamen Symeonis

Cleopæ martyrio decimum Trajani annum attribuit. Nulla auctoritate, sed tantummodo, ut obitum ejus ad persecutionem eam reduceret, qua S. Ignatius passus est, ut putabat. Didicerat enim ab Hegesippo Symeonem imperante Trajano crucifixum esse; quod Epiphanius sic expressit, Συμεὼν ἐπὶ Τραϊανοῦ ἐσταυρώθη, "Symeon sub Trajano crucifixus est;" quodque potius ad initium imperii ejus referri debuit, ut auctor indiculi Nicephoro tributi nos docet; qui quinque episcopis Symeoni proxime succedentibus octodecim annos assignat, quorum ultimus ad decimum nonum Trajani annum vixit, referente Epiphanio. Justo etiam Symeonis successori quatuor annos tribuit Eusebius ad annum Trajani XIV. his verbis in Chronico, "Post Justum "Ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopatum quartus sus-"cipit Zacchæus." Hæc ille, nemine præeunte; sicque undecim reliquis ex circumcisione episcopis vix viginti quatuor annos reliquit.

V. Ex hoc certe loco, unde observationem suam hausit Valesius, concludi non potest primis Ecclesiæ temporibus memoriam episcoporum in archivis conservatam, aut dies obitus eorundem in diptycha fuisse relatos, aut etiam tempora et annos posteritati transmissos, si aut Eusebii historiam, aut etiam Latinorum catalogos consideremus. Neque opus est ut de diptychorum ratione et antiquitate hic disseramus, cum eorum usus nullus in Ecclesia illis temporibus, quæ nos tractamus, mentio nulla appareat. Illud quidem suspicari quis potest, Eusebium habuisse catalogos reliquarum ecclesiarum nobilissimarum præter Hierosolymitanam, cum uniuscujusque episcopi annis scripto consignatis, et cum successionibus ab initio ad suam ætatem derivatis, certos et illibatos. Sed hæc mera est conjectura, et in eo tantum fundari potest, quod Euse-

bius testetur se non habuisse tales catalogos ab initio de episcopis Hierosolymitanis, de aliis autem nobilissimis ecclesiis idem non testetur. Sed hanc conjecturam vanissimam esse, quod ad Ecclesiam Romanam attinet, de qua nunc agitur, copiose probabimus; postquam de antiquissimis successionibus, earumque natura, vi et origine disputavimus, eaque adduximus, quæ sunt ad hanc chronologiæ partem prorsus necessaria. Interim hanc inanem conjecturam esse, et hanc consequentiam minime admittendam esse patet; quia nec in reliquis ecclesiarum illustrium, Antiochenæ nempe et Alexandrinæ, successionibus certa ratio temporum ab Eusebio observatur. Quod uno et altero exemplo breviter ostendam. In Chronico hæc ad annum Marci Antonini nonum legimus, "Antiochiæ VI. episcopus ordinatur Theophilus." Et rursus ad annum Marci decimum-septimum, "An-"tiochiæ VII. episcopus constituitur Maximinus." Agnovit Eusebius hujus Theophili "plurima ingenii "opera" sua ætate extitisse, et inter illa ad Autolycum tria volumina: ex istis autem satis constat hanc episcoporum chronotaxin esse erroneam. Nam Theophilus ad Autolycum post mortem Marci sub imperio Commodi scripsit. Libro enim tertio annos imperatorum Romanorum affert ex Chrysero, Nomenclatore, Marci liberto, quem ait omnes descripsisse usque ad domini sui obitum. Post obitum Marci scripsit Chryseros, post Chryserum Theophilus, sed ante mortem Commodi, cujus annos ipse non addit[b].

[b] Pauca huic capitulo videntur in fine deesse, quæ non absolverat Pearsonus. Omisimus quæ subjecerat Dodwellus, cum istiusmodi essent, quæ nihil conferrent ad argumentum Pearsoni, sed tantummodo opinionem suam tuerentur, olim in Dissert. ii. ad Iren. §. 44. propositam; Theophilum scil. qui scripsit ad Autolycum diversum esse ab episcopo Antiocheno. Quæ opinio vix cuiquam alii in Hist. Ecclesiastica versato se acceptam reddidit.

CAP. III.

I. Ab episcoporum successione argumentari solebant secundi tertiique seculi Patres adversus sui temporis hæreticos.—II. Item quarti seculi et quinti.—III. Qui tamen ubi successionis illius catalogos referunt, temporis nullam faciunt mentionem.

I. ERANT quidem successiones episcoporum in apostolicis ecclesiis a veteribus observatæ, et ad catholicæ doctrinæ traditionem adversus hæreticorum deliria comprobandam usurpatæ; ex quibus argumentum a Patribus confectum est irrefragabile, cui hæretici directe nunquam respondere ausi sunt. Primus omnium, quos novimus, S. Irenæus successiones eas asseruit, et contra hæreticos usurpavit, lib. iii. c. 3. "Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti "sunt in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos." Et lib. iv. c. 63. Γνῶσις ἀληθὴς ἡ τῶν ἀποστόλων διδαχὴ, καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς ἐκκλησίας σύστημα κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου, "et character corporis Christi secundum "successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in "unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ per-"venit usque ad nos." Non aliter Tertullianus, qui Irenæum sequi amat, de Præscriptionibus cap. 32. "Edant "ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem "episcoporum suorum ita per successiones decurrentem, "ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apo-"stolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, "habuerit auctorem et antecessorem: hoc enim modo ec-"clesiæ apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæ-"orum ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum refert,

" sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum iti-
" dem. Perinde utique et cæteræ exhibent, quos ab
" apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis
" traduces habeant." Origenes Præf. in lib. περὶ Ἀρχῶν·
" Servetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis
" ordinem ab apostolis tradita, usque ad præsens in
" Ecclesia permanens." S. Cyprianus Ep. ad Lapsos:
" Inde per temporum et successionum vices episcopo-
" rum ordinatio, et ecclesiæ ratio decurrit." Et hic est ille "ordo episcoporum ad originem recensus," de quo Tertullianus contra Marcionem l. iv. c. 5. Firmilianus in Epistola ad Cyprianum, " Potestas ergo pecca-
" torum remittendorum apostolis data, et ecclesiis, quas
" illi a Christo missi constituerunt, et episcopis, qui eis
" ordinatione vicaria successerunt." Hæc Patres secundi tertiique sæculi.

II. Eadem testantur Patres quarti, quintique sæculi. S. Epiphanius Hæresi lxxix. de Jacobo fratre Domini agens, Ἐξ οὗπερ ἐπισκόπου, καὶ τῶν προειρημένων ἀποστόλων κατεστάθησαν διαδοχαὶ ἐπισκόπων, καὶ πρεσβυτέρων ἐν οἴκῳ Θεοῦ· "A quo episcopo, et prædictis
" apostolis episcoporum et presbyterorum in domo
" Dei constitutæ sunt." Ut et Hæres. xli. meminit, Τῆς τῶν περὶ Ἰάκωβον, καὶ Πέτρον, καὶ Παῦλον ἀποστόλων διαδοχῆς· " successionis Jacobi, et Petri ac Pauli
" apostolorum." Sic postea contra Donatistas disputatum est. Optatus libro secundo, c. 3, 4. cum de cathedra Petri disseruisset, et successionis tabulam usque ad Damasum, aut Siricium descripsisset, his verbis Donatistas in arenam provocat, " Vestræ cathedræ vos
" originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam
" vindicare." Erat quidem tunc Macrobius in Urbe Donatistarum episcopus, sed ejus ordinem ad originem recensens Optatus, brevem hanc tantummodo successio-

nem dare potuit. Primus Donatistarum episcopus in urbe Victor Garbiensis, cui successit Bonifacius Ballitanus, Bonifacio Encolpius, Encolpio Macrobius. Et Victor illorum primus "erat," inquit, "illic filius sine "patre, tyro sine principe, discipulus sine magistro, "sequens sine antecedente." Addit quidem postea Macrobio successorem Lucianum, Luciano Claudianum. Quod obiter notandum esse putavi, utpote necessarium ad verum tempus scriptionis et editionis illius operis eruendum. S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati: "Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, "et in ordine illo patrum quis cui successit, videte." Idem lib. contra epistolam Manichæi, cap. 4. "Tenet "ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas "post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad "præsentem episcopatum, successio sacerdotum." Idem ep. xlii. al. ccxxxii. "Videtis certe multos præcisos a "radice Christianæ societatis, quæ per sedes aposto-"lorum et successiones episcoporum certa per orbem "propagatione diffunditur, de sola figura originis sub "Christiano nomine quasi arescentia sarmenta gloriari, "quas hæreses et schismata nominamus." Auctor libri Quæstionum utriusque Testamenti, c. cx[c]. "Nam et "ordinem ab apostolo Petro cœptum, et usque ad hoc "tempus per traducem succedentium episcoporum ser-"vatum perturbant, ordinem sibi sine origine vindi-"cantes, hoc est, corpus sine capite profitentes." S. Fulgentius lib. de Trinitate, cap. 1. laudat fidem, "quæ "usque nunc per successorum seriem in cathedra Petri "apostoli Romæ vel Antiochiæ, in cathedra Marci Evan-"gelistæ in Alexandria, in cathedra Joannis Evange-"listæ Ephesi, in cathedra Jacobi Hierosolymæ, ab "ipsorum episcopis prædicatur." Hæc successio adeo celebris fuit, ut ipsi episcopi qui in Ecclesia succedebant,

[c] In Append. Augustini, tom. xvi. p. 498. ed. Ven.

apostolorum successio dicerentur. Sic intelligo Vincentium Lirinensem cap. 6. " Exemplis plena sunt " omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, et ab " apostolica potissimum sede sumemus, ut omnes luce " clarius videant, beatorum apostolorum beata successio, " quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione " defenderit susceptæ semel religionis integritatem." Neque aliter intelligendus est Ruffinus Hist. Ecclesiasticæ lib. xl. ubi de Basilio et Gregorio agens hæc habet: " Solis divinæ scripturæ voluminibus operam " dabant, eorumque intelligentiam non ex propria præ- " sumptione, sed ex majorum scriptis et auctoritate " sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione " intelligendi regulam suscepisse constabat."

III. In his successionibus habemus ordinem perpetua serie continuatum, et præterea nihil. Talem nobis exhibet tabulam Irenæus, lib. iii. cap. 3. qualem etiam alii postea; ut Epiphanius, Optatus, Augustinus; in quibus nomina tantum episcoporum, et numerus et ordo repræsentantur; de distinctis eorum temporibus, de die ordinationis, aut obitus nulla fit mentio. Pseudo-Tertullianus de Successione Romana loquens lib. v. videri potest episcoporum tempora et annos indigitasse, dum ait,

> " Majorum natu cum nomine tempora, lustri
> " Tempora servavi, sceleris cui paruit auctor
> " Ignotus" ———

Lego enim " servavi," non " servati," ut libri editi præferunt. Sed ille tantum ad ea respicit, quæ lib. iii. scripserat de successione, ubi dixerat Marcionem sub Aniceto Romam venisse, et per " lustrum" nihil aliud voluit quam spatium temporis, quo quisque episcopus sedit, quod nullibi definivit; ut cum ait,

> " Sextus Alexander Sixto commendat ovile,
> " Post expleta sui qui lustri tempora tradit
> " Telesphoro" ———

CAP. IV.

I. In primis episcoporum catalogis nulli memorantur dies emortuales. Serior illa Depositio Episcoporum Bucheriana.—II. Recepta de primis Romæ episcopis plerisque martyribus sententia erronea est.—III. Notarios colligendis martyrum gestis primus instituit Fabianus.—IV. Nec ultra Fabiani memoriam surgunt gesta ecclesiasticis monumentis inserta.—V. Depositionis tam episcoporum, quam martyrum Bucherianæ tempus eruitur.

I. ILLUD certe ulteriori consideratione dignum est, quod Valesius tradidit de diebus obitus episcoporum in Ecclesiæ diptychis quasi ab initio conservatis, unde successiones apud Eusebium magni faciendas putat. Nam si dies illi ab initio conservati, et illis, qui successiones tradiderint, cogniti fuissent, magna lux historiæ et chronologiæ ecclesiasticæ inde affulsisset. Sed ut de diptychorum primorum ætate hic nihil dicam, nemo qui ante Eusebium scripsit, de die obitus alicujus episcopi in Ecclesia Romana, de qua nunc agimus, quicquam tradidit. In illa successione, quam primus memorat Irenæus, ordo tantummodo episcoporum per seriem quandam sive sequelam continuatus, observabatur; ut apud ipsum Irenæum legimus, lib. iii. cap. 3. Τῇ αὐτῇ τάξει, καὶ τῇ αὐτῇ διαδοχῇ. Ita legendum, non διδαχῇ, secundum Eusebii codices. Vetus interpres, " Hac ordinatione, et successione." Ut apud Epiphanium, Ἡ τῶν ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει ἀκολουθίαν. " Successio Romæ episcoporum hanc habet " seriem." Nondum autem horum episcoporum, quo-

rum nomina et numerus, et ordo in successionibus repræsentabantur, tempora et anni, nondum dies ordinationis, aut obitus singulorum ullo modo innotuisse noscuntur. Neque vero Eusebius diem obitus cujuspiam episcopi Romani commemorat. Extat quidem apud eum S. Polycarpi dies obitus, quia maxime illustris inter martyres fuit, cujusque martyrium ab illa Ecclesia, cui præfuit, conscriptum est. Reliqua martyria eo modo edita in unum volumen ab eo hinc inde collecta periere. In libro de Martyribus Palæstinæ, qui sub Diocletiano passi sunt, dies plerumque exprimitur; sed inter eos vix unus episcopus memoratur. Certe in aliquibus ecclesiis episcopi diu martyres non fuere; et " ex quo Carthagini episcoporum ordo me- " moratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis sacer- " dotibus, ad passionem ante Cyprianum venisse me- " moratur," ut tradit Pontius. De die quidem obitus episcoporum habemus aliquam memoriam in Ecclesia Romana, de qua agimus, in Opusculo apud Bucherium edito, quæ *Depositio Episcoporum* indigitatur. Sed quod ad disquisitionem nostram pertinet, nimis hæc sera sunt. Nam nullus ibi episcopus ante Lucium nominatur, qui sub Gallo et Volusiano mortuus est An. Dom. CCLIII. ut reliquorum, eorum saltem qui martyres non erant, dies obitus ætate Liberii pontificis minime consignati fuisse videantur, nequidem Telesphori, qui gloriosissime martyrium fecit[a].

II. Si credamus Martyrologio Romano, et Breviariis, et Libro Pontificum, priores omnes Romæ episcopi martyrium subiere; eosque magna ex parte vitam martyrio finiisse in confesso est, inquit Blondellus, qui contra successionem episcopalem in Ecclesia Hierosolymitana

[a] Iren. verba l. iii. adv. Hæres. c. 3. DODWELL.

disputans etiam addit, " Primos Romanæ ecclesiæ " præsules, quos dira seculi furentis rabies, vita pro " Christo profusa, exegit, ad paucos nonnunquam menses " præfuisse nihil mirum." Sed inter primos illos præsules Anterus sane primus fuit, cujus pontificatus mensibus numeratur, qui decessit Anno Dom. CCXXXVI; secundus autem Xystus, qui passus est An. Dom. CCLVIII. Et si vetustissimos scriptores consulamus, non inveniemus martyrem inter eos præsules ante Telesphorum, nec post eum ante Pontianum[b]. Alia hujusmodi rerum apud veteres ratio habetur. Verba quidem Onuphrii in Annotationibus ad Platinæ Hyginum hæc sunt: " A S. Petro usque ad Telesphorum " omnes pontifices ob Christi confessionem capitis " pœnas dedisse, Damasus auctor est:" quæ tamen ita intelligenda sunt, non quasi ita scripserit Damasus, quæ nuspiam scripta leguntur; sed quod Onuphrius ipse ex libro pontificali observasset singulos pontifices usque ad Telesphorum martyres dictos fuisse. Quæ tamen observatio non adeo certa est, ut statim recipi debeat. Nam in vulgatis codicibus istius libri Cleto martyrium non tribuitur, et ista verba " martyrio " coronatur" a Labbeo in margine adduntur, ut opinor, ex Anastasio. De Anacleto ibidem traditur eum " sepultum esse in pace," martyrium subiisse non traditur. Alexander, ut idem inquit, " martyrio " coronatur." Sed ea verba cum sequentibus absunt a C. H. ut Labbeus testatur[c]. Et nullius hæc ponderis sunt ex pontificali desumta, cum in secundo catalogo, libro pontificali antiquiore, nec Anacletus nec Euaristus, martyrium subiisse memoratur.

[b] Vide quæ annotavit venerabilis antistes Gul. Sancroft. in margine Historiæ præstantissimi Gul. Laud, ab ipso eximio martyre descriptæ. p. 140. ed. Wharton.

[c] In Concil. tom. i. 541.

III. Neque hoc mirum cuiquam videri debet: nam, ut ego quidem puto, ante tempora Fabiani episcopi Romani nulla talium rerum publica et constans consignatio Romæ habita est. De eo pontifice in vetustissimo catalogo legimus, " Hic regiones divisit diaco-" nibus:" et in secundo catalogo, " Hic regiones divisit " diaconibus, et fecit sex vel septem subdiaconos, qui " septem notariis imminerent, ut gesta martyrum fide-" liter colligerent." Et in Pontificali, " Hic regiones " divisit diaconibus, et fecit septem subdiaconos, qui " septem notariis imminerent, ut gesta martyrum in " integro colligerent." Et Pseudo-Isidorus Epistola Fabiani prima: " Septem ergo diaconos in urbe Roma " per septem regiones civitatis (sicut a patribus acce-" pimus) habemus." Et paulo post, " Denique septem " similiter subdiaconos ordinavimus, qui septem notariis " imminerent, et gesta martyrum veraciter in integro " colligerent, nobisque rimanda manifestarent." Ita ille ex Gestis Pontificalibus; sed hæc vera fuisse de Fabiano ego quidem credo; nam Cornelius, qui Fabiano successit, notat sub suo pontificatu Romæ fuisse cum septem diaconis, septem subdiaconos, apud Euseb. Hist. lib. vi. cap. 43: et non multo post Fabiani mortem, idem ut fieret, præcepit S. Cyprianus in Ecclesia Carthaginensi, Ep. 37. vel potius aliquid amplius: nam de confessoribus loquens, qui forte in carcere morerentur, " Denique," inquit, " et dies eorum, quibus " excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter " memorias martyrum celebrare possimus." Morem enim eum memorias martyrum celebrandi tunc et antea in usu fuisse idem indicat Ep. 34. et idem ante eum Tertullianus, et post eum Pontius. Et Gregorius Thaumaturgus, Cypriano synchronus post Decii persecutionem, προσθήκην ἐποιεῖτο τοῖς ἁπανταχοῦ λαοῖς τῆς

περὶ τὸ θεῖον σπουδῆς, τὰς ὑπὲρ τῶν ἐνηθληκότων τῇ πίστει πανηγύρεις νομοθετήσας. Καὶ διαλαβόντες ἄλλος ἀλλαχῆ τῶν μαρτύρων τὰ σώματα, κατὰ τὴν ἐτήσιον τοῦ ἐνιαυσιαίου κυκλοῦ περίοδον, συνιόντες ἠγάλλοντο, τῇ τιμῇ τῶν μαρτύρων πανηγυρίζοντες· "Additamentum faciebat ubique "studii erga Deum, martyrum panegyres lege sanciens. "Et alio in alium locum martyrum corpora deducente, "per annui circuli ambitum congregati lætabantur, in "honorem martyrum solennes conventus celebrantes." Quod tanquam magnæ sapientiæ Thaumaturgi argumentum laudat Gregorius Nyssenus in ejus vita [d].

IV. Quod autem idem tribuit libri pontificalis auctor Clementi, temporibus Galbæ et Vespasiani, omnem fidem superat; et miror Baronium Martyrolog. Rom. c. 8. asserere potuisse protonotarios initio nascentis Ecclesiæ sub Clemente Romano pontifice res gestas martyrum locupletius et diligentius scripsisse, quam ipse scripsit Eusebius; atque a temporibus S. Clementis Martyrologium Romanum originem deducere, et initium auspicari. Dies obitus Callisti, et Pontiani in *depositione martyrum*, ut et Anteri in vetustissimo catalogo, memorantur; sed hi facile a notariis Fabiani ex recenti memoria consignari potuerunt. Telesphorus autem quem gloriose martyrium subiisse testatur Irenæus, quoniam plusquam integro seculo Fabianum præcessit, in depositione martyrum non memoratur [e]. Ego plane sentio Fabianum pontificem, qui sub imperio Maximini post relegationem Pontiani, et mortem Anteri, prædecessorum suorum ordinatus est, statim post persecutionem eam, quæ brevissima fuit, pacatissimo tempore regiones divisisse diaconis, et subdiaconos instituisse, et multas fabricas per cœmeteria fieri

[d] Opp. tom. iii. p. 574. a. ed. Morell. [e] Vid. infr. Dissert. ii. c. viii. 9.

jussisse, et simul instituisse, ut gesta martyrum colligerentur circa An. Dom. CCXXXVI. Nec enim mihi placet morosa illa Rigaltii, ecclesiasticis viris sæpius iniquioris, observatio; qui subdiaconos primum institutos fuisse ait ex superbia et inertia pastorum Ecclesiæ. Utcunque sit, successiones istæ circa medium secundi seculi primo literis consignatæ distinctionem temporum et annorum præ se non ferebant.

V. Hæc de initio episcopatus Fabiani sententia nostra, et de publica dierum obitus in Ecclesia Romana observatione, ne quis eam ex arbitrio nostro nos posuisse, aut ex sola interpretatione locorum hactenus adductorum haustam proposuisse sentiat, particularius explicanda, illustranda, et sic fortius probanda est. A tempore persecutionis Maximinianæ dies obitus Romæ episcoporum, qui martyrium subiere, sine dubio publica cura consignati sunt; et proinde in Ecclesiæ Romanæ archivis conservati, ut dies obitus Pontiani, qui sub ea persecutione primo "discinctus[f]" est; et Anteri, qui eodem anno, quo ordinationem suam Fabianus accepit, et quidem paulo ante, martyrio coronatus est. Ex his Ecclesiæ archivis, quod præcipue Romanos episcopos spectat, confecta est *depositio martyrum* apud Bucherium extans; quæ circa annum æræ vulgaris CCCLX. scripta esse videtur. Sed et eadem opera, episcoporum qui Romæ decesserunt, etiamsi cruentam mortem non subierant, dies obitus postea consignati sunt, et conservati. Eam depositionem episcoporum, ut nunc exstat, sub Julii episcopatu primo collectam, sub Liberio perfectam esse, sive ultimam manum accepisse sentio. Ratio distinguendi, tempora collectionis, et perfectionis in eadem depositione, hæc mihi

[f] Verb. Pontifical. P.

satis idonea, imo perquam necessaria videtur. Dies enim depositionis non dispositi sunt secundum seriem successionis episcoporum qui deponebantur; sed secundum ordinem mensium quibus quisque obiit, incipiendo a Januario, et in Decembri desinendo. Inter quos cum Marcus, qui decessor Julii fuit, memoretur secundum ordinem mensis quo obiit, Octobri scilicet, illa collectio fieri non potuit ante episcopatum successoris ejus Julii. Rursus cum Julii, qui post omnes præsul fuit, depositio extra et infra ordinem mensium posita sit; et post Decembris mentionem pridie idus Aprilis facta esse memoretur, vel inde constat priorem depositionis partem cum Decembri finientem, sub Julio collectam fuisse, et hanc unicam additionem post Julii mortem sub Liberio accessisse. Harum depositionum, sive martyrum, sive episcoporum Romæ, nec vola, nec vestigium ante episcopatum Pontiani, sive persecutionem Maximinianam, extat: et quod maxime sententiam nostram confirmat, auctor antiquissimi catalogi pontificum Romanorum a Pontiano et Antero incipiens, dies obitus succedentium episcoporum plerumque annotat, nullum diem emortualem cuiquam ante Pontianum assignat.

CAP. V.

I. Hæreticis, sub seculi secundi initium, traditionis apostolicæ successionem venditantibus, inde facta est catholicis occasio, ut et ipsi successorum in ecclesiis, præsertim apostolicis, tabulas conficerent.—II. Istiusmodi tabulas primus collegit Hegesippus, cujus vera, adversus Valesium, lectio defenditur.—III. Item adversus Halloixium.—IV. Vera loci interpretatio ulterius confirmatur. V. Etiam ex Hieronymo.

I. HARUM successionum natura multo penitius cognosceretur, si eorum originem reperire possemus; verisimile enim non est apud ecclesias celeberrimas in archivis tabulas aliquas conservatas esse, in quibus nomina episcoporum scriberentur; neque puto eum ecclesiarum statum ab initio fuisse, ut de talibus, aut rebus, aut scriptis, aut reconditoriis cogitarent. Multo probabilius mihi videtur, tales tabulas confectas esse, postquam Ecclesiæ videbantur necessariæ. Vetustiores enim hæretici dogmatibus suis ab ipso initio secundi seculi patrocinium ex eo quærebant, quod illa ab apostolorum discipulis didicerant: ut Basilides Glauciam Petri interpretem, magistrum suum fuisse gloriatus est: et Valentinus professus est se audivisse quendam nomine Theodadi, discipulum S. Pauli. Quare catholici hoc argumento levi et imbecillo pressi, ad certos et indubitatos apostolorum successores provocabant; adeoque tabulas in ecclesiis præsertim

apostolicis conficiendas curabant: certi auctoritatem ab episcopis per apostolos constitutis, eorumque successoribus indubitata serie continuatis petitam maxime valituram esse contra prætextum unius, aut alterius hominis obscuri, qui forte apostolorum aliquem aliquando audiverat.

II. Hujusmodi episcoporum successionis in apostolicis ecclesiis tabularum, aut ego fallor, aut Hegesippus primus, vel inter primos auctor vel editor fuit, et quidem circa medium secundi seculi: sic enim ille de seipso loquitur apud Eusebium, lib. iv. c. 22. Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου. Henricus quidem Savilius ad oram sui Codicis pro διαδοχὴν scripsit διατριβὴν, quam emendationem necessariam putans Valesius sic Græca transtulit, " Romam " vero cum venissem, mansi ibi apud Anicetum." Quæ quidem versio si proba sit, hanc nostram conjecturam de Hegesippo funditus evertit; sed est nimis manifesto detorta: nam μέχρις Ἀνικήτου, " apud Anicetum," nunquam sonat: ἄχρι et μέχρι Græce aliud significat: Hesych. Μέχρι, ἕως τινός. Suidas, Ἄχρι, ἀντὶ τοῦ μέχρι, ἕως. Lex. Græco-Lat. Μέχρι νῦν, " usque adhuc," et Μέχρι τούτου, " usque eo." Lex. Cyrilli, Μέχρι δεῦρο, μέχρι ὧδε, ἕως τοῦ νῦν. Quare μέχρι Ἀνικήτου non magis sonat " apud Anicetum," in verbis Hegesippi, quam μέχρι Ῥώμης, " apud Romam," paulo ante in verbis Eusebii. Quam absurdum enim esset, si quis illa Eusebiana de Hegesippo ἀποδημίαν στειλάμενος μέχρι Ῥώμης, sic interpretari vellet, " cum apud Romam, vel " Romæ, proficisceretur?" Vidit hoc vir perspicacissimus, ideoque in annotationibus, quibus versionem suam aut corrigere, aut emollire solet, tradit Hegesippum tantum dixisse, " se Romæ mansisse usque ad " pontificatum Aniceti:" quod ut aliquo modo tuere-

tur, addidit, " Romam ergo venerat Hegesippus sub " extrema Pii tempora," sine ulla auctoritate, aut verisimilitudine; et contra expressam sententiam Eusebii, et Hieronymi, qui eum non sub Pio, sed sub Aniceto Romam venisse diserte tradunt. Cum igitur illa marginis observatio in hos errores tantum virum deduxerit, cum MSS. Codices, quibus usus erat, nihil tale ipsi suggesserint; cum Robertus Stephanus in vetustis codicibus nullam hic lectionis varietatem animadverterit; cum Ruffinus, qui ei præivit, tam absurde locum transtulerit, " Cum autem venissem Romam, " permansi ibi donec Aniceto Soter, et Soteri successit " Eleutherus," aliud aliquid his verbis significari sentio.

III. Certe Halloixii effrænis licentia in hoc loco corrumpendo minime ferenda est, qui primo supposuit hunc locum valde corruptum esse in Græcis exemplaribus, partim ex dictionum transpositione, partim etiam ex commutatione; quo supposito non tantum *διαδοχὴν* in *διατριβὴν*, nemine præeunte, convertit; sed et pro *μέχρις* Ἀνικήτου legit *παρὰ* Ἀνικήτῳ, quod paulo inferius extra locum suum ex vitio, vel librariorum, vel typographorum positum fuisse putat. Et rursus pro *καὶ παρὰ* Ἀνικήτου *διαδέχεται* Σωτὴρ, extrita particula *καὶ*, substituit *μέχρι* Ἀνίκητον *διαδέχεται* Σωτὴρ, sicque interpretatur, " donec Aniceto successit Soter;" quasi *μέχρι* Ἀνίκητον *διαδέχεται* bene Græca essent, aut eum sensum funderent; qui denique hæc a seipso pessime excogitata pro ipsis Hegesippi verbis edidit, adeoque sententiam suam a se confictam pro Hegesippiana dedit.

IV. Ego veterem lectionem in hoc Hegesippi loco minime solicitandam, sed omnino retinendam puto; cujus ex loci integri inspectione ratio statim constabit. Sic igitur Hegesippus, *Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν*

ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος, καὶ παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτὴρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος· ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ, καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει, καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ Κύριος· " Romæ " vero cum essem, successionem composui usque ad " Anicetum, cujus diaconus erat Eleutherus, et Aniceto " successit Soter, post quem Eleutherus: in omni " autem successione, et in omni civitate res ita se " habet, ut lex prædicat, et prophetæ, et Dominus." Mihi hæc clarissima videntur: Hegesippus longum iter instituit Romam usque, multas civitates adiit, multis episcopis se adjunxit; Corinthi cum esset, de origine ejus ecclesiæ quæsivit, de Epistola S. Clementis certiorem se fecit; illam ecclesiam ab eo tempore in recta fide permansisse usque ad Primum tunc episcopi locum ibidem tenentem, observavit. Romam inde adiit, ibique successionis tabulam confecit usque ad Anicetum, sub cujus pontificatu Romam venit, ut Eusebius testatur lib. iv. c. 11. obiterque postea, cum commentarios scriberet sub Eleuthero, e quibus hæc verba transcripta sunt, monuit Aniceto successisse Soterem, Soteri Eleutherum, qui Aniceti diaconus erat eo tempore, quo Romæ fuit, addiditque, ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ, " in omni " vero successione," et in unaquaque civitate rectam fidem conservatam esse. Quæ cum sint ad nostram interpretationem confirmandam imprimis comparata, Halloixius illa ἐν ἑκάστῃ διαδοχῇ, in Hegesippi verbis recitandis penitus omisit. Hanc autem veterem lectionem et interpretationem nostram, qua διαδοχὴν ἐποιησάμην, " successionem composui," vel successionis tabulam confeci, redditum est, non alio argumento rejicit Halloixius, quam quod non sit " usitatissima " locutio." Cui facile respondetur ex Hieronymo, qui modum loquendi ab Hegesippo in historia usurpatum

observavit. Ille enim in catalogo de illo veteri scriptore, " Quinque libros composuit sermone simplici, ut " quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret " characterem."

V. Hæc prima mihi videtur episcoporum Romæ successionis observatio, quæ postea maximi usus fuit adversus hæreticorum deliria, ab Irenæo primo in eum finem, ab aliis postea sæpius usurpata. Nam, ut refert Hieronymus, " Hegesippus vicinus apostolicorum tem- " porum, omnes a passione Domini usque ad suam " ætatem ecclesiasticorum actuum texens historias, " multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc " inde congregans, quinque libros composuit." Quod si successiones episcoporum ante ejus ætatem factæ extitissent, quorsum ille in unaquaque civitate diligenter quæreret, qui episcopi ab initio præfuerint? quorsum successionis tabulam Romæ conficeret usque ad Anicetum pertingentem, tamdiu antequam historiam scripsit?

CAP. VI.

I. Fundarintne Ecclesiam Romanam Petrus et Paulus?—II. Affirmant Irenæus, Epiphanius, Eusebius.—III. Apostolos Ecclesiæ Romanæ non fundatores modo, verum etiam episcopos, statuit Epiphanius.—IV. A S. Petro solo Romanæ Ecclesiæ successionem arcessunt Caius Græcus, et Latini auctores plerique.—V. E Scriptura probari nequit, seu Romæ fuisse S. Petrum, seu e contra.

I. MANET adhuc alia quæstio non de auctore tabulæ, sed de ipsius successionis origine; an scilicet primus Romæ episcopus aliquem ex apostolis habuerit auctorem et antecessorem: hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt, ut loquitur Tertullianus. Quæ quidem quæstio ideo hic ventilanda est, ut inde perspicere possimus, an ea successio vere fuerit apostolica, adeoque digna, pro qua tantopere contendere debuerint antiqui patres, et nos etiamnum debeamus. Quamvis enim hac ætate de hac apostolica successione instituta dissertatio quæstio dici possit, in primitiva tamen Ecclesia nunquam pro quæstione, sed pro vera et indubitata veritate habebatur.

II. Nam Irenæus, a quo hanc Romanæ successionis tabulam primo accepimus, originem ejus clare a duobus apostolis, SS. Petro et Paulo arcessit. Sic enim ille, *Θεμελιώσαντες οὖν, καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρησαν*· "Fundantes igitur, et instruentes beati "apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum adminis- "trandæ Ecclesiæ tradiderunt," ut habet Vetus In-

terpres lib. iii. cap. 3. Quinam autem hi apostoli fuerint, idem paulo ante indicat, dum dicit se non omnium ecclesiarum successiones enumerare velle; sed unius tantum, "Maximæ et antiquissimæ, et omni- "bus cognitæ, a gloriosissimis apostolis Petro et Paulo "Romæ fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ." Ita Romanæ Ecclesiæ successionem enarrat Epiphanius, Hær. xxvii. Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος, οἱ ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος· "Romæ enim fuere primi Petrus et Paulus, iidem "apostoli et episcopi, deinde Linus." Et paulo post, Ὅμως ἡ τῶν ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει τὴν ἀκολουθίαν, Πέτρος καὶ Παῦλος, Λῖνος, Κλῆτος· "Atta- "men Romanorum episcoporum successio hanc habet "seriem; Petrus et Paulus, Linus, Cletus." Sic Irenæus dicit Hyginum Romæ nonum locum episcopatus per successionem ab apostolis habuisse. Sic Eusebius, l. iii. c. 21. Ἐν τούτῳ δὲ Ῥωμαίων εἰσέτι Κλήμης ἡγεῖτο, τρίτον καὶ αὐτὸς ἐπέχων τῶν τῆδε μετὰ Παῦλόν τε καὶ Πέτρον ἐπισκοπευσάντων βαθμόν. Et rursus, lib. iv. cap. 1. Ἐν τούτῳ καὶ Ἀλέξανδρος, ἐπὶ Ῥώμης ὄγδοον ἔτος ἀποπληρώσαντος Εὐαρέστου, πέμπτην ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου κατάγων διαδοχὴν, τὴν ἐπισκοπὴν ἀπολαμβάνει· "Eo- "dem tempore, cum Euaristus annos octo exegisset, "Romæ episcopatum suscepit Alexander, quintum a "Petro et Paulo successionis obtinens locum." Ita Græci, Irenæus, Eusebius, Epiphanius, originem successionis ab utroque apostolo deducunt.

III. Eodem sensu in hæresi Cerdonianorum Epiphanius ait, Hyginum post Jacobum, Petrum ac Paulum apostolos, nonum episcopalis successionis locum tenuisse. Quomodo ex hoc loco eundem sensum Epiphanii exsculpserit, quem Eusebio affixerat, non video. Vult Valesius Eusebium S. Paulum fundatorem cum Petro

Ecclesiæ Romanæ, sed non episcopum statuisse: an hoc dicit Epiphanius? Imo si Valesio credamus, sic enim ille, "Siquis ex hoc loco contenderet Jacobum "fuisse episcopum urbis Romæ una cum Petro, is pro- "fecto ridiculus haberetur: idem quoque putandum "est de Paulo." Sed non minus ridiculus esset, qui ex eodem Epiphanii loco colligeret Jacobum fuisse Ecclesiæ Romanæ fundatorem. Illud certe voluit Epiphanius, et Jacobum, et Petrum, et Paulum, episcopos fuisse, Petrum et Paulum Romæ, Jacobum Hierosolymis. Hoc ex pluribus Epiphanii locis manifestum erit. Primo Hæres. lxxi. ubi apostolos enumerat *σὺν Ἰακώβῳ τῷ ἀδελφῷ τοῦ Κυρίου, καὶ πρώτῳ ἐπισκόπῳ Ἱεροσολύμων*, "cum Jacobo fratre Domini, et primo Hiero- "solymorum episcopo." *Ἐξ οὗπερ ἐπισκόπου, καὶ τῶν προειρημένων ἀποστόλων κατεστάθησαν διαδοχαὶ ἐπισκόπων, καὶ πρεσβυτέρων, ἐν οἴκῳ Θεοῦ.* "Ex quo episcopo, "et prædictis apostolis successiones episcoporum, et "presbyterorum, in domo Dei constitutæ sunt." Successio scilicet Hierosolymitana ab episcopo Jacobo, Romana a Petro et Paulo, apostolis et episcopis. Sic enim ipse loquitur, *Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος, οἱ ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος, εἶτα Κλῆτος·* "Romæ enim fuere primi "Petrus et Paulus, iidem apostoli et episcopi, dein "Linus, dein Cletus." Ubi aperte docet Paulum non minus quam Petrum, et apostolum, et episcopum, fuisse, et a Paulo non minus quam a Petro successionem episcoporum Romanorum deducit. In Hæresi quidem lxxi. Jacobum episcopum tantum nominat, quia putavit eum a duobus apostolis distinctum, adeoque apostolum non fuisse; Petrum autem et Paulum tum apostolos, tum episcopos fuisse dixit, ut ab illis successionem episcoporum derivaret. Verum est igitur,

quod diximus, veteres Græcos patres Petrum et Paulum pro episcopis Ecclesiæ Romanæ habuisse.

IV. Caius quidem Græce scripsit contra Artemonem, et solum Petrum nominavit, a quo successio derivata est; sed erat ille Ecclesiæ Romanæ presbyter, ut veteres testantur. Latini vero patres S. Paulum hic non nominant, sed a solius Petri ordinatione successionis originem petunt. Ut Tertullianus de Præscriptione, cap. 32. "Hoc enim modo Ecclesia Polycarpum ab "Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum Cle- "mentem a Petro ordinatum itidem." Hujus successionis a S. Petro sæpius meminit S. Cyprianus; in Ep. lv. "Cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri "et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret:" alibique sæpius, ut in secunda dissertatione ostendemus. Idem docebat Cypriano synchronus, papa Stephanus, ut patet ex epistola Firmiliani, in qua de eo in hunc modum loquitur: "Qui sic de episcopatus sui loco gloriatur, et "successionem Petri tenere contendit." Ac rursus, "Qui per successionem cathedram Petri habere se "prædicat." Hoc voluit vetustissimi catalogi auctor in procemio: "Post ascensum Christi beatissimus Petrus "episcopatum suscepit. Ex quo tempore per suc- "cessionem dispositum, quis episcopus, et quot annis "præfuit, vel quo imperante." Mox Optatus, lib. ii. c. 3. "Ergo cathedra unica, quæ est prima de dotibus, "sedit prior Petrus; cui successit Linus." Et libro primo, c. 10. "Nec Cœcilianus recessit a cathedra "Petri, vel Cypriani, sed Majorinus." Hieronymus in Catalogo, "Clemens quartus post Petrum Romæ epi- "scopus." Et rursus: "Quamvis plerique Latinorum "secundum post Petrum apostolum putent fuisse Cle- "mentem." Sulpitius de Imperio Neronis agens[a]:

[a] In Hist. Sacr. lib. ii. c. 28.

" Eo tempore divina apud urbem religio invaluerat, " Petro ibi episcopatum gerente, et Paulo, postquam ab " injusto præsulis (aut præsidis) judicio appellaverat, " Romam deducto." Auctor Quæstionum utriusque Testamenti, cap. 110. " Nam et ordinem ab apostolo " Petro cœptum, et usque ad hoc tempus per traducem " succedentium episcoporum servatum perturbant." Idem docet Augustinus, Epist. cxlv. ad Generosum, " Si enim ordo episcoporum sibi succedentium con- " siderandus est, quanto certius et vere salubriter ab " ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram " gerenti, Dominus ait, *Super hanc petram ædificabo* " *Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent* " *eam?*" Idem ipse alibi, et Fulgentius, locis capite tertio citatis, aliique complures.

V. Et quidem S. Paulum Romæ fuisse, eique Ecclesiæ præfuisse, ex Actis Apostolorum constat, ut a nemine negari possit. Sed non defuerunt viri docti hoc, et priori sæculo, qui aperte negarunt S. Petrum Romæ cathedram posuisse, aut quenquam illic ordinasse, aut in ea urbe unquam fuisse. Cum enim in Actis Apostolorum adventus Romam hujus apostoli nullo modo indicatur, et aliqua etiam aliunde afferuntur, quæ tali adventui contradicere videantur, Petrum unquam Romæ fuisse negare non verentur. Hæc autem in hoc negotio prætereunda esse non putavi; sed potius quod ad historiam et chronologiam pertinet, quas in hoc opere conjungo, examinanda: neque aliter judicium nostrum interponendum esse sentio. Largior equidem ex S. Scriptura probari minime posse S. Petrum unquam Romam vidisse; quod videtur etiam Hieronymus nobis largiri, dum in Commentario ad cap. 2. Epistolæ ad Galatas ait, " Denique primum epi- " scopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse acce-

" pimus, et Romam exinde translatum, quod Lucas " penitus omisit." Neque mirum. Nam nec Titi S. Pauli comitis usquam meminit Lucas, cujus apostolus ipse toties meminit in Epistolis. Sed dum hoc largior, ex eadem Scriptura probari posse eum Romæ nunquam fuisse non puto. Hic igitur fidem historiæ, licet non divinæ, et rationem ex circumstantiis ab ultima antiquitate depromptis innixam locum habere posse sentio. Quod ad tempora et annos, quos sedi ejus Antiochenæ et Romanæ vulgo tribuunt, puto eos S. Scripturæ refragari, nec ullo veteris ecclesiæ testimonio satis idoneo niti, ideoque eam partem chronologiæ penitus rejiciendam esse facile impræsentiarum concedo, et mox probabo.

CAP. VII.

I. S. Petrum Romæ fuisse probatur—II. ex Ignatio, Papia, vetustissimo *κηρύγματος Πέτρου* auctore,—III. e Dionysio Corinthio,—IV. ex Irenæo, Caio, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, Cypriano, Lactantio, Eusebio, Athanasio, Epiphanio, Juliano Apostata, Augustino, Palladio.—V. Mirum itaque reperiri potuisse qui Petrum Romæ unquam fuisse negarent.

I. PRIMO igitur ea ex scriptis antiquissimorum patrum adducenda sunt, quæ apostolum Petrum Romæ fuisse aut diserte asserunt, aut aperte satis indicant; quæque ex ætate, qua scripta sunt, et circumstantiis, quibus vestiuntur, aut singulatim, aut conjunctim ad eam rem demonstrandam optime comparata esse videantur.

II. S. Ignatius Epistola ad Romanos, *Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος ὑμῖν διατάσσομαι· ἐκεῖνοι, ἀπόστολοι, ἐγὼ κατάκριτος· ἐκεῖνοι ἐλεύθεροι, ἐγὼ μέχρι νῦν δοῦλος.* Vetus Interpres; " Non ut Petrus ut Paulus præcipio vobis: " illi apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego usque " nunc servus." Quid enim ex his verbis ad Romanos scriptis apertius, quam sanctissimum martyrem in ea sententia fuisse, quod Petrus non minus quam Paulus Romæ evangelium prædicaverit et passus sit? Certe S. Chrysostomus hunc locum respexisse videtur, cum de Roma ait, *Διὰ τοῦτο καὶ Πέτρος καὶ Παῦλος, καὶ μετ' ἐκείνους οὗτος ἐκεῖ πάντες ἐτύθησαν·* " Propterea Petrus et

" Paulus, et post eos hic (Ignatius) illic (Romæ) omnes " passi sunt [a]." Post S. Ignatium Papias episcopus Hierapolitanus, Ἰωάννου ἀκουστὴς, Πολυκάρπου ἑταῖρος, ἀρχαῖος ἀνὴρ, " Joannis auditor, Polycarpi autem con- " tubernalis, vetus homo," (ut testatur Irenæus, lib. v. c. 33.) qui vir adeo antiquus eodem tempore vixit, quo ista scripsit Ignatius, idem de Petro testari videtur apud Eusebium, lib. ii. c. 15. Ibi enim testimonium ejus sententiæ Clementis adjungitur de Evangelio Marci Romæ scripto, et a S. Petro Romæ approbato. Idem etiam Papias tradidit Petri Epistolam primam Romæ scriptam fuisse, et Babylonem in ea Epistola nominatam significasse urbem Romanam. Erat ille quidem mediocri ingenio præditus, et hæresi millenariorum infectus, traditioni maxime adhærebat. At illa duo ab eo prodire, et ab aliis tam avide recipi, et probari non potuerunt, si eo tempore traditio ubique recepta non fuisset, Petrum Romæ aliquando fuisse. An ille, cum apostolorum discipulis diu multumque versatus, hæc excogitasset, si illi novissent Petrum Romæ nunquam fuisse; imo si non ab illis accepisset, Petrum Romæ fuisse? An ille, qui in proœmio librorum suorum testatur se solitum fuisse ex apostolorum discipulis diligenter quærere, τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, " quid Andreas, quid Petrus dixerit," quid alii apostoli, quid eorum discipuli, qui tunc in vivis erant, Aristion et presbyter Joannes, ignorare potuit, ubi Petrus fuerit, cujus dicta ab ipsius discipulis acceperat? Hæc mihi videntur præsentiam Petri in urbe Romana validissime stabilire. Circa tractum temporis quo vixit Papias non longe post initium secundi sæculi editum fuisse puto κήρυγμα Πέτρου, " prædicationem Petri,"

[a] Hom. in S. Ignat.

quia sub finem ejusdem sæculi Clemens Alexandrinus tanquam scriptum vetus, librum eum sæpe citat, et Stromat. lib. vi. multa ex isto opere transcribit et explicat. At in illo tractatu diserte asserebatur Petrum et Paulum simul Romæ prædicasse: ita interpretor verba Lactantii, lib. iv. c. 21. "Sed et futura "aperuit iis omnia, quæ Petrus et Paulus Romæ præ- "dicaverunt. Et ea prædicatio in memoriam scripta "permansit; in qua cum multa alia mira, tum etiam "hoc futurum esse dixerunt, ut post breve tempus "immitteret Deus regem, qui expugnaret Judæos, et "civitates eorum solo æquaret, ipsos autem fame "sitique confectos obsideret," &c. Quisquis igitur libri illius apocryphi auctor fuit, certe antiquus, ostendit vetustissimam illam sententiam, Petrum Romæ prædicasse, ea ætate obtinuisse, qua ipse scripsit: scripsit autem ante Heracleonem; nam Origenes in Joannem, p. 211. [tom. xiii. 17.] quædam *τοῦ Ἡρακλέωνος τὰ ῥητὰ ἀπὸ τοῦ ἐπιγεγραμμένου Πέτρου κηρύγματος παραλαμβανόμενα* fuisse testatur. Erat autem Heracleon, ab Irenæo obiter memoratus [b], successor Colarbasi, teste Epiphanio, Hæresi xxxvi. et magister Cerdonis, qui sub Hadriano hæreticus extitit.

III. Post Papiam, et auctorem prædicationis Petri, Dionysius Corinthiorum episcopus, extra controversiam catholicus, in Epistola ad Romanos sub Sotere Papa circa annum CLXIV. scripta, de S. Petro et Paulo, *Καὶ γὰρ ἄμφω, καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν.* Insigne hoc testimonium est, et omni exceptione majus. Non defuerunt tamen viri docti, qui illud falsi convincere

[b] Iren. lib. ii. c. 4.

conarentur. Hoc primo innuebat Josephus Scaliger: " Post illum Dionysium nemo, quod sciam," inquit, " scripsit eodem tempore Petrum cum Paulo Corinthi, " et in Italia, docuisse. Et nemo ei concedit, nisi qui " Actis Apostolorum contraria sentire velit." Sed decepit magnum Scaligerum versio Ruffini, quem hic secutus est. " Ambo etiam simul adventantes, et in " nostra Corinthiorum Ecclesiæ docuerunt, et per " omnem Italiam atque in hac urbe simul docentes, " etiam martyrio pariter uno eodemque tempore coro- " nati sunt." Post eum vir eruditus adhuc planius, " Falsus est non uno modo Dionysius." Scilicet primo, quia dixit Petrum et Paulum ambos simul egisse Corinthi; secundo, quia tradidit ambos in Italiam simul profectos esse. Eundem sequitur errorem versio Valesii, qui ita transtulit, " Ambo enim illi in urbem " nostram Corinthum ingressi, sparso evangelicæ doc- " trinæ semine, nos instituerunt, et in Italiam simul " profecti, cum eos similiter instituissent, eodem tem- " pore martyrium pertulerunt." Sed ut hunc sensum ex verbis Dionysii, exculperet Valesius; primo in priori membro hujus sententiæ contra omnes Eusebii codices, et editos, et scriptos, ex solo Syncello pro φυτεύσαντες legit φοιτήσαντες, et eandem vocem φοιτήσαντες in posteriori membro sententiæ supplendam docet. Vocem autem " simul" in Versione unde habuerit nescio; nisi forte a Ruffino; nam vox ὁμοίως aliud significat, quam in priori membro omisit, in posteriori extra locum suum posuit. Et quidem φοιτήσαντες pro φυτεύσαντες perperam omnino, et contra apertam Dionysii mentem scribendum esse voluit. Nam hæc sententia quasi ratio priori subjicitur, ut particula γὰρ clare significat. Prior autem sententia hæc est, Ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς τοσαύτης νουθεσίας, τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ

Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν Ῥωμαίων τε καὶ Κορινθίων συνεκεράσατε. Quam etiam sic male reddidit Valesius, " Ita et vos tanta admonitione vestra sementem, quæ " Petri ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet " et Corinthios, commiscuistis." Ex hoc tamen loco satis clare apparet τὸ φυτεύσαντες in posteriori sententia ad φυτείαν in priori referendum esse, idque ὁμοίως, " similiter," bis positum satis innuit. Ut hæc omnia rectius intelligantur, integrum Dionysii fragmentum simpliciter transferendum censui. " Ita et vos ex " tanta admonitione plantationem Romanorum et Co- " rinthiorum a Petro et Paulo factam commiscuistis. " Ambo enim in urbe nostra Corintho plantantes nos " similiter docuerunt, similiter autem et in Italia au- " dacter docentes circa idem tempus martyrium passi " sunt." Τὸ φυτεύειν enim in Evangelii prædicatione apostolorum erat, ut S. Paulus de seipso dixit, ἐγὼ ἐφύτευσα, et φυτείαν, φυτεύειν, phrasis est Scripturaria, et utrumque hic de apostolis dicitur, et quidem proprie tanquam de præcipuis Ecclesiæ doctoribus. At qui τὸ φοιτᾷν apostolis tribueret, eos non doctores, sed discipulos efficeret. Nam φοιτᾷν Græce est *crebro* seu *frequenter itare ;* non ad docendum, sed ad discendum. Unde et φοιτηταὶ non sunt doctores, sed discipuli, et συμφοιτηταὶ, condiscipuli. Qui igitur Petrum et Paulum nobis simul φοιτήσαντας describunt, maximos apostolos Corinthiorum et Romanorum discipulos faciunt. Ut cum Marcus Antoninus imperator sexti philosophi studiosus fuit, θαμίζων αὐτῷ, καὶ φοιτῶν ἐπὶ θύραις, " ipsum frequentans, et ad ejus fores ventitans," Lucius exclamavit, Ὦ Ζεῦ, ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς γηράσκων ἤδη, δέλτον ἐξαψάμενος ἐς διδασκάλου φοιτᾷ, ὥσπερ οἱ παῖδες. " Proh Jupiter, Romanorum imperator jam " senescens, arrepta tabella ad ludimagistri ædes itat,

" ut pueri," ita scribit Philostratus in vita Sexti [c]. Plane ut Agathias, lib. ii. c. 29. Τούτων μὲν οὖν οἱ πλεῖστοι, οὐδὲ εἰς γραμματικοῦ, οἶμαι, φοιτήσαντες· vel γραμματιστοῦ, ut legebat Suidas. Quinetiam Valesius ὁμόσε, aut male transtulit, aut penitus omisit. Ὁμόσε enim non magis hic *simul*, quam ὁμοίως significat: ὁμόσε διδάξαντες aliquid aliud significat, nempe coram hostibus, et cominus pugnantes doctrinam Christi prædicabant. Quod non indicat eos simul, et eodem tempore prædicasse: nam Græce ὁμόσε ἰέναι dicitur etiam unus, sive persona singularis, ut Plato in Euthyphrone, ἀλλ' οὐδὲν αὐτῶν χρὴ φροντίζειν, ἀλλ' ὁμόσε ἰέναι· et Hyperides Oratione contra Athenogenem, ἀλλὰ ὁμόσε βούλομαι τῷ λόγῳ τούτῳ ἐλθεῖν, quem locum exponens Harpocration notat ὁμόσε ἐλθεῖν idem esse quod παραβαλέσθαι, *cum hoste confligere*, aitque metaphorice dictum esse, Λέγεται δὲ ἐκ μεταφορᾶς ὁμόσε ταῖς λόγχαις ἰέναι, ἀντὶ τοῦ ἐξ ἐναντίας εἰς τὸ αὐτὸ ἔρχεσθαι, καὶ μὴ στρέφεσθαι, μηδὲ φεύγειν· " Dicitur autem ex metaphora, cum ipsis has- " tis congredi, pro ex adverso in idem venire, et non " regredi, neque fugere [d]." Sic igitur apostoli Petrus et Paulus, sive simul, sive separatim, sive iisdem, sive diversis temporibus in Italia evangelii hostibus obviam ibant; cumque iis cominus congressi sunt, et ex adverso stantes, nec unquam retrocedentes, aut fugientes, sed intrepide et immobiliter perstantes, circa idem tempus passi sunt. Sic ὁμόσε exponit Suidas, ἐξ ἐναντίας, σφοδρῶς, θρασέως. Nihil igitur huic Dionysii testimonio objici potest, quod non facile refellitur. Nam si S. Petrus fuerit Corinthi, quis eum etiam

[c] De Vitis Sophist. lib. ii. p. 556. ed. Morell.

[d] Eusebii ipsius verba contulit Heinichen. ubi de Origene, Hist. lib. vi. 3. ὁμόσε τοῖς κινδύνοις χωρῶν.

Romæ aliquando fuisse negabit? At certissimum est Petrum non minus quam Paulum Corinthi fuisse, et quidem antequam S. Paulus primam Epistolam dedit ad Corinthios. Ita enim apostolus loquitur, 1 Cor. i. 12. ἕκαστος ὑμῶν λέγει, ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ. Unde colligitur non minus Cepham et Apollo, quam Paulum Corinthi fuisse, antequam ista scribebantur. Et quoniam nonnulli negant Cepham illum esse Petrum apostolum, omnino observandum est istud esse merum effugium; cum S. Paulus sæpe Petrum Cephæ nomine indigitet in hac Epistola, Petrum autem in eadem non nominet. Et in Epistola ad Galatas licet Petrum nominet, eundem tamen diserte Cepham appellat, cap. ii. 9. Et in codice Alexandrino, aliisque MSS. cum v. 11. tum 14. non Πέτρος, sed Κηφᾶς habetur. Atque ita veteres legisse certum est, quoniam inde controversia orta est an apostolus, an unus ex LXX. discipulis fuerit, cui Paulus Antiochiæ restitit[e]; nam si Πέτρος in utroque isto versiculo, non Κηφᾶς scriptus extitisset, ea controversia oriri nunquam potuisset. Ut autem antiquas versiones prætermittam, certe Clemens Romanus satis bene novit, quis ille Cephas fuerit, cujus eo loco meminit S. Paulus. Ille autem in Epistola ad eosdem Corinthios ait, Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου, τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου ἔγραψεν; ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ αὐτοῦ τε καὶ Κηφᾶ, καὶ Ἀπολλῶ. Et paulo post subjungit, παρεκλίθητε γὰρ ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ

[e] Ita Clemens Alex. apud Euseb. Hist. i. 12. Vid. Hieronymi Comment. in Gal. ii. 11, 12. et Vallarsii not. ad loc. Plura de hac controversia, quam extinctam renovare conatus est Joann. Harduinus, dabit Gottfr. Lumper. Hist. Theol. Crit. vol. viii. p. 285.

δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς· "Propendebatis enim in "apostolos testimonio celebres, et virum ab illis pro- "batum." Quibus verbis clare distinguit Paulum et Cepham duos apostolos ab Apollo, non quidem apostolo, sed tantum viro ab apostolis probato, et quidem ab illis ipsis apostolis Petro et Paulo. Nam a quo præter Paulum apostolo probatus fuit Apollos, nisi a Petro? aut ubi a Petro probatus erat, si non Corinthi? Mirum enim est illud Grotii glossema, "Alii ergo "Corinthi, ab Apollo instituti post Pauli abitum, alii "ab ipso Paulo, alii qui e Judæa venerant a Petro." Quare enim e Judæa venisse dicuntur, qui Petro adhærebant Corinthi? Nullos fuisse Corinthi Christianos constat, antequam Paulus illis prædicavit. Nullos tunc etiam agnoscit, qui ab Hierosolymis, vel ante se, vel postea doctrinam evangelii hauserant, ut apparet ex illis verbis, *An a vobis verbum Dei processit?* xiv. 36. Unde hoc didicit, ex qua scriptura, ex qua historia? Clemens ansam huic interpretationi nullam præbuit, Ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν, περὶ αὐτοῦ τε καὶ Κηφᾶ τε [ita MS.] καὶ Ἀπολλῶ, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι· "Revera spiritualiter ad "vos scripsit, et de seipso, et tum de Cepha, tum de "Apollo; propterea quod etiam tum vos inclinationes "feceratis." Non obscure enim indicat, ad personas apostolorum inclinationes illas seu propensiones a singulis partibus tunc temporis factas esse, quod et ex oppositione posterioris schismatis intelligere datur. Νυνὶ δὲ κατανοήσατε τίνες ὑμᾶς διέστρεψαν· "Nunc "vero considerate qui sint qui vos perverterint." In priore schismate ipsi se separabant inclinando sive propendendo ad apostolum aliquem, aut virum quem ab apostolis probatum fuisse noverunt. In hoc autem schismate viri illi quos secuti sunt, apostolorum

similes nullo modo erant. Quis ex his verbis venisse aliquos Ecclesiæ Corinthiacæ, ad quam scripsit S. Paulus, e Judæa, qui Petro nunquam Corinthi apparenti se adjungebant, aut adjunxerant, colligere potest? Si quis objiciat Christum nunquam Corinthi fuisse, ac tamen ejus nominis mentionem fieri, similiter et Petri mentionem factam esse, licet et ille nunquam ibi fuerit; facilis et expedita responsio est. In Epistola quidem Pauli mentio fit Christi, sed non in verbis hujus Clementis, nec apud Paulum cap. iii. 22. Sed nec τῆς προσκλίσεως meminit Paulus, quam urget Clemens, et schismaticos priores male adhæsisse Petro, non minus quam Paulo et Apollo ægre fert; illosque eo tantum nomine excusari, quod tantis viris, quamvis schismatice, adhæserint, posse ostendit. Fuit igitur S. Petrus apostolus Corinthi, non minus quam S. Paulus aut Apollos, antequam primam ad Corinthios Epistolam S. Paulus scripsit, et quidem eodem tempore quo Apollos ibi fuit; cum eum et a Cepha, et a Paulo, probatum esse dicat Clemens, et Corinthios Petro non minus, quam Paulo et Apollo adhæsisse. Quare procul omni dubio vere scripsit Dionysius, Corinthiorum episcopus, Petrum aliquando fuisse Corinthi; quidni etiam vere scripserit eundem Romam adiisse, ibique passum esse?

IV. Post Dionysium Irenæus, Polycarpi, et Papiæ, Hieronymo teste, in Asia discipulus, Pothini in Gallia presbyter, et tandem Lugduni episcopus, cui cum Romana Ecclesia multum commercii fuit, circa an. Dom. CLXXX. idem testatus est, locis a me sæpius adductis et adducendis, ad quos lectorem remitto. Haud diu post Caius vir catholicus, sub Zephyrino Romæ in Dialogo adversus Proclum Montanistam

scripto[c], utrumque apostolum et Ecclesiam Romanam fundasse, et in ea urbe passum esse his verbis apud Eusebium, lib. ii. cap. 25. testatur: Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι· ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸ Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν· "Ego vero "apostolorum tropæa possum ostendere. Nam si in "Vaticanum, aut ad viam Ostiensem pergere libet, "occurrent tibi tropæa eorum, qui ecclesiam hanc "fundaverunt." Circa idem tempus Clemens in libro aliquo Ὑποτυπώσεων hæc tradidit de Evangelio Marci: Τοῦ Πέτρου δημοσίᾳ ἐν Ῥώμῃ κηρύξαντος τὸν λόγον, καὶ Πνεύματι τὸ εὐαγγέλιον ἐξειπόντος, τοὺς παρόντας πολλοὺς ὄντας παρακαλέσαι τὸν Μάρκον, ὡς ἂν ἀκολουθήσαντα αὐτῷ πόῤῥωθεν καὶ μεμνημένον τῶν λεχθέντων, ἀναγράψαι τὰ εἰρημένα· ποιήσαντα δὲ τὸ εὐαγγέλιον μεταδοῦναι τοῖς δεομένοις αὐτοῦ. Ὅπερ ἐπιγνόντα τὸν Πέτρον προτρεπτικῶς μήτε κωλύσαι, μήτε προτρέψασθαι· "Cum Petrus in urbe Roma "verbum Dei publice prædicasset, et Spiritu Sancto "afflatus evangelium promulgasset, multi qui aderant "Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum "sectatus fuisset, et dicta ejus memoria teneret, ut "quæ ab apostolo prædicata erant, conscriberet. "Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud "ab ipso rogabant, impertiit. Quod cum Petrus com-"perisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret "incitavit." Post hunc statim Tertullianus, tum catholicus, tum Montanista idem asseruit. Præscriptionis cap. 36. de Roma loquens, "Ista quam felix "ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine "suo profuderunt! Ubi Petrus passioni Dominicæ ad-"æquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur."

[c] Vid. infra Dissert. ii. c. i. 3.

Scorpiaces cap. 15. " Vitas Cæsarum legimus; orientem " fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus " ab altero cingitur, cum cruci astringitur." Adversus Marcionem, lib. iv. cap. 5. " Videamus quid etiam " Romani de proximo sonent, quibus evangelium et " Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum " reliquerunt." Idem lib. de Baptismo, c. 4. " Nec " quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, " et Petrus in Tiberi tinxit." Post Tertullianum Origenes lib. iii. Expositionum in Genesin, de S. Petro: [d]*Ος καὶ ἐπὶ τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενος ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν*, Euseb. l. iii. c. 1. Post Origenem S. Cyprianus cathedræ Petri sæpe meminit. Post Cyprianum Lactantius, lib. de Persecutione, c. 2. " Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam " advenit." Et de Nerone paulo post, " Petrum cruci " affixit, et Paulum (gladio) interfecit." Ac ne quis dubitet an liber iste tam sero repertus, et a doctissimo Baluzio tam feliciter editus[d], ipsius Lactantii opus fuerit, idem lib. iv. Institutionum, cap. 21. " Discipuli " vero (Christi) per provincias dispersi fundamenta " Ecclesiæ ubique posuerunt, ... sed et futura ape- " ruit (Deus) illis omnia, quæ Petrus et Paulus Romæ " prædicaverunt, &c." Et paulo post, " Itaque post " illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Judæorum " gentem et nomen Vespasianus extinxit, fecitque " omnia quæ illi futura prædixerunt." Post Lactantium Eusebius multis antiquorum testimoniis fulcitus, de Nerone agens lib. ii. cap. 25. hæc habet, *Ταύτῃ γοῦν οὗτος Θεομάχος, ἐν τοῖς μάλιστα πρῶτος ἀνακηρυχθεὶς,*

[d] Primum editus est inter Baluzii Miscell. tom. ii. Paris. 1679. Hinc patet Pearsonum serius, et episcopatus cathedra jam aliquot annis constitutum, hæc scripsisse; et quidem post editos Annales Cyprianicos. Vid. infr. Dissert. ii. c. vii. 5.

ἐπὶ τὰς κατὰ τῶν ἀποστόλων ἐπήρθη σφαγάς. Παῦλος δὴ οὖν ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι, καὶ Πέτρος ὡσαύτως ἀνασκολοπισθῆναι κατ' αὐτὸν ἱστοροῦνται. Καὶ πιστοῦται γε τὴν ἱστορίαν ἡ Πέτρου καὶ Παύλου εἰς δεῦρο κρατήσασα ἐπὶ τῶν αὐτόθι κοιμητηρίων πρόσρησις. Quæ optime Musculus sic transtulit: "Hic itaque "hostis Dei, qua in re primus declaratus est, ad necem "apostolorum usque elevabatur. Quapropter et Paulus "ab eo Romæ capite truncatus, et Petrus palo affixus "scribuntur. Et historiæ huic fidem facit, quod illic "cœmeteria habentur, in quibus Petri et Pauli nuncu-"patio ad hunc usque diem obtinet." Post Eusebium idem testantur Athanasius[e] et Epiphanius, et post eos plurimi, quorum testimonia non opus est adjicere. Addam autem impiam illam Juliani apostatæ conjecturam de Joanne apud Cyrillum, lib. x. Ἀκούων δὲ, οἶμαι, καὶ τὰ μνήματα Πέτρου καὶ Παύλου, λάθρα μὲν ἀκούων δὲ ὅμως αὐτὰ θεραπευόμενα, πρῶτος ἐτόλμησεν εἰπεῖν. Certe Julianus putavit monumenta Petri et Pauli Romæ in veneratione clanculum habita fuisse, antequam Joannes scripsit Evangelium. Locum non explico propter impietatem sub eo latentem: sed eum potius optima S. Augustini sententia ad eandem rem, licet non ad idem spectante compensabo, qui Epistola xlii. (al. ccxxxii. 3.) observavit, "Imperii nobilissimi eminentis-"simum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri, sum-"misso diademate, supplicare." Et concludo, postquam alium etiam locum paucis adhuc cognitum adduxerim ex Palladio, qui in Hypomnematico de Brachmanibus, quod edidit vir Cl. Bissæus noster[f], agens de ætate Epicteti, de qua viri docti dubitarunt, hæc habet: Ἀρριανοῦ μέντοι τοῦ μαθητοῦ φιλοσόφου καὶ δούλου γεγε-

[e] In Apol. ad Imper. Constantium.

[f] Lond. 1665. 4to. Cum versione Lat. Joann. Gregorii.

νημένου, δι' εὐφυΐαν δὲ φύσεως εἰς φιλοσοφίαν ἐλάσαντος ἐν τοῖς καιροῖς Νέρωνος τοῦ βασιλέως, τοῦ κολάσαντος τοὺς ἀοιδίμους ἀποστόλους Πέτρον καὶ Παῦλον· " Arriani " nempe discipuli illius philosophi qui natus servus " fuerat, ob naturæ vero præstantiam ad philosophiam " aspiravit tempore Neronis imperatoris, qui illustres " apostolos Petrum et Paulum trucidavit."

V. Cum tanto consensu ab initio fere traditum sit S. Petrum Romæ evangelium prædicasse, et ibidem passum esse; cumque nemo unquam dixerit, vel Petrum, vel Paulum alibi martyrio coronatum esse; cum denique Christus ipse satis aperte significet Petrum crucifigendum fore: tuto satis huic historiæ fidem adhiberi posse existimo. Quis enim credet tantum apostolum tam obscure mori potuisse, ut nemo unquam loci illius, quo mortuus est, meminerit? Quis credet, cum aliæ regiones suum apostolum sibi vindicarent, quod nulla urbs, nulla regio, nulla ecclesia dixerit se cruore Petri nobilitatam esse? Cumque Christus ipse tanta cum asseveratione, *Amen, Amen, dico tibi*, dixerit Petro, *cum senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis;* et diu post mortem ejus scripserit S. Joannes apostolus Christum iis verbis significasse ποίῳ θανάτῳ, id est, *quo genere mortis*, glorificaturus esset Deum; quis unquam putabit Christianorum neminem quo genere mortis passus sit novisse, omnesque potius quomodo Deum glorificavit, ignorasse; aut saltem Deum sua providentia posteris notum esse noluisse? Duobus tamen his posterioribus seculis non defuerunt viri docti, qui cum viderent pontificiæ potestatis nimios assertores hac successione maxime gloriari, primo de ipsa successione dubitarent, mox etiam diserte negarent Petrum Romæ unquam fuisse.

CAP. VIII.

I. Non ita Judæos propriam sibi provinciam sortitus est Petrus, quin potuerit etiam Gentes, oblata occasione, convertere.—II. Et tamen Romæ multi, illis etiam temporibus, fuere Judæi.—III. Petrum e Babylone Epistolam scripsisse conceditur.—IV. Babylon Assyria eo tempore deserta.—V. Non tunc Babylon illa sedes erat imperii, sed paulo ante Seleucia ; Petro vero prædicante, Ctesiphon. VI. Sed nec fuit illa Judæorum incolentium multitudine illo tempore celebris.—VII. De Babylone potius Ægyptiaca intelligendus in Epistola S. Petrus.—VIII. Melius ad hanc Babylonem referenda erant, quæ per totam illam epistolam scripsit S. Apostolus.—IX. Refellitur argumentum Salmasii e Clemente Romano. X. Ejusdem sententia mortem S. Petri decimo Claudii anno statuentis, etiam refellitur.

I. CLAUDIUS Salmasius magno animo hujus causæ patrocinium suscepit, et in secunda parte De Primatu Papæ se Petrum Romæ nunquam fuisse probaturum pollicitus est, quam tamen nunquam edidit. Interim in Apparatu ait, " Præcipuum huic rei probandæ " argumentum afferetur, quod est invictissimum." Fundamentum ponit hujus invictissimi argumenti in versibus 7, 8, 9. capitis secundi Epistolæ ad Galatas, ibi enim affirmat Paulus apostolatum circumcisionis Petro concreditum fuisse. Sed non consuluit Hieronymi explicationem sane observandam, " Occulta hic oritur " quæstio; Quid igitur? Petrus si invenisset ex gentibus, " non eos adducebat ad fidem? aut Paulus si ex cir- " cumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi " baptismum provocabat? Quæ ita solvetur, ut dicamus

" principale singulis in Judæos et Gentes fuisse man-
" datum, ut qui defendebant legem, haberent quem
" sequerentur: qui legi gratiam præferebant, non de-
" esset eis doctor et prævius. In commune vero hoc
" eos habuisse propositi, ut Christo ex cunctis gentibus
" Ecclesiam congregarent. Legimus enim et a S. Petro
" gentilem baptizatum fuisse Cornelium, et a Paulo in
" synagoga Judæorum Christum sæpissime prædicatum."
Ubi clare distinguitur inter mandatum singulis datum, et commune. Prius quidem singulare ab hominibus, apostolis nempe, datum est; posterius autem, sive commune, ab ipso Deo utrique impositum est: ut scilicet uterque, sive ex Judæis, sive ex Gentibus Christo discipulos faceret. Cum Paulus et Barnabas verbum Dei prædicarent in Pisidia, a Judæis Antiochiæ rejecti, dixerunt necesse fuisse, ut illis primo verbum nunciarent. Et statim Iconii ita prævalebant in synagoga, ut *et Judæorum et Græcorum multi crederent*, Act. xiv. 1. S. Paulus cum primum venit Corinthum, Act. xviii. 4. *disputabat in synagoga per omne sabbatum interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis et Græcis:* nec nisi *contradicentibus eis* (Judæis) *et blasphemantibus dixit ad eos, Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad gentes vadam.* Quando complures Judæi Romæ ad eum venerunt, annon tunc Judæis *exponebat testificans regnum Dei, suadensque iis de Jesu ex lege Moysi et Prophetis a mane usque ad vesperam? Et quidam credebant iis quæ dicebantur.* Quod licuit Paulo post partitionem officii ex consensu factam, non licuit Petro post eandem, quod ad Gentes spectabat? An illi plus concreditum est ad salutem Judæorum, quam huic ad salutem Gentium, post conversionem Cornelii? Cum ipse Petrus in concilio apostolorum dixerit, *Viri fra-*

tres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii et credere.

II. Quod si concedere oporteret hoc verum esse, Petrum nempe ad solos Judæos missum esse, an ideo Romam pervenisse eum prorsus negandum est? An Romæ aut nulli, aut tam pauci fuerunt Judæi vivente et prædicante Petro, ut eos ad fidem Christianam convertere operæ pretium non duxerit? Sub initio Ecclesiæ Christianæ Libertinorum Synagoga Hierosolymis fuit, conflata sine dubio ex iis Judæis, ab iisque nomen adepta qui Roma ad metropolin Judæorum religionis ergo convenire solebant. Hi trans Tiberim sub Augusto suas habuere proseuchas, suam synagogam Hierosolymis, ad quam urbem etiam tunc Judæi Roma collectas primitiarum nomine, et victimas mittere solebant. Unde cum forte post mortem Herodis legati quinquaginta Romam missi sunt, *συνίσταντο δὲ αὐτοῖς τῶν ἐπὶ Ῥώμης Ἰουδαίων ὑπὲρ ὀκτακισχιλίους*, "adjunx-" erunt se illis ex Judæis urbis Romanæ plures quam " octies mille," ut tradit Josephus, lib. xvii. cap. xii. [al. xi. i.] Hæc Judæorum sub Augusto Romæ conditio fuit. Nam Philo Judæus in Legatione ad Caium testatur Augustum magnam urbis partem trans Tiberim a Judæis teneri passum esse, qui libertini generis erant. Sub Tiberii principatu, circa annum ejus imperii sextum, " factum est patrum consultum, " ut quatuor millia libertini generis ea superstitione " infecta, queis idonea ætas, in insulam Sardiniam vehe-" rentur." Sed nec ille numerus omnes Judæos idoneæ ætatis continuisse censendus est; addit enim Tacitus, " ceteri excederent Italia, nisi certam ante diem pro-" fanos ritus exuissent;" idemque docet Suetonius; et

Josephus eandem rem pertractans tradit consules delectu habito quatuor millia misisse in Sardiniam[a]. Neque Judæi qui tunc Roma pellebantur, diu extorres permansere, sed intra paucos annos reversi sunt. Nam quamprimum Sejanus ad imperium aspiravit, ambitioni et sceleri suo necessarium putavit conficta de Judæis urbem incolentibus crimina ab Tiberium deferre, ut gentem e medio tolleret: at post Sejani interitum Tiberius Judæis maxime benevolus fuit. Unde illa ad Caium infensissimum Judæorum hostem Agrippæ in præsentissimo mortis periculo constituti præclara peroratio, Προσκλητεύονσι τοῖς νόμοις αὐτοκρατεῖς πρὸς αὐτοκράτορα, σεβαστοὶ πρὸς σέβαστον, πάπποι καὶ πρόγονοι πρὸς ἔκγονον· "Deprecantur pro legibus nostris impera-" tores apud imperatorem, Augusti apud Augustum, " avi proavique apud nepotem." Quid a Caio contra Judæos Romæ habitantes factum sit, non lego. Quicquid sit, numerum Judæorum in Urbe sub initio imperii Claudiani haud contemnendum fuisse constat. Nam Dio, libro lx. c. 6. de primis Claudii institutis agens hæc diserte scribit: Τούς τε Ἰουδαίους πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε χαλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς, ὑπὸ τοῦ ὄχλου σφῶν, τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μὲν, τῷ δὲ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι· "Quum Judæi " adeo iterum Romæ frequentes essent, ut difficulter sine " tumultu propter multitudinem urbe possent arceri; " non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam " tolerantes vetuit convenire." Neque mirum, cum Claudius Judæis maxime faveret, nec eos ante annum imperii duodecimum Roma expulit, ut alibi ostendimus[b], quicquid Orosius anno nono ex Josephi testimonio, quod nullum est, factum esse dixit. Post hoc edictum

[a] Antiq. xviii. iii. 5.

[b] Scil. in Annalibus Paulinis anno Claudii xii.

Claudii, aut ipso superstite, (quod verisimillimum est) aut Nerone principatum mox obtinente, Judæi Romam reversi sunt, ibique sub imperio Neroniano satis secure habitabant. Quod satis ostendunt illa Persii Sat. v.

> " Herodis venere dies, unctaque fenestra
> " Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ," &c.

Unde S. Paulus Romam missus complures Judæorum primores congregasse dictus est. Ex quibus clare patet argumentum Salmasii, nec a partitione officii apostolici, nec a paucitate Judæorum inter Romanos invictum esse.

III. Etiamsi vero hæc per se sumpta nihil probare videantur, si tamen comparate sumantur, maximam inde vim habere putantur. Fuerint Romæ aliquot Judæi, at Babylone multo plures erant, et inde apostolo circumcisionis plenior messis expectanda fuit. Inde satis rotunde Salmasius, " ab Antiochia," inquit, " non " Romam venit, sed Babylonem, externi imperii sedem, " et longissime a Roma dissitam, quoniam ibi pene " regnabant Judæi, et αἰχμαλωτάρχην suum habuere, a " qua urbe nunquam recessit, postquam eam ingressus " est." Ut huic novo argumento et maxime specioso diligenter respondeam; primo, libens concedo S. Petrum Antiochiam profectum esse, antequam Romam venit; tum quod veteres omnes idem tradiderunt, tum quod hodierni pontificii hoc non negant. Et si ex antiquorum monumentis possit probari eundem apostolum, cum ab Antiochia primo recessit, non Romam, sed Babylonem externi imperii sedem venisse, idque ab eo factum esse, quoniam ibi pene regnabant Judæi; et præcipue si probari ulterius possit ab ea urbe nunquam recessisse Petrum, postquam eam ingressus est; quod ad me attinet, Salmasii sententiam amplecti paratus sum. Sed quis unquam docuit Petrum

extra Romani imperii fines iter instituisse? Quis tradidit Babylonem eo temporis tractu fuisse "externi "imperii sedem?" Quis in illa imperii sede pene regnasse Judæos, et αἰχμαλωτάρχην suum habuisse prodidit? Quis denique unquam asseruit Petrum, postquam Babylonem profectus est, ab ea urbe nunquam recessisse? Quibus annalibus, quo historiæ monumento hæc prodita sunt? Quis ullo modo hæc omnia, vel horum aliquid significavit? Ipse scilicet Petrus, si Salmasio credamus. "Nam," inquit, "cum scripsit epistolam "ad dispersionem Judæorum, Babylone fuit." Fortasse. Non enim nego S. Petrum tunc Babylone fuisse, cum illa verba scripsit, *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone electa.* Quippe neutiquam mihi placet figurata illa interpretatio, quæ docet Romam sub nomine Babylonis intelligi debere. Quamvis minime concedam "non alio argumento hanc invaluisse opinionem vete-"rum, Petrum Romæ fuisse." Nam antequam ea interpretatio nata est, communis omnium sententia fuisse videtur, Petrum tum Romam venisse, tum ibidem passum esse: et ex illa communi sententia primum orta, dein corroborata est figurata illa interpretatio, quæ mihi minus placet. Fuerit igitur Petrus Babylone, cum Epistolam ad dispersionem Judæorum scripsit. Sed non una Babylon tunc temporis extitit. Imo potius illa Babylon apud Parthos vix tunc urbs fuit.

IV. Strabo lib. xvi. enumeratis causis haud paucis ob quas ingens illa urbs a pristina amplitudine defecit; tandem qualis illa fuit suo tempore his verbis describit: Ἡ μὲν (Σελεύκεια) γέγονε Βαβυλῶνος μείζων, ἡ δὲ ἔρημος ἡ πολλή· ὥστ' ἐπ' αὐτῆς μὴ ἂν ὀκνῆσαί τινα εἰπεῖν ὅπερ ἔφη τις τῶν κωμικῶν ἐπὶ Μεγαλοπολιτῶν τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ, Ἐρημία μεγάλη ἐστιν ἡ μεγάλη πόλις· (Seleucia) "major "Babylone est, illa magna ex parte deserta; ut in-

" trepide de ea usurpari possit, quod de Megalopoli " Arcadiæ magna urbe quidam dixit comicus, Est magna " solitudo nunc Megalopolis." Plinius, qui sub Vespasiano vel Tito scripsit, Hist. Nat. l. vi. c. 26. hæc habet de Babylone; " Cætero in solitudinem rediit " exhausta vicinitate Seleuciæ ob id conditæ a Nicatore." Inter tempora Strabonis et Plinii contendit Salmasius Petrum profectum esse Babylonem, externi imperii sedem, quam historici tradunt fuisse tunc desertam: imo et ipse idem fatetur—de Primatu Papæ, p. 221. " Atqui Babylon longe ante Seleuciam defecit, et in " solitudinem rediit, cum Plinius scribat sua ætate " desolatam et exhaustam vicinitate Seleuciæ." At Petrus non ignoravit judicia Dei aut mentem prophetarum: illi autem Dei nomine prædicaverant Babylonem urbem desolatam fore, eaque diserte prædixerant, " per " quæ omnia vastitatis et solitudinis signa monstraban- " tur," ut loquitur Hieronymus: sic enim Esaiæ xiii. 19, 20. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum; sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham: non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque in generatione et generationem.* An urbem illam S. Petrus adire maxime concupivit, quam prophetarum vaticinio et justo Dei judicio percussam esse novit?

V. Sed erat illa tunc " externi imperii sedes, in qua " pene regnabant Judæi." Rapuit igitur illuc apostolum circumcisionis et loci majestas et dignitas Judæorum, qui tanta illic auctoritate et potestate gaudebant. Præclara hæc observatio, si modo vera sit: sed est falsissima. Ipse Hieronymus prophetiam Esaiæ impletam fuisse ait; quod pro Babylone " Seleuciam et Ctesiphon- " tem urbes Persarum inclytas fecerunt." Et Theodoretus adhuc magis expresse—Ἀλλὰ τὸ μὲν εἰς τὸν αἰῶνα

χρόνον οὐ κατοικηθήσεται, ἀντὶ τοῦ, οὐκέτι βασιλέων οἰκητήριον ἔσται. "Verum illud, *In tempus sempiternum non* " *habitabitur*, pro eo positum est, Non amplius regum " erit habitaculum." Paulatim igitur defecit Babylon, a regibus primo, dein a populo deserta; sic Seleuciam sub Macedonibus, et sub Parthis Ctesiphontem imperii sedem fuisse novimus. Quoniam autem Ctesiphontem eo ipso tempore, quo Antiochiæ sedit apostolus, externi imperii sedem fuisse putamus; id hic opportune demonstrandum est. Josephus de rebus Judaicis in Oriente circa Caii imperatoris tempora scribens, vocat Ctesiphontem " regiam tunc urbem," ut postea ostendemus. Plinius, Josepho synchronus, l. vi. c. 26. " Invicem ad " hanc (Seleuciam) exhauriendam, Ctesiphontem juxta " tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere " Parthi, quod nunc est caput regni." Tacitus Annalium l. vi. agens de Tiridate in regnum Parthicum sub extremis Tiberii inducendo, " Mox consultans," inquit, " quonam die solennia regni capesseret; . . . atque inte- " rim Ctesiphon sedes imperii petita." Ut ante Artabanus victo Vonone, et Seleuciam cum paucis equitibus petente, Ctesiphontem se contulit, ubi rex Parthorum declaratus est, Josephus Antiq. l. xviii. c. 3. Postea Trajanus, qui expugnata Nisibi et Batnis Parthicus dictus est, referente Dione, non Babylone, sed post Babylonem recepta Ctesiphonte, αὐτοκράτωρ ἐπωνομάσθη, " imperator appellatus est," καὶ ἐπίκλησιν τοῦ Παρθικοῦ ἐβεβαιώσατο, "et cognomen Parthici confirmavit." l. lxviii. Et cum postea regem dare Parthis voluit, Parthos cum Romanis Ctesiphonte convocavit, et Parthamaspaten Parthis regem dedit. Et Herodianus lib. iii. de Severi exercitu scribens, προσώκειλε ταῖς Παρθυαίων ὄχθαις, αἳ μὴ πολλῶν ἡμερῶν ὁδὸν ἀπεῖχον τῆς εἰς Κτησιφῶντα ἀφόδου· ἔνθα ἦν τὰ βασίλεια τοῦ Παρθυαίου, καὶ αὐτὸς διέτριβεν

εἰρήνην ἄγων· "Appulit ad ripas Parthorum quæ non "procul aberant Ctesiphonte, qua in urbe sedes erat "Parthorum regis, et ipse habitabat pacem agitans:" et paulo post, Κατ' ὀλίγον τε προϊὼν ἐπέστη Κτησιφῶντι, ἔνθ' ἦν ὁ μέγας βασιλεὺς Ἀρτάβανος· "Et paulatim "usque ad Ctesiphontem perrexit, qua in civitate mag- "nus rex Artabanus commorabatur." Ammianus Marcellinus l. xxiii. c. 3. "Ctesiphon, quam Vardanes "priscis temporibus instituit, posteaque rex Pacorus "incolarum viribus amplificatum et mœnibus, Græco "indito nomine, Persidis effecit specimen summum." Ex omni itaque historia liquido constat, ætate S. Petri Babylonem non fuisse externi, nempe Parthici, imperii sedem. Erant tunc quidem duo imperia, sive, ut loquitur Josephus, δύο μέγιστα ὑπὸ τὸν ἥλιον ἡγεμονίαι, quorum unius Roma, alterius, non Babylon, sed Ctesiphon caput fuit.

VI. At, inquies, si non propter dignitatem, propter multitudinem tamen Judæorum apostolus circumcisionis Babylonem Romæ prætulit. Sed nec ex hac parte vis ulla huic argumento accedit. Nullus enim dubito quin plures Judæi ea tempestate Romæ quam Babylone vixerint. Phraates quidem Parthorum rex Hyrcanum vinculis solutum ἐν Βαβυλῶνι κατάγεσθαι παρεῖχεν, ἔνθα καὶ πλῆθος ἦν Ἰουδαίων[c]. Erat igitur tunc temporis πλῆθος Ἰουδαίων Babylone. Sed non videtur major numerus ea voce denotari, quam sub voce ὄχλου, apud Dionem superius laudatum, quando Judæi Romæ ἐπλεόνασαν. Sed et hoc præcipue notandum est illud a Phraate factum septuaginta et amplius annis contigisse, antequam S. Petrus vidit Antiochiam; ex quo tempore numerus Judæorum cum potestate in Babylonia valde diminutus est. Nam sub extremis imperatoris Caii[d], Γίνεται δὲ περὶ τοὺς ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, καὶ

[c] Joseph. Antiq. xv. c. 2. [d] Id. xviii. c. 9.

μάλιστα τὴν Βαβυλωνίαν οἰκοῦντας Ἰουδαίους συμφορὰ δεινὴ, καὶ οὐδεμιᾶς ἧττονος ἐλάσσων, φόνος τε αὐτῶν πολὺς, καὶ ὁπόσος οὐχ ἱστορημένος πρότερον. Vetus interpres, "Con-
" tigit etiam per idem tempus Judæis illis qui in Me-
" sopotamia et Babylonia habitabant, valde magna
" calamitas; ubi quoque multa cædes accidit, quanta
" nunquam ante refertur in historia." Hanc Judæorum cladem omnium quæ unquam Judæis contigerant maximam fuse et accurate persequitur Josephus; quæ a nobis diligenter observata, et breviter explicata Judæorum in Babylonia statum iis temporibus proximeque secutis clare ostendit. Primo tradit Josephus duas fuisse urbes, unam in Babylonia intra Euphratem Nearda dictam, alteram illi oppositam Transeuphratensem, cui Nisibis nomen fuit: Τό τε δίδραχμον (Ἰουδαῖοι,) τῷ Θεῷ καταβάλλειν ὃ ἑκάστοις πάτριον, ταύτῃ κατετίθεντο, καὶ ὁπόσα ἄλλα ἀναθήματα· ἐχρῶντο δὲ ὥσπερ ταμιείῳ ταῖσδε ταῖς πόλεσιν· ἐντεῦθεν δὲ ἐπὶ Ἱεροσολύμων ἀνεπέμπετο ἥ καιρός· " Illic
" Judæi tum didrachmum Deo pendi ab unoquoque
" solitum, aliaque omnia anathemata reponebant;
" quippe utebantur illis urbibus tanquam ærario, et
" inde illa Hierosolyma mittebantur, ubi opportunitas
" se obtulit." Ex quo Josephi loco alter Philonis in Legatione ad Caium optime explicatur, ubi de Petronio agit ante ultimam hanc cladem dubitante, an imaginem Caii Templo Hierosolymitano inferret: Ἐφόβουν δὲ αὐτὸν, inquit, καὶ αἱ πέραν Εὐφράτου δυνάμεις· ᾔδει γὰρ Βαβυλῶνα, καὶ πολλὰς ἄλλας τῶν σατραπειῶν ὑπὸ Ἰουδαίων κατεχομένας· " Terrebant enim eum etiam copiæ Trans-
" euphratenses; quippe qui sciret Babylonem, et mul-
" tas alias satrapias a Judæis teneri;" hoc autem eum novisse ait, Καθ' ἕκαστον γὰρ ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ στέλλονται χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλεῖστον κομίζοντες εἰς τὸ ἱερὸν τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν· " Nam quotannis sacri
" legati mittuntur auri et argenti plurimum ex primitiis

" collectum in templum ferentes." Hos viderat Petronius per Syriam transeuntes, ex quibus numerum Judæorum Transeuphratensium colligebat. Cæterum ex Josepho constat etiam ante ultimam cladem non in urbe Babylone has primitias aut collectas, aut conservatas, sed in aliis satrapiis, Neardis scilicet et Nisibi urbibus tuto collocatas fuisse, atque ex illis civitatibus Hierosolyma missas. Ex his Judæis erant Asinæus et Anilæus fratres patria Neardenses, qui quasi male habiti ad arma confugiunt, et collecto juvenum non contemnendo numero, castellisque positis, etiam Satrapam Babyloniæ profligarunt. Unde Artabanus, Parthorum Rex, eorum audaciam fortitudinemque impendio admiratus, illos sibi devincire cupiebat: commisit itaque Asinæo regionem Babylonicam, ut eam a latrociniis illæsam custodiret; qui per quindecim annos magna felicitate auctoritateque inter Babylonios gavisus est: donec Anilæus Parthorum ducis uxore ablata, et Asinæo fratre veneno sublato, et Mithridate Parthorum nobilissimo indigne habito, tam male in conflictu se gessit, ut e suis multæ myriades ceciderint; etiam paulo post Anilæus ipse cum multisipsi adhuc adhærentibus occisus est. Post interitum tam multarum myriadum et ipsius Anilæi, qui cum viveret et floreret, quasi frænum erat odio Babyloniorum adversus Judæos, Babylonii contra Judæos insurgunt; Judæi autem nec Babyloniis amplius resistere, nec eorum cohabitationem ferre valentes, Seleuciam migrant, ubi per quinquennium secure habitabant: sexto autem post priorem cladem anno, Syris et Græcis Seleuciæ cum Babyloniis conspirantibus, supra quinquaginta Judæorum millia occisa sunt. Reliqui, qui ægre evaserant, Ctesiphontem regiam tunc urbem fuga venerunt, tuto se illic ex majestate et reverentia imperii habitaturos rati, sed frustra; nam qui illic habitabant Judæi, terrore Babyloniorum et Seleucensium perculsi

sunt; unde factum est ut plerique Nearda et Nisibin se receperint. Omnesque tunc earum partium Judæi non Babylone, sed, quantum ex Josepho colligere possumus, vel Ctesiphonte, vel Neardis, vel Nisibi habitabant. Unde Agrippa sub initio belli Judaici, in præclara apud Josephum oratione, Judæos etiam trans Euphratem nullos nominare potuit præter eos, qui in Adiabenorum regione sub Parthorum imperio habitabant. Et postea Trajanus, cum Judæi in Ægypto et Cyrenaica rebellarent, Lucio Quieto in mandatis dedit, ut Judæos in Mesopotamia solos, de quibus ante diximus, opprimeret, ne quid simile etiam illic tentarent. Ipse autem imperator Babylonem petens nihil illic memoria dignum vidit. Quorsum igitur S. Petrus Antiochiam relinqueret, in qua urbe plurimi Judæi erant nondum ad Christi fidem conversi? Quorsum imperio Romano in æternum valediceret, in quo quamplurimæ Judæorum coloniæ erant ubique dispersæ, ut externum imperium peteret, et Babylonem Assyriacam pergeret; in qua urbe, toties deserta et prophetarum fulmine percussa, vel pauci, vel nulli Judæi tunc temporis habitabant?

VII. Sed Babylone tunc fuit Petrus, quando scripsit epistolam ad dispersionem Judæorum; tota enim argumenti vis tandem ad illam literalem expositionem resolvitur. Verum et illa, his quæ ante diximus consideratis, statim evanescit. Explodatur figurata, admittatur literalis expositio; non opus erit ut in Assyriam nos conferamus, si nudo urbis nomini standum esse arbitremur: alia enim erat urbs Babylonis nomine insignita, eaque Judææ multo vicinior, a Babyloniis post dira prophetarum vaticinia Ptolemæorum permissu condita et habitata. Stephanus voce Βαβυλὼν, ἔστι δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ πόλις, "Est autem et in Ægypto urbs

" Babylon." De hac Babylone loquitur Strabo lib. xvii. tanquam de urbe et satis ampla et munita, postquam Heliopolitin et Latopolitin præfecturas describserat. Ἀναπλεύσαντι δ' ἐστὶ Βαβυλὼν φρούριον ἐρύμνὸν, ἀποστάντων ἐνταῦθα (l. ἐνταυθοῖ) Βαβυλωνίων τινῶν, εἶτα διαπραξαμένων ἐνταῦθα κατοικίαν παρὰ τῶν βασιλέων· " Ulterius sursum naviganti est Babylon castellum " natura munitum, a Babyloniis quibusdam conditum: " qui huc secedentes eo in loco habitationem a regibus " impetrarunt." Tempore autem Strabonis sub imperio Tiberii una ex tribus legionibus, quæ Ægyptum custodiebant, ibi collocata est, ut ipse narrat. De hac Babylone Ptolemæus in descriptione Ægypti: Ἐν μεθορίῳ Ἀραβίας καὶ Ἀφροδιτοπόλεως Βαβυλὼν, Ἡλιούπολις, Ἡρώων πόλις, δι' ἧς καὶ Βαβυλῶνος πόλεως Τραϊανὸς ποταμὸς ῥεῖ· " In confinio Arabiæ et Aphroditopoleos Ba- " bylon, Heliopolis, Heroopolis, per quam et urbem " Babylonem Trajanus fluvius decurrit." Hæc est illa Babylon de qua loquitur Hieronymus in vita Hilarionis, cujus verba huc afferenda putavi, quod situm urbis in Ægypto aliquo modo describant, et distantiam a Pelusio. " Quinto igitur die venit Pelusium (Hilarion) visitatis- " que fratribus qui in vicina eremo erant, et in loco qui " dicitur Lychnos, morabantur, perrexit post triduum " ad Castrum Theubatum, ut videret Dracontium epi- " scopum et confessorem, qui ibi exulabat; quo increbibiliter consolato tanti viri præsentia, post aliud " triduum multo Babylonem labore pervenit, ut videret " Philonem episcopum et ipsum confessorem." Unde etiam colligere possumus Philonem hujus urbis fuisse episcopum, ut postea in Concilio Chalcedonensi inter episcopos mentio fit Κύρου Βαβυλῶνος, qui tum Ephesinæ, tum Chalcedonensi synodo interfuit; et in subscriptionibus ad Concilium Constantinopolitanum a

Lambecio editis, Φώτιος ἐπίσκοπος Βαβυλῶνος ὑπέγραψα· " Photius episcopus Babylonis subscripsi." Si in hac urbe Ægyptiaca S. Petrum scripsisse quis dixerit Epistolam primam, literalis expositio satis constabit, neque ullo argumento refelli poterit, nisi quis ad figuratam locutionem a Patribus haud paucis probatam confugerit. Nomen enim urbis proprie sumptum, ut sumi debere contendit Salmasius, me haud renuente, non minus huic urbi Ægyptiacæ sub imperio Romano, quam alteri Assyriacæ sub imperio externo competit.

VIII. Quinetiam præterea et argumentum totius Epistolæ Petri in qua Babylonis mentio fit, et nonnulla quæ ex eadem particulatim deduci possunt, Babylonem illam longissime a Judæa sitam potius aspernantur, et huic propinquiori melius conveniunt. Scribit enim præcipue ad Judæos, qui Christianam fidem receperant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia (ut easdem fere colonias simul recenset Philo, εἰς δὲ τὰς πόρρω διῳκισμένας Παμφυλίαν, Κιλικίαν, τὰ πολλὰ τῆς Ἀσίας ἄχρι Βιθυνίας, καὶ τῶν τοῦ Πόντου μυχῶν) ex iis scilicet coloniis, quas Judæi diversis temporibus emiserant, ulteriores autem, non vicinas in Ægypto, Phœnice, et utraque Syria, in quibus ipse jam prædicaverat. Ad eos autem scripsisse videtur, quos nec viderat prius, nec postea videre constituerat. Certe in tota hac epistola nusquam innuit se iis, ad quos scribit, evangelium prædicasse, vel oculis eosdem usurpasse; neque unquam promittit se eos postea visurum. Nullo modo enim admittenda mihi videtur historia, quam refert in apostoli vita Hieronymus, " Post episcopatum Antio-
" chensis Ecclesiæ, et prædicationem dispersionis eorum
" qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia,
" Cappadocia, Asia et Bithynia, secundo Claudii anno
" ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit;"

idque non tantum quia hæc facta narrat tam mature ante secundum Claudii annum, sed etiam quia prædicasse Petrum in illis regionibus affirmat, quas eum nemo vidisse unquam docuit, præter Epiphanium Hæresi xxvii. Πέτρος δὲ πολλάκις Πόντον τε καὶ Βιθυνίαν ἐπεσκέψατο· " Petrus autem Pontum et Bithyniam sæpe " invisit." Ex hoc solo fundamento Salmasius in Apparatu sic disputat: " Ergo Petrus Babylonem recta " concesserit, non Romam, postquam dispersioni Judæ- " orum per illas provincias consistentium evangelium " prædicavit." Sane si apostolus ille circumcisionis Babylonem non venit, nisi postquam Judæis per illas provincias prædicaverat, Babylone nunquam fuit. Idem mihi firmare videntur duo comites S. Petri Silvanus et Marcus, per quorum unum misit epistolam, et alterius nomine eos salutavit ad quos scripsit. Erat autem Silvanus unus ex iis, quos Petrus cum Concilio Hierosolymitano miserat ad docendum quid in illo concilio constitutum est. Erat porro S. Pauli individuus comes per provincias illas Asiaticas prædicantis, eique per aliquot annos adhæsit. Neque enim mihi unquam placuit illa observatio Hieronymi Ep. ad Damasum cxliii. " Sciendum, *Silam* collegam Pauli, lingua Hebræa *apo-* " *stolum* dici, qui cum eo nonnullas epistolas scripsit: " et vitiose *Silvanus* legitur pro *Sila*, cum Silvanum in " Apostolorum Actis non legamus." Nunc autem eum cum Petro Babylone invenimus, et per eum epistola missa est, quia fuerat fere illis, ad quos scripta est, notissimus. Quinetiam Marcus, cujus nomine eos salutat, Hierosolymis Paulum et Barnabam Antiochiam usque secutus est, et per eas provincias, donec in Pamphylia eum reliquerat; adeoque eorum plurimis notus fuerat. Cyprum autem cum Barnaba navigans, abnuente ejus consortium Paulo, ut par est credere,

Antiochiam ad Petrum reversus est; unde nunc ei in Ægyptiaca urbe merito adjunctum fuisse credimus. Atque inde ratio non mala petitur, cur Marcus post mortem Petri et Pauli Evangelium scripserit, ut Irenæus lib. iii. cap. 1. refert, et Alexandriæ cathedram posuerit, ut omnes testantur: nempe quia illi noverunt eum in Ægypto Petri comitem fuisse. Salmasius ipse sæpe fatetur Petrum Alexandriæ fuisse; si ab Antiochia Babylonem profectus est, erat illa Babylon Ægyptiaca; aliter Petrus Alexandriam nunquam vidisset. " Certum " est," inquit Salmasius, " Petrum urbes illas, Alexan- " driam nempe et Babylonem, adiisse, et ἀποστολῆς suæ " munus in Judæis, qui in illis civitatibus maxima et " abundantissima multitudine effervescebant, ad fidem " convertendis exercuisse." At hujus rei certitudo aliunde oriri non potest, quam ex nostra sententia, quæ statuit Babylonem, cujus mentio nuspiam nisi in Epistola Petri habetur, urbem Ægyptiacam fuisse. Cumque rursus ait, " Si Romæ fuit Petrus, post Alexandriam, " Antiochiam et Babylonem, hanc urbem inviserit " necesse est;" libens hoc concedo; nam post Alexandriam et Antiochiam et Babylonem invisit Petrus Corinthum, quam inter colonias Judæorum per Europam dispersas numerat Philo; et postea profectus est in Italiam; non eo tempore quo Judæi a Claudio exacti sunt, sed sub imperio Neronis. Denique in quacunque urbe Petrus Epistolam scripsit, quæ vocatur prima, probari inde non potest eum Romæ nunquam fuisse; si Romæ, imo vel si alibi secundam scripserit, 2 Pet. iii. 1. *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam;* hæc autem paulo ante mortem scripta, et quidem talem, qualem Christus prædixit, i. 14. *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.*

Hoc certe extrema Petri senectute, quam etiam prædixerat Christus, scriptum fuisse certum est, cum in eadem Epistola omnes Epistolæ Pauli laudentur, 2 Pet. iii. 16. *Sicut et in omnibus Epistolis loquens;* " Anno," inquit Salmasius, " Claudii duodecimo, altero ante " primum Neronis anno Antiochiæ erat Paulus, et " eodem venit Petrus." Eo autem anno Paulus nullam Epistolam scripserat, et multis annis post eum hæc secunda Petri Epistola scripta sit necesse est, qua omnes Pauli Epistolæ memorantur. Ac præcipue illa ad Hebræos, quam diserte Salmasius a Paulo negat fuisse scriptam. Sic enim Petrus ad Hebræos scribens, cap. iii. v. 15. *Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini; sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Quæ signanter dicta sunt. Nam S. Paulus ad Hebræos, c. ix. v. 28. *Christus secundo apparebit expectantibus se in salutem.* Noverat itaque S. Petrus Pauli Epistolas, noverat eas ab indoctis et instabilibus fuisse depravatas. Quæ omnia cognoscere non potuit Petrus, si ab Antiochia Babylonem Assyriacam profectus sit, atque inde pedem nunquam tulerit, ibique multo maturius ante mortem Pauli passus sit, secundum Salmasii sententiam. Fateor equidem eum secundam Petri Epistolam prorsus rejicere, ideoque hæc ad eos tantum scribo, qui cum Ecclesia Dei eam recipiunt. Negat etiam Epistolam ad Hebræos a Paulo scriptam esse, additque: " Qui " Paulo tribuunt, ideo nomen suum suppressisse eum " volunt, quia Hebræis scripta est." Sed et hæc de veteribus observatio, quam ad suam hypothesin trahit Salmasius, absolute vera non est. Nam antiquissimus eorum, qui de hac re scripsere, erat senior ille, quisquis fuerit, quem laudavit in Hypotyposibus Clemens. Ille autem hanc rationem reddidit, Ἐπεὶ ὁ Κύριος Ἀπό-

στολος ὢν τοῦ Παντοκράτορος ἀπεστάλη πρὸς Ἑβραίους, διὰ μετριότητα ὁ Παῦλος ὡς ἂν εἰς τὰ ἔθνη ἀπεσταλμένος οὐκ ἐγγράφει ἑαυτὸν Ἑβραίων ἀπόστολον διά τε τὴν πρὸς τὸν Κύριον τιμὴν, διά τε τὸ ἐκ περιουσίας καὶ τοῖς Ἑβραίοις ἐπιστέλλειν ἐθνῶν κήρυκα ὄντα καὶ ἀπόστολον· "Quando-"quidem Dominus, omnipotentis Dei Apostolus, ad "Hebræos missus fuerat, præ modestia Paulus utpote "ad Gentes missus Hebræorum apostolum se minime "inscribit, tum ob suam erga Dominum reverentiam, "tum quod ex abundanti ad Hebræos scriberet, cum "gentium præco et apostolus esset." Ecce rationem reddit quare S. Paulus, cum Epistolam hanc ad Hebræos scripsit, nomen suum præfigere noluit; nempe ob reverentiam quam erga Christum habuit, qui a Deo Apostolus ad Hebræos missus est. Sed vel ille unicus versiculus cap. xiii. 23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo, si celerius venerit, videbo vos*, satis mihi probat eam Epistolam a S. Paulo scriptam esse. Neque enim Barnabæ, neque Clementi, neque Lucæ ea verba tribui possunt, tanquam ob eorum aliquo de Timotheo scripta. Cui si adjunxeris testimonium ex secunda Petri Epistola a nobis jam allatum; non video quomodo quisquam negare possit, eam Epistolam esse Pauli, nisi putet de ea re semper dubitandum esse, de qua quispiam aliquando dubitaverit.

IX. Cum nos nubem testium antiquissimorum ad probandum Romæ aliquando fuisse Petrum, adduximus; Salmasius eos omnes rejiciens unico videtur esse contentus, eoque maxime idoneo, Clemente scilicet Romano; qui si testetur Petrum Romæ nunquam fuisse, dirimitur illico hæc controversia, et Salmasio cum suo Clemente manus dandæ. Mira quidem res est, si ita se habeat. Patricius Junius noster, qui Clementis Epistolam magno cum labore transtulit, Latine vertit,

notisque illustravit, hujusmodi nihil animadvertit; imo dubium non esse, quin Romæ Petrus passus sit, aperte professus est. Quamvis hæc epistola nobis non nisi nuper innotuit, primis tamen Ecclesiæ temporibus notissima fuit, etiam illis omnibus perspecta, qui Petrum Romæ fuisse crediderunt. An verisimile est Patres secundi seculi doctissimos a Papia viro non magni judicii decipi potuisse, qui Clementi Romano summam in omnibus auctoritatem tribuebant? An cum hæc Epistola in Ecclesia Corinthiaca sæpissime lecta esset, Dionysius Corinthi episcopus ea tradidisset, quæ attulimus, si Clementis testimonio contraria fuissent? Sed verba Clementis audiamus, *Λάβωμεν πρὸ ὀφθαλμῶν ἡμῶν τοὺς ἀγαθοὺς ἀποστόλους· Πέτρος διὰ ζῆλον ἄδικον, οὐχ ἕνα οὐδὲ δύο, ἀλλὰ πλείονας ὑπέμεινεν πόνους, καὶ οὕτω μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης·* "Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos; propter "æmulationem iniquam Petrus non unum aut alterum, "sed plures labores sustulit, atque ita martyrium pas- "sus in debitum gloriæ locum migravit." Primo, hæc verba Clementis nullo modo probant Petrum Romæ unquam fuisse. Secundo, nec illud probant, Petrum Romæ passum non esse. At si Petrus Romæ passus est, inquit, id ignorare non potuit Clemens. Fateor. At Clemens, inquit, ignorasse videtur; nam si scisset, expressisset: neque debuisset obiter tantum et simpliciter dixisse, *ὅτι ἐμαρτύρησε.* Sed Clemens nullo modo coactus est exprimere, quo loco Petrus passus sit, nulla occasio ei oblata est de loco passionis disserendi: disserit enim de pessimis zeli et invidiæ effectibus, quibus tunc peccatis maxime obnoxii erant Corinthii; hortatur eos ad patientiam, quæ maxime in eo Ecclesiæ statu erat necessaria: revocat illis in memoriam quanta mala omni ævo zelus et invidia orbi intulerant; et

quod qui nuper etiam Ecclesiæ columnæ erant, propter zelum et invidiam ad mortem usque acerbam persecutionem passi sunt: quod ostendit exemplo Petri et Pauli: neque meminit loci in quo passus est Petrus, quia neque ad zelum aut invidiam inimicorum, neque ad patientiam apostoli pertinebat. At "non debuit," inquit, "ita distincte de utriusque morte et supplicio "tradere," ut et urbem in qua passus est Paulus, et tyrannum sub quo passus est, expresserit; de Petro autem neutrum dixerit; quod dicere debuit, si Petrus in eadem urbe et sub eodem tyranno passus fuisset. Sed nec hoc verum est, Clementem expresse dixisse Paulum aut Romæ, aut sub Nerone passum esse: dixit quidem de Paulo, Ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου· "Ad "occidentis terminos (sive fines) veniens, et sub impe- "ratoribus martyrium subiens sic e mundo migravit." Ego certe in his verbis, neque Romam, neque Neronem expressum video. Quis enim unquam dixit Romam fuisse terminos, aut fines occidentis? quæ quidem occidentis pars fuit, sed neque terminus, neque finis. Ut Velleius Paterculus "ultimum Hispaniæ tractum, ex- "tremum nostri orbis" (id est, occidentis) "terminum" appellat. Et Plinius l. ii. ep. 3. "Gaditanum quendam" refert "Titi Livii nomine gloriaque commotum ad "visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse." Unde illa Hieronymi, Ep. ciii. "Ad T. Livium lacteo "eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hispaniæ "Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legi- "mus; et quos ad contemplationem sui Roma non traxe- "rat, unius hominis fama perduxit." Alia mens fuit Clementis, qui dum labores et peregrinationes Pauli persequitur, eum ab Oriente per Asiam longis iteratisque peragrationibus in occidentem, variasque

ejus partes, ut Illyricum, Italiam, et fortasse Hispaniam usque pervenisse docet. Sic apud Philostratum Apollonius Tyanæus, cum Nero edixisset, Μηδένα ἐμφιλοσοφεῖν τῇ Ῥώμῃ, τρέπεται ἐπὶ τὰ ἑσπέρια τῆς γῆς, l. iv. c. ult. et l. v. c. 1. Τὰ δὲ Γάδειρα κεῖται μὲν κατὰ τὸ τῆς Εὐρώπης τέρμα. Quod si Romam diserte non expresserit, Neronem certe multo minus delineavit ; dicit enim Paulum ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, hoc est, ut illi volunt, " sub imperatoribus, sub Nerone nimirum" explicante Salmasio. Nero quidem imperator, sed imperatores non fuit ; multo minus ἡγούμενοι ; neque enim ἡγούμενοι, " imperatores" dicti sunt ; sed qui sub imperatore in provinciis præsertim, præsidum loca sub variis nominibus obtinebant. Fateor Paulum Romam venisse, fateor eum Romæ sub Nerone passum esse ; at neque urbem, neque imperatorem exprimere voluit Clemens, quia utrumque Corinthiis fuit notissimum. Ἐπὶ ἡγουμένων autem cum dixit de passione Pauli, præfectos sine dubio intellexit, ut de martyribus loqui solebant veteres. Tertullianus de Corona, " et reus ad " præfectos. Neque hæc vox tantum in provinciis solennis fuit, sed etiam Romæ ; ut patet ex Ep. S. Cypriani ad Successum. " Sed et huic persecutioni quo- " tidie insistunt præfecti in urbe," Romana scilicet, " ut siqui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona " eorum fisco vindicentur." Tales erant Romæ, ultimo Neronis anno, duo præfecti prætorio Tigillinus et Sabinus, et cum summa potestate Helius. Denique manifestum est nihil hic a Clemente de urbe, vel de imperatore diserte et expressim dictum esse, quia a Romanis ad Corinthios scripsit, qui hæc omnia non minus quam ipse, noverunt ; imo Clemens mentionem loci non fecit, non quia ipse ignorabat, sed quia illi cognoverunt. Nam si ignorasset quo in loco, qua in

regione, aut qua in orbis parte, mortuus est Petrus, quomodo asserere potuit eum martyrio coronatum fuisse? Qui enim scire potuit, quo genere mortis affectus est, qui locum ubi vivere desiit, penitus ignorabat? Qui novit eum ex zelo et invidia ad mortem usque acerbam deductum fuisse, si nesciret in quo populo versabatur tunc cum excessit e vita? Proculdubio hæc loci omissio non ex ignorantia cujuspiam, aut scriptoris alterius, sed ex certissima omnium, ad quos spectabat hæc epistola, tum Romanorum, tum Corinthiorum, aliorumque fidelium cognitione et explorata scientia, quæ ulteriorem expositionem minime requirebat. Ac tandem argumentum hoc negativum ex Clemente productum, non eorum sed nostrum est. Clemens optime novit, et ubi, et quomodo passus est S. Petrus. Idem etiam bene noverunt tum Romani, tum Corinthii, aliter eos ea de re certiores fecisset Clemens.

X. Quæ edisserit Salmasius de tempore, quo Romam venisse dicitur Petrus, partim a nobis valde probantur; sed cum inde confici posse putat Petrum Romæ nunquam fuisse, fugit eum ratio. Sub Claudio nondum eum Romam pervenisse sentio; sub Nerone vero non venisse, nihil probat. "Anno," inquit, "Neronis sexto "vinctus Romam adductus est Paulus; Petrum tunc "Romæ non fuisse plusquam certum est." Fortasse. At per Neronis quinquennium Petrum Romæ fuisse quid vetat? Mors scilicet. "Nam e vivis jam multo "ante abierat Petrus, quam Paulus Romam venit." Quam multo, quæso, ante? "Undecim," inquit, "cir-"citer annos; anno Claudii decimo." Hæc si vera sint, quorsum ulterius disputamus? qui quadriennio, vel triennio ante imperium Neronis mortuus est, sub Nerone Romæ non fuit. Sed unde hæc de decimo

Claudii anno? Salmasius ipse ante dixerat duodecimo Claudii anno Paulum fuisse Antiochiæ, illucque venisse Petrum. Certe Romæ nunquam fuit Petrus, sed neque Antiochiæ sic fuisset, neque Babylone, si decimo Claudii anno mortuus est. Ex Eutychio hæc omnia. At Eutychius diserte tradit Petrum Romæ fuisse, et prius patriarcham Antiochiæ statuisse, " et profectus " est," inquit, " deinde Petrus Romam, quod anno " regni Caii Cæsaris secundo contigit." Ibi etiam passum eum esse sine dubio credidit. De tempore autem ab Eusebio dissentit, aitque rursum, " Occisus " autem est Petrus sub annum vicesimum secundum " post Dominum nostrum Christum." At hoc factum esse non decimo Claudii anno, sed sub Nerone tradidit Eutychius; verba ejus sunt paulo ante, " Prehensum " vero Petrum Nero Cæsar cruci affigit." Manifesto enim sequitur Eutychius traditionem illam quæ XXV. annos pontificatui Petri tribuebat, quamvis non tot annis Romæ præfuerit: et ab illis triennium Eutychius decerpsit, quia Christum credidit triennio serius passum esse quam illi tradebant. Nam verba ejus etiam sunt, " Tum post quadraginta dies in cœlum ascendit annos " habens triginta tres:" quem notavit XV. Tiberii anno natum esse XXX. Eutychii igitur anni XXII. prorsus conspirant cum aliorum annis XXV: quorum sententia accurate expressa cernitur in vetustissimo catalogo; de qua sententia, et illius errore manifesto postea latius disserendum erit. Interim hactenus adductum est, quod probet Petrum sub Nerone ante Pauli adventum Romæ non fuisse. Largior equidem per illud biennium, quo Paulus Romæ prædicasse ex Actis ostenditur, Petrum in eadem urbe non fuisse. Unde autem post illud biennium Petrum Romam non

venisse probatur? Nempe Salmasius ait Paulum Romæ septem annos vixisse, et tum ibi martyrium passum esse. Quamvis hæc nova sint, et ut alibi ostendimus in tractatu de ultimo S. Pauli quadriennio, vel quinquennio [n], aperte falsa; tamen his etiam positis et concessis, nihil hujusmodi inde probatur. Ideo enim tantum Petrum Romæ non fuisse toto illo biennio conceditur, quia eo tempore nec Lucas Petri meminit, nec Paulus in Epistolis eo temporis tractu scriptis; inter quas non numerandæ sunt Epistolæ ad Thessalonicenses, et ad Galatas. Sed post illud biennium nihil suadet Petrum Romæ non fuisse, si modo Paulus inde unquam exierit; imo si ibidem permansisse Paulum usque ad martyrium suum concederetur, nihil omnino probat Petrum, aut eo tempore, aut paulo ante, ibidem non fuisse. De his alibi disputaturus contra vulgarem Romanorum sententiam, eamque fortioribus argumentis refutaturus, hic tantummodo sententiam nostram expromere statui, et quidem verbis Theodori Bezæ, accurati admodum scriptoris, qui ad illa verba S. Petri, *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone co-electa*, hæc annotat, " Quod traditum est de viginti quinque illis " annis, quibus Petrus Romæ sederit, partim ex Pauli " Epistolis Roma scriptis probabiliter refellitur, partim " etiam necessariis argumentis demonstratur ex tem-

[n] Hunc tractatum de ultimo S. Pauli quadriennio inter Pearsoni deperdita adnumerandum arbitror: de eo nusquam alias, quod sciam, mentionem fecit. Si superesset, fortasse paullo accuratius nos monuisset de tempore quo S. Petrus primum Romam visisse putandus sit. Nam si Lini tempora recte constituta sunt in Dissert. 11. c. ii. ab A. D. 55. ad A. D. 67. non solum " post illud" Pauli " biennium," sed etiam aliquot annis antequam Paulus Romam viderat, oportet Petrum Romæ fuisse. Locus est ejusmodi, ubi nos ultimam Pearsoni manum desideramus.

" porum supputatione ; etiamsi Romam illum venisse " ibique pro Christi nomine trucidatum fuisse, non " invitus concedam." Atque inde tandem concludo nullam successioni apostolicæ, aut ejus auctoritati, qualis ab antiquissimis Patribus contra hæreticos asserta est, injuriam ex incertissimis, imo falsissimis de S. Petro assertionibus fieri debere.

CAP. IX.

I. Salmasii nullos apostolorum in ecclesiis successores concedentis sententia proponitur.—II. Successoris vox de successoribus partiariis usurpata. In Alexandri Magni successione *διάδοχοι*, *ἐπίγονοι*, *ἀπόγονοι*, quo pacto invicem distinguendi.—III. Proinde quod in partem ditionis apostolicæ successerint episcopi, nihil tamen obstat quo minus dici possint apostolorum successores.—IV. Etiam ante mortem S. Pauli singuli presbyteriis episcopi præfecti sunt.—V. Primam ad Timotheum Epistolam e Macedonia datam, antequam Romam veniret apostolus, male statuit Salmasius. Triplex memoratur apostoli in Actis profectio in Macedoniam, quarum nulla scribi hæc potuit Epistola.—VI. Male rursus Epistolam ad Titum profectioni Macedonicæ assignat in Actis memoratæ.—VII. Non affirmat Clemens Romanus Paulum, postquam Romam ingressus est, pedem inde postea nunquam extulisse.—VIII. Bis Romæ Paulum fuisse probatur.—IX. Inter binos illos Romam adventus impositi erant presbyteriis viri singulares episcopi.—X. Idem probatur de secundo temporum apostolicorum intervallo, a martyrio S. Pauli ad obitum S. Joannis.—XI. Idem de tertio intervallo probatur ab obitu S. Joannis usque ad tempora Victoris.—XII. * *

HUJUS in Ecclesia Romana successionis aliarumque in aliis apostolicis ecclesiis tabulæ, apud antiquissimos Patres magni semper habitæ sunt; ex illis disputabant contra hæreticos et schismaticos; neque hi aut illi quicquam habebant, quod huic argumento ulla verisimilitudine opponi posset. Patet hoc ex locis Patrum tertio capite adductis, ut plura addere necesse non sit. Alia autem hujus successionis utilitas

fuit, quod eodem argumento vera et indubitata ordinis episcopalis antiquitas, et primordialis forma regiminis duraturi ab ipsis apostolis derivata simul demonstraretur. Iidem enim, qui doctrinam his successionibus traditam, et receptam pro vera habuerunt, simul etiam docuerunt hos episcopos in suis ecclesiis fuisse apostolorum in officio successores. Hoc autem est, quod novatores male habet; et ne hæc consequentia admittatur, nullam in primis duobus seculis Ecclesiæ successionem fuisse asserunt, idque contra expressa eorum Patrum verba qui secundo seculo vixere. " Nulli episcopi succedere potuerunt apostolis. Nulli " episcopi succedere potuerunt illis episcopis, qui ab " apostolis ordinati sunt." Sic Salmasius in Apparatu. Unde sequitur eos antiquos Patres qui secundo seculo vixere, omnesque qui illos sequuti sunt, non modo falsas successiones nobis tradidisse, sed et impossibiles. Quid sit *διαδοχὴ*, qui appellandi *διάδοχοι*, optime noverunt viri illi magni, Hegesippus, Irenæus, Tertullianus, qui secundo seculo vixere. " Ipse Hieronymus," inquit Salmasius, " aliquando errore isto communi " abreptus deprehenditur successionum episcopalium ab " apostolorum tempore repetendarum." An communis sententia Patrum fuit communis error? Habuerunt illi ante oculos successiones regum, et successorum nomina consignata. Notissimæ tunc erant *διαδοχαὶ* præcipuorum philosophorum, et *διαδόχων* tum loca, tum nomina. An soli Patres ignorabant, quibus nomina *διαδόχων* competebant? An adeo ignari rerum erant, ut tam notum vocabulum istis tribuerent, qui illud ferre nullo modo potuerunt? An qui sub initio seculi secundi, vel ante medium vixere, quales episcopos sæculum primum jam affectum viderit, prorsus nesciebant? An Hieronymus nescivit quomodo de apostolis

et episcopis loquendum sit, qui in Epistola ad Evagrium scripta, toties a Salmasio laudata, hæc tam rotunde protulit: "Ubicunque fuerit episcopus, sive Romæ, "sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive "Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est "et sacerdotii. Potentia divitiarum et paupertatis "humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum "non facit. Cæterum omnes apostolorum successores "sunt."

II. Quod nulli episcopi succedere potuerint apostolis, unico argumento probare nititur ex disparitate apostolorum et episcoporum petito. Unusquisque apostolorum habuit illimitatam jurisdictionem, episcoporum unusquisque limitatam: nulli igitur apostolo succedere potuit episcopus, quia tantum partem illius curæ et jurisdictionis sortitus est. Hujus argumenti vis nulla est; nam vox successionis, ubi pars tantum potestatis, sive jurisdictionis alicui contigit, semper usurpata et legitima habita est. Justinus lib. xix. cap. 1. "Mago "Carthaginiensium imperator die fungitur, relictis "duobus filiis, Hasdrubale et Hamilcare, qui per "vestigia paternæ virtutis decurrentes, sicut generi sic "et magnitudini patris successerunt." Sub imperatore Claudio loco duorum unicus præfectus prætorio constitutus est Burrhus Afranius. Sub Nerone Burrho mortuo duo præfecti prætorio constituti sunt, ut unius successores. Ita loquitur Tacitus, Annalium lib. xiv. c. 51. "Civitati grande desiderium ejus mansit, per "memoriam virtutis, et successorum alterius segnem "innocentiam, alterius flagrantissima flagitia et adul-"teria." Sic Herodes Roma redux post reconciliationem filiorum ab Augusto factam tantum Cæsaris beneficium coram populo Hierosolymitano, adstantibus tribus filiis, agnoscit. Ὁ μὲν γὰρ κύριαν ἐμὲ τῆς ἀρχῆς

καὶ δικαστὴν τοῦ διαδόχου κατέστησε· " Ille enim me " regni dominum et successoris judicem constituit :" ἐγὼ δὲ τούσδε τοὺς τρεῖς παῖδας ἀποδείκνυμαι βασιλέας· " ego autem hosce tres filios reges designo," ipsius scilicet in regno successores : τῷ μὲν γὰρ ἡλικία, τοῖς δὲ εὐγένεια τὴν διαδοχὴν προξενεῖ· " huic enim," Antipatro, " ætas ; illis," Alexandro et Aristobulo, " nobi- " litas generis successionem conciliat." Hos igitur tres filios suos successores sibi publice designavit Herodes, eosque regni sui hæredes partiarios constituit, quod proximis verbis aperte significat, τόγε μὴν μέγεθος τῆς βασιλείας ἀρκεῖ καὶ πλείοσιν· " magnitudo enim regni " etiam pluribus sufficit." Hæc Josephus de Bello lib. i. cap. 23. Mortuus est Alexander Magnus in maximo imperio. Non interruptum est illius imperium, sed per successiones continuatum est, sive ut loquitur Livius, " Maximum in terris Macedonum " regnum nomenque inde morte Alexandri distractum " est in multa regna," quasi " minutalia regna," ut loquitur Tertullianus[a]. Josephus lib. xi. cap. ult. Τελευτήσαντος δὲ Ἀλεξάνδρου ἡ μὲν ἀρχὴ εἰς διαδόχους ἐμερίσθη. Vetus Interpres, " Post obitum autem " Alexandri imperium quidem ejus inter successores " est divisum." Agathias lib. ii. de imperio Persarum translato in Macedonicum ab Alexandro, Οὕτω γὰρ ἦν μεγαλουργὸς ἐς τὰ μάλιστα καὶ ἀμαχώτατος, ὡς ἐπειδὴ αὐτὸν καὶ ἀποβιῶναι ξυνέβη, ὅμως τοὺς ἐκείνου διαδόχους, Μακεδόνας γε ὄντας, κατασχεῖν ἐπιπλεῖστον τῆς ἀλλοδαπῆς καὶ ὀθνείας, καὶ ἐπὶ μέγα δυνάμεως ἀφικέσθαι· " Ita enim " erat rerum gestarum magnitudine eximie clarus, " belloque insuperabilis, ut etiam posteaquam eum e " vivis excedere contigit, successores tamen ipsius,

[a] Adv. Marcion. i. 4.

" Macedones quum essent, alienam exteramque re-
" gionem quam diutissime in potestate retinuerint, et
" ad summam potentiam evaserint." Qui hæc regna obtinuerunt, *διάδοχοι* Græcis dicebantur, successores nempe Alexandri, non in toto imperio, sed in parte unicuique assignata, *τῆς βασιλείας υἱοὺς διαδόχους οὐκ ἐχούσης*, ut loquitur Diodorus Siculus. De qua re ita loquitur Eusebius de vita Constantini, lib. i. cap. 7. *Αὖτικα δὲ ἡ βασιλεία κατετέμνετο, τῶν θεραπόντων ἑκάστου μοῖράν τινα παρασπῶντος καὶ ἁρπάζοντος ἑαυτῷ.* Idque adeo passim apud Græcos obtinuit, ut *οἱ διάδοχοι* simpliciter dicti, sine adjecto, regni Alexandri partiarios peculiariter significent; sic apud Josephum lib. xii. cap. 1. *Μαρτυρεῖ δὲ τῷ λόγῳ τούτῳ Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος, ὁ τὰς τῶν διαδόχων πράξεις συγγραψάμενος·* " Testis est orationi huic Agatharchides Cnidius, suc-
" cessorum Alexandri gesta conscribens." Sic apud Suidam, *Ἑκαταῖος Ἀβδηρίτης γέγονεν ἐπὶ τῶν διαδόχων.* Et, *Νύμφις Ἡρακλεώτης περὶ Ἀλεξάνδρου καὶ τῶν διαδόχων καὶ ἐπιγόνων.* Horum locorum primo ætas Hecatæi satis innotescit ex eo quod sub Successoribus vixerit; id autem intelligendum est de iis regibus qui Alexandro proxime successerunt: aliter ejus ætas prorsus remaneret incerta, quod ad scripta attinet. Erat autem ille cum Alexandro ipso nutritus, et cum Ptolemæo Lagi commoratus est, ut testatur Josephus lib. i. contra Apionem. Secundo pariter Nymphis scripsisse intelligendus est de iis regibus, qui Alexandro proxime successerunt, et de eorum liberis: id enim vox *ἐπίγονοι* significat; filios scilicet successorum, non successores, ut Scaliger, neque posteros, ut Vossius, qui *ἐπιγόνοις τοῖς ἐπὶ Θήβας* opposuit *ἐπιγόνους Ἀλεξάνδρου* a se inventos; Græcorum enim nemo ita locutus est. Nam ut apud Apollodorum leguntur *οἱ τῶν*

ἀπολομένων παῖδες κληθέντες ἐπίγονοι, (unde apparet ἐπιγόνους dictos, qui filii erant septem ducum, qui apud Thebarum portas occisi sunt: de quibus scripta est a Sophocle Tragœdia Ἐπίγονοι dicta, ut ante ab Æschylo Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις:) ita etiam ἐπίγονοι dicti sunt primorum Alexandri successorum filii, ut Hieronymus etiam scripsit περὶ τῶν διαδόχων, teste Josepho, et περὶ τῶν ἐπιγόνων, teste Dionysio Halicarnassensi; utpote qui tum διαδόχων, tum ἐπίγονων ætate vixit. Qui autem ἐπιγόνοις succedebant, non ἐπίγονοι, sed ἀπόγονοι dicebantur, ut testatur Josephus, Antiq. lib. i. cap. 6. de Antiocho Epiphane loquens, Μακεδόνες δὲ αὐτὴν Ἐπιφάνειαν ἀφ' ἑνὸς τῶν ἀπογόνων ἐπωνόμασαν. Quod cum non intelligeret Vetus Interpres, ἀφ' ἑνὸς τῶν ἀπογόνων, "ab uno priscorum" reddidit. Ibi enim certe ἀπόγονοι pro posteris successorum Alexandri positi sunt. Ut post Hierosolymorum excidium Eleazarus sicariorum coryphæus, eidem Josepho dicitur ἀπόγονος Ἰούδα τοῦ πείσαντος Ἰουδαίων οὐκ ὀλίγους μὴ ποιεῖσθαι τὰς ἀπογραφὰς, ὅτε Κυρήνιος τιμητὴς εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἐπέμφθη. De Bell. lib. vii. cap. 8. Ut Nicolaus Damascenus Philippum Octavii Vitricum, in Excerptis de Institutione Cæsaris, Τῶν τὸν Μακεδόνα Φίλιππον (vel Φιλίππων) κεχειρωμένων ἀπόγονον vocat. Et idem Damascenus de Adado Syriæ rege, Τελευτήσαντος δὲ ἐκείνου ἀπόγονοι ἐπὶ δέκα γενεὰς ἐβασίλευον, ἑκάστου παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοὔνομα τοῦτο ἐκδεχομένου· "Mortuo autem Adado "posteri ejus per decem generationes regnabant, uno- "quoque nomen hoc assumente." Ita habemus primo τοὺς διαδόχους, partiarios regni, Alexandri successores; secundo ἐπιγόνους, eorum successorum filios; tertio ἀπογόνους, eorundem successorum posteros. Quare notio successorum partiariorum non tantum possibilis est, sed etiam nonnunquam necessaria. Unde apparet

quam falsum sit illud Salmasii effatum, " Pluralitas non " succedit unitati :" neque expositio Salmasiana hujus effati absurditatem tollit, cum addit, " præcipue dispar et " inferior." Nam illi qui Alexandro successerunt, cum plures essent, dispares etiam erant et Alexandro inferiores. Et ratio Salmasii non est, ut ipsi videbatur, " validissima et inexpugnabilis." Cum Nero omine sinistro perterritus, et de imperio retinendo solicitus complures subito interficere vellet, eum hoc sapientissimo dicto, Dione referente, Seneca compescuit, *Ὅσους ἂν ἀποσφάξῃς, οὐ δύνασαι τὸν διάδοχόν σου ἀποκτεῖναι·* " Licet quamplurimos trucidaveris, non potes " successorem tuum occidere." Apostoli ipsi, quamvis summa auctoritate cœlitus donati, et potestate vitæ ac necis, ubi opus erat, usi, tamen successores suos nec voluerunt, nec potuerunt e medio tollere. Et Salmasius, qui nimis sero fatali unius argumenti ictu eos omnes de statu suo deturbare conatus est, et frustra et infeliciter hoc efficere tentavit.

III. Cum autem plures unius successores dici legitime possint, ut ex antedictis patet; cur in hac una re nomen successionis admitti non possit, haud video. Quamvis maximum sit discrimen urbis et orbis, maxima differentia apostoli fundatoris, et episcoporum ab ipso creatorum; tamen ubi alicui episcopo singulari ecclesiæ in urbe aliqua constitutæ regimen, cum auctoritate et potestate supra omnes presbyteros ante creatos, et in posterum creandos, ab ipso apostolo concreditum et demandatum est, ille episcopus istius apostoli in ea ecclesia successor jure nominari poterit. Apostoli enim cum fundarent aliquam in urbe alicujus provinciæ ecclesiam, in eaque presbyteros constituerent, summam ecclesiarum curam et regimen sibi solis reservabant, quamdiu ipsis visum est. Sic nobis

describuntur Paulus et Barnabas primo regiones peragrantes, et evangelizantes, et discipulos facientes; et cum reversi sunt, presbyteros fratribus ordinantes in unaquaque ecclesia, Act. xiv. 21, 22, 23. Aliquot annis postea *dixit Paulus ad Barnabam, Revertentes visitemus fratres per universas civitates in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant*, Act. xv. 36. Et Paulus cum Sila *perambulavit Syriam et Ciliciam confirmans ecclesias*, v. 41. Hoc ordine primo constitutæ sunt ecclesiæ per diversas provincias. Apostoli autem cum maxime ad utilitatem Ecclesiæ pertinere videbant, ut alius aliquis illis presbyteris imponeretur, vel propter absentiam nimis diuturnam, vel mortem appropinquantem, singulares episcopos constituerunt, et ecclesiis a se fundatis præposuerunt, qui sic ab illis præpositi, durante vita, auctoritate sibi ab apostolo suo demandata in sua quisque ecclesia potiebantur. Et ideo propter Ecclesiam ab apostolo primo fundatam, et ab eodem apostolo alicui episcopo concreditam, ille, cui concredita est, merito apostoli successor ab omnibus postea appellatus est. Tales autem episcopos singulares ab ipsis apostolis sua vice in ecclesiis præpositos fuisse mox aperte ostendemus; adeoque hoc argumentum Salmasio eripiemus, qui asserit episcopos non videri debere apostolis ipsis successisse, " cum illi," ut ait, " nullum unquam talem " episcopum creaverint, qui summam in singulis ec- " clesiis supra presbyteros dignitatem et potestatem " haberet." Nam cum altera pars argumenti huic conjuncta, " nullos," scilicet, " episcopos succedere " potuisse illis episcopis qui ab apostolis ordinati sunt," ad convellendam successionem ab antiquis Patribus traditam multo majoris ponderis esse videatur: cumque hujus effati unica ratio assignetur, quia sub

apostolis unicus tantum ordo in ecclesiis constitutus est, unde concludunt nullum episcopum, quales nunc sunt, ulli episcopo ab apostolis succedere potuisse: cum denique multa de hac re in tumultuario opere a Salmasio congerantur, et sæpiuscule repetantur, ut distinguat et late disterminet episcopos postea ab Ecclesia introductos, ab iis qui ab apostolis ordinati, et ab iis qui post apostolos diu continuati sunt in Ecclesia: nos distinctius et apertius de temporibus necessario disputandum, et de re tota simul disserendum esse duximus.

IV. Ac primo omnem hanc quæstionem in eo verti concedamus, Utrum per totam omnium apostolorum vitam, quamdiu vel ultimus ex his Ecclesiam rexit, episcopi iidemque presbyteri plures ecclesiis particularibus præpositi fuerint, an vero in aliquibus ecclesiis unus aliquis omnibus presbyteris in eadem ecclesia superimpositus fuerit, viventibus adhuc apostolis, aut pluribus, aut uno saltem eorum qui longissime vitam ultra cæteros produxerit. Quæstione in hunc modum constituta, ut distinctius et clarius sententia nostra proponatur, et validius probetur, duo intervalla temporum apostolicorum separatim considerabimus, primum ante passionem S. Pauli, secundum ante obitum S. Joannis: et in utroque temporum intervallo episcopos speciales et singulares in civitatibus, et ecclesiis aliquibus particularibus omni presbyterio in iisdem ecclesiis cum potestate superimpositos ab ipsis apostolis fuisse demonstrabimus. Quod ad primum intervallum attinet, secundum legem a Salmasio impositam, ex sola S. Scriptura disputabimus. Quippe ex ipsis S. Pauli Epistolis id quod a nostris asseritur liquido constat, nempe in particularibus ecclesiis singulares aliquos et speciales, ut loquitur Salmasius, viros præpositos fuisse

omnibus presbyteris inter se æqualibus, cum jurisdictione supra illos presbyteros prius ordinatos; illosque singulares et speciales viros ab ipso apostolo Paulo, iis presbyteris quos ipse pari cum potestate instituerat, cum majore et exsorti potestate superimpositos fuisse. Ad hoc autem comprobandum nituntur nostri præcipue auctoritate Epistolæ ad Titum, et primæ ad Timotheum. Quod cum facile perspiceret Salmasius, et hæc disputatio tota in temporum tractu posita videretur, tempora Epistolis a S. Paulo scriptis assignanda ita confundere conatus est, ut exinde nihil certi colligi posset. Epistolam ad Timotheum primam, et alteram ad Titum scriptas fuisse statuit diu antequam Paulus Romam vidit; Paulum Roma nunquam pedem tulisse, sed in ea urbe per integros septem annos constitisse vult usque ad martyrium. Ex quibus nonnulla ipse primum commentus est, reliqua ab aliis perperam posita ad institutum suum traxit. Nam primo ex Macedonia scriptam vult primam ad Timotheum; et " Epistola ad Titum," inquit, " scripta est circa idem " ferme tempus quo prima ad Timotheum, cum in " Macedoniam rediisset ex Achaia, et in transitu Cretam " adiisset." Ita quidem alii.

V. Nos autem diu postea scriptam fuisse primam ad Timotheum Epistolam asserimus, et tam mature scribi potuisse pernegamus. Verba quidem S. Pauli sunt 1 Tim. i. 3. *Sicut rogavi te permanere Ephesi cum irem in Macedoniam*, quæ sibi favere putant illius sententiæ auctores. Ego vero ex iisdem verbis demonstro, neque illo tempore, neque quovis alio in Actibus denotato Paulum rogasse Timotheum ut Ephesi permaneret, aut ad illum scripsisse hanc Epistolam, in qua hæc verba continentur. Recte Theodorus Beza, " Ter omnino " vidit Macedoniam Paulus, ut ex historiæ filo apparet.

" Quamvis enim non omnia perscripserit Lucas, ita " tamen contextam historiam esse apparet, ut non " plures profectiones in Macedoniam possint constitui." Ad nullam autem harum trium profectionum referri ullo modo possunt illa quæ produximus verba, sive Paulum sive Timotheum, sive Ephesum sive Macedoniam spectemus. S. Paulus primo incidit in Timotheum jam discipulum Lystris, eumque circumcidit, et secum abduxit priusquam ipse Macedoniam viderat. Et cum pervenisset Troadem, in somniis monitus profectus est in Macedoniam, Act. xvi. 9, 10. In hac prima profectione non rogavit Timotheum Paulus ut Ephesi permaneret; ipsum enim secum habuit quamdiu in Macedonia ea vice moratus est, neque vero aut Paulus aut Timotheus Ephesi fuisse ante illud tempus perhibetur. Secunda apostoli profectio ab Epheso et Troade facta est, cum post tumultum Ephesi excitatum, *valedixit discipulis, et profectus est, ut iret in Macedoniam*, Act. xx. 1. cujus profectionis ipse mentionem facit 1 Cor. xv. 5. et 2 Cor. ii. 12. Sed nec in hac secunda profectione Timotheum rogavit Paulus ut Ephesi permaneret; eum enim illuc jam præmiserat, *Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia*, Act. xix. 22. Dedit etiam tunc Timotheo in mandatis, ut peracto in Macedonia negotio perveniret ad Corinthum, 1 Cor. iv. 17. Præterea dum apostolus remansit ad tempus in Asia, scripsit primam ad Corinthios Epistolam, eo ipso tempore quo Timotheus erat adhuc in Macedonia, in qua eum Corinthiis commendat his verbis, *Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos, opus enim Domini operatur, sicut et ego.* Et quoniam apostolus ipse, mutato pro re nata consilio, non primo Corinthum, deinde in Macedoniam,

sed primo in Macedoniam, dein Corinthum proficisci statuerat; in ipsa Macedonia Timotheum Corintho venientem recepit. Neque diu post ex Macedonia scribit secundam ad Corinthios Epistolam, 2 Cor. vii. 5. viii. 1. ix. 2. simul cum Timotheo, 2 Cor. i. 1. Dein ex Macedonia Timotheus secutus est Paulum in Achaiam, eique in Achaia comes fuit, cum scripsit Epistolam ad Romanos, Rom. xvi. 21. et Achaiam simul cum Paulo reliquit. Nihil igitur certius aut exploratius ea observatione esse potest, quæ asserit in secunda profectione in Macedoniam Paulum non rogasse Timotheum ut permaneret Ephesi. Tertia apostoli profectio non ab Epheso aut ex Asia, sed ex Achaia, eaque improvisa et subitanea fuit, propter metum insidiarum quæ factæ sunt tendentibus Hierosolyma. Cum autem institueret tertiam hanc profectionem, seu potius reditum in Macedoniam, *habuit* enim *consilium ut reverteretur per Macedoniam*, Act. xx. 3. non rogavit Timotheum ut permaneret Ephesi. Tunc enim totus erat in collectis tuto Hierosolyma transferendis, et tunc Timotheus eum secutus est, utpote unus eorum quorum curæ concreditæ sunt collectæ, qui cum *præcessissent, Paulum reliquosque præstolabantur Troade,* et Paulus venit ad eos Troadem, unde simul profecti sunt Hierosolyma, ubi invenimus Trophimum nominatim qui Asianus fuit, et cum Timotheo profectus esse dicitur in Asiam. Nec in itinere toto aut annis proxime sequentibus, vel excogitari potest tempus aliquod quo scribi potuit illa Epistola, quæ celerem adventum Pauli ad Timotheum Ephesi permanentem pollicetur, *Hæc tibi scribo sperans me ad te venire cito,* 1 Tim. iii. 14. Et, *Dum venio attende doctrinæ,* iv. 13. Quamobrem pro certo haberi debet, nulla ex his tribus profectionibus Paulum rogasse Timotheum ut Ephesi

permaneret, ac pariter certum est circa illa tempora non fuisse scriptam primam ad Timotheum Epistolam. Unde clare sequitur necessario statuendum esse, Paulum quarto in Macedoniam profectum esse, antequam Epistolam scripsit ad Timotheum. Illa autem quarta profectio institui non potuit nisi post biennalem ejus Romæ custodiam.

VI. " Epistola ad Titum scripta est," inquit, " cum " in Macedoniam rediisset ex Achaia Paulus, et in " transitu Cretam adiisset." Ecce iterum Macedoniam toties vexatam, et nunc etiam productam, ad probandam Epistolæ ad Titum epocham, in qua ne nomen quidem istius regionis extat. Parum hoc est, vult etiam apostolum cum ex Achaia rediit in Macedoniam, in transitu Cretam adiisse. Quis hæc ferre potest, qui Acta Apostolorum et Epistolam ad Titum legit? Erant tunc temporis Paulo sociisque suis concreditæ collectæ[b] ex Achaia; erant tunc illi ex Achaia[c] navigaturo in Syriam paratæ insidiæ, quare redire statuit in Asiam per Macedoniam. An hæc cogitans Paulus navigare voluit in Cretam? et sic in manus insidiatorum se dare? An voluit in Creta evangelium prædicando tempus terere, cum summa festinatione Hierosolyma adire contenderet?[d] Si daremus apostolum in Cretam navigasse, et Titum tunc temporis in ea insula reliquisse, quod nullo modo concedendum est, an cum e Creta rediisset in Macedoniam, ex ea regione ad Titum scriberet, *Cum misero ad te Arteman aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare?* iii. 12. Quomodo enim tunc statueret Nicopoli hyemare, cum jam hyeme finita, Philippis pascha celebraret, et summa festinatione Hierosolyma adire contenderet, ut ibi

[b] 1 Cor. xvi. 1, 2, 4, 5. Act. xxiv. 17.

[c] Act. xx. 3.

[d] Act. xx. 16.

Pentecosten celebraret, et præterea exinde Romam videre maxime concupiverit? Quomodo de mittendo Artema, quem nondum comitem Pauli fuisse legimus, aut etiam de Tychico cogitavit, qui legationis illius pars fuit, et quem Romæ postea comitem apostoli fuisse legimus? Quorsum eo tempore *Zenam jurisperitum*, de quo nihil in Actibus legitur, accerseret? Quorsum Apollo, quem certe Paulus nondum Cretæ reliquerat? Hæc certe consistere non possunt. Sed nec alii multo melius hanc rem explicant. Nam Baronius, qui anno superiori apostolum Cretam petiisse dicit, primo navigationem excogitavit ex Macedonia per Ægæum mare usque ad Cretam, de qua silet Scriptura; deinde Paulum vult Cretæ reliquisse Titum, cum Titus eo tempore, quo apostolus profectus est ex Macedonia in Achaiam, in Pauli contubernio non fuit, utpote ab ipso præmissus ad Corinthios, ut collectas curaret in adventum suum paratas esse, 2 Cor. viii. 6, 16, 17. Scriptam etiam e Græcia vult Epistolam, in qua Titum ut Nicopolim quam citissime se conferret admonuit, ubi hyemare statuit; cum eo tempore in Achaia per tres tantummodo menses substiterit, qui omnes hyberni erant, ut ex historia patet. Ludovicus Capellus cum has opiniones minime ferendas esse perspiceret, aliam sententiam commentus est, his objectionibus minime obnoxiam, sed a veritate maxime alienam. Paulum scilicet in secunda peregrinatione per Asiam, quæ post concilium Hierosolymitanum facta est, navigasse Cretam, atque istic annuntiato evangelio Titum reliquisse, ut ea quæ deessent corrigeret, atque mox ex Creta venisse Derben et Lystram. Nam quis credet Paulum ex Cilicia in Cretam navigasse tam longe dissitam, ut in Lycaoniam perveniret, quæ erat Ciliciæ contermina; quis inquam sine auctore hæc admittet, præsertim cum in MS. Canta-

brigiensi talis fiat connexio, Διελθὼν δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα κατήντησεν εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν, *Cum has regiones* (Syriam et Ciliciam) *pertransisset, pervenit Derben et Lystram?* Act. xvi. 1. Imo quis ei concedet Titum, quem tunc Cretæ relictum esse statuit, in ea peregrinatione Pauli comitem fuisse? Dicit quidem Capellus non semel, Paulum assumtis Sila et Tito Syriam et Ciliciam peragrasse, et citat etiam pro hac sententia Act. xv. 40. ubi hæc tantum legimus, *Paulus vero electo Sila profectus est.* Nimis igitur suo ingenio indulsit, cum, invito S. Luca, et novam navigationem apostolo extra ordinem assignavit, et alium ei comitem sine auctore adjunxit. Revera non est scripta Epistola ad Titum aut ex Achaia, aut ex Macedonia, aut ab Epheso, aut aliunde tam mature ac illi volunt; neque S. Paulus vidit Cretam ante biennalem Romæ custodiam. Post illam igitur Romam reliquit, in Cretam navigavit, ubi Titum reliquit, et ad eum postea non procul a Nicopoli scripsit.

VII. Sed quoniam hæc magni momenti sunt, videndum porro unde probet Salmasius suam sententiam, quam contra omnes tam veteres quam modernos tueri conatur. Pro eo duo dicit, primum, "Quod autem "quibusdam placet Paulum post illud biennium, Lucæ "memoratum, iterum ejus rei petita venia in Græciam "profectum esse, et anno post Romam reversum, id "quam verum sit nescio, nec multum refert." Satis hæc astute. Novit enim plurimos aliter sensisse; ab aliquibus septem, ab aliis plures annos, post biennium Lucæ memoratum, Paulo ante martyrium tributos[e]. Sed Jacobi Capelli sententiam retulit, quæ utrum vera an falsa sit non multum referre ait, adhuc tamen nihil

[e] tribuisse. ed. Dodw.

probat. Secundo propius ad rem ipsam accedit, " Ex " Clemente potius liceat affirmare, ex quo Romam in- " gressus est primum, nunquam postea inde pedem ex- " tulisse." Certe si hoc a Clemente Romano dictum est, licebit Salmasio, imo decebit omnes idem affirmare. Sed verba Clementis de Paulo, quæ ad hoc negotium spectantia adducit, hæc tantum sunt, Ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου· quæ sic interpretatur, " Ad occidentis finem " veniens et sub imperatoribus martyrium passus ita " migravit e mundo." Et tum inquit, " Aperte innuit " non inde decessisse, sed ibi martyrium passum esse " sub Nerone." Quid scripsit Clemens, video; quid innuit, vidit Salmasius, non ego; Davus sum non Œdipus. Certe non " innuit aperte" Paulum Roma nunquam discessisse. Imo quis ista ex hoc loco potest exculpere, in quo neque Roma, neque Nero nominatur; neque Καῖσαρ, neque Αὐτοκράτωρ, neque Αὔγουστος, neque Βασιλεὺς, quibus nominibus uti solebant scriptores Græci, indigitatur? ex quo Paulum, vel Romam, vel Neronem vidisse unquam nullo modo probari potest? Quis crederet virum impendio doctum ex talibus præmissis conclusionem tam enormem deducere potuisse? Hæc sane consequentia tam infirma omnibus necessario apparet, ut plura addere sit in lectoris patientiam nimium peccare.

VIII. Quamvis ea quæ jam diximus sufficere videantur, adhuc tamen apertius et extra omnem controversiam ex Epistola secunda ad Timotheum probatur apostolum Paulum bis Romam venisse, et in ea urbe haud diu ante mortem secunda vincula et severiora passum esse. Nam apostolus eam Epistolam scripsit, ut ex ipsa patet, Romæ, i. 17. et quidem in vinculis quorum ipse mentionem facit i. 8. ii. 9. Scripsit autem

eam ad Timotheum tunc absentem desiderans eum videre, i. 9. Hæc autem vincula multum a prioribus differebant, et in his apostoli conditio maxime dispar fuit. Nam in prioribus vinculis prædicavit in conducto suo *cum omni fiducia sine prohibitione.* Notissima tunc fuit Pauli domus, in qua per biennium habitavit, et *recepit omnes ingredientes ad eum*, Act. xxviii. 30, 31. In secundis vinculis alia statim rerum facies fuit. Tunc enim Onesiphorus, inquit, *cum Romam venisset, solicite me quæsivit et invenit*, i. 17. An opus erat ut Onesiphorus σπουδαιότερον, et cum tanto studio ac solicitudine quæreret Paulum, et ex tam sedula inquisitione inveniret, si apostolus aut in eadem domo, aut cum eadem libertate, et non in arcta et abdita custodia prædicasset? De prioribus vinculis ad Philippenses scribit, ea *manifesta fuisse in prætorio et in cæteris omnibus; ut plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* In posterioribus autem omnes eum comites et συνεργοὶ præter unum dereliquerunt, et in alias regiones transierunt, iv. 10. imo, inquit, *in prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur*, iv. 16. Magnum certe discrimen inter biennalem Pauli custodiam Lucæ memoratam, et hanc quam apostolus in hac Epistola describit; neque hujus disparitatis ulla ratio excogitari posse videtur, quam quod prior ante incendium quod prædiis Tigillini Æmilianis proruperit[f], posterior postea, neutra sub ipso incendio. Præterea magna hic apparet personarum mutatio, dum ad Timotheum absentem scribitur Epistola hæc, qui in biennali custodia Paulo aderat, et cum eo simul tres Epistolas scripsit ad Philippenses, ad Colos-

[f] Tac. Annal. xv. 40.

senses, et ad Philemonem; neque tamen quisquam adhuc Timotheum aut Troade, aut Mileti, aut Hierosolymis, aut Cæsareæ relictum, aut Paulo comitem Romam usque non fuisse conatus est ostendere. Cum hanc Paulus scripsit Epistolam, Demas eum reliquerat, et quidem cum hoc pessimo charactere, *diligens hoc sæculum*, qui in priori custodia fidus apostolo comes fuit, et inter ejus συνεργοὺς salutavit Philemonem. Marcus etiam in secundis vinculis Roma aberat, ideoque Paulus monet Timotheum ut secum Romam afferat, iv. 14. Ille autem in prioribus vinculis apostolo adhæsit, et Philemonem salutavit, 24. Tychicus non, ut alii, reliquerat Paulum, sed ab eo missus fuerat Ephesum, cujus missionis Timotheum certiorem facit, iv. 12. quem bene noverat Timotheus et Paulo in biennali custodia et sibi adfuisse, et tunc Ephesum etiam missum fuisse, cum scripta est Epistola ad Ephesios, vi. 21. et ad Colossenses, iv. 7. Alia igitur et a priori diversa hæc missio fuit. Denique in hac secunda Epistola habet nonnulla Paulus, quæ nisi postquam Roma elapsus fuerat, atque etiam plures provincias et regiones peragraverat, scribi nullo modo ad Timotheum potuerunt. *Erastus*, inquit, *remansit Corinthi*, iv. 20. Quorsum hoc memorasset Timotheo, qui ipsi aderat cum Corinthum ante prima vincula proxime reliquit? Post illa igitur apostolus Corinthi fuit, et postquam Corinthum iterum reliquerat et Romam venit, ubi hæc scripta sunt. Similiter, inquit, *Trophimum reliqui infirmum Mileti.* At cum in itinere Hierosolymitano erat proxime ante prima vincula, non reliquit Trophimum Mileti vel sanum vel ægrotum, sed secum duxit Hierosolyma. Ibi enim Judæi *viderunt Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus*, Act. xxi. 29. Fuit igitur

Mileti Paulus postquam Roma elapsus est. Idem etiam de Troade affirmandum, ubi *reliquit penulam apud Carpum cum libris et membranis.* Ex his et ex iis quæ ante diximus, constat S. Paulum prioribus vinculis solutum Roma exiisse, multas provincias peragrasse, Corinthi, Mileti, Troade fuisse, Nicopoli hyemasse, in Asiam et Macedoniam profectum esse, et in insula Creta prædicasse, et denique Romam reversum esse.

IX. In hac ultima peregrinatione Pauli dicimus eum viros singulares sive speciales presbyteriis a seipso constitutis superimposuisse cum auctoritate atque potestate, quam episcopi horum specialium successores sibi vindicabant. Nam Timotheus presbyteris Ephesinis, quocunque nomine censeantur, superimpositus est, ut eam ecclesiam totam regeret, et presbyteris ejusdem omnibus cum auctoritate sibi demandata præesset, eosque ubi opus erat corriperet, aliosque presbyteros insuper, quos necessarios putavit dignosque repperit, ipse ordinaret. Acceperat Timotheus gratiam Dei per impositionem manuum Pauli, qua instructus ad illud officium rite perficiendum aptus et idoneus extiterat. Accepit etiam ab apostolo admonitiones et præcepta per epistolam, in qua omnes officii illius partes satis explicatæ, et earundem administratio ipsi demandantur. Quod ad rem præsentem attinet, accepit Timotheus ab apostolo auctoritatem exercendi censuras in tota Ecclesia Ephesina, *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant*, v. 2. Eademque auctoritas speciatim ad presbyteros in officio continendos extendebatur. Quæ eo nobis evidentior est, quod cum certa limitatione proponitur, et quasi discriminatur, *Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus vel tribus testibus*, v. 19. Idem etiam de potestate sacros ordines conferendi obser-

vandum est; quæ ideo magis fit conspicua, quia cum cautione traditur, *Manus cito nemini imposueris; neque communicaveris peccatis alienis*, v. 22. Quæ de Timotheo et Epheso, de Tito et Creta dicenda sunt. Apostolus enim circa idem tempus scripsit ad Titum Epistolam, cujus statim initio de potestate sacros ordines conferendi sic eum alloquitur, *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui*, i. 5. Eidem Tito plenam jurisdictionem impertitur veram doctrinam cum summa auctoritate promulgandi, *Hæc loquere et exhortare, hæc argue cum summo imperio; nemo te contemnat*, ii. 15. falsis doctoribus silentium imponendi, *οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, quorum oportet ora obturare*, i. 11. ac denique hæreticos excommunicandi, *hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita*, iii. 10. Hæc de Timotheo et Tito clara sunt; sed de aliis idem affirmare secundum legem Salmasii non possumus; non quod alios etiam alibi paulo ante apostolorum mortem presbyteriis superimpositos fuisse non credamus, sed quod sacra historia eorum temporum defecti sumus. Neque vero fuit hæc mutatio regiminis ab apostolis primo instituti, quam adeo incredibilem esse vult Salmasius, sed tantum ejusdem regiminis adimpletio, qua Ecclesia ab apostolo primum fundata, et ministris sub apostolo administrata, addito tandem singulari et speciali viro, membris suis jam completa, et numeris omnibus absoluta evaderet, itaque post apostolorum mortem eadem forma et eodem vigore per ordinationis continuationem usque ad finem seculi permaneret.

X. Secundo temporum apostolicorum intervallo, a martyrio S. Pauli ad obitum S. Joannis, quod triginta circiter annorum fuit, nullæ Sacræ Literæ exaratæ esse

creduntur, nisi quæ ab ipso Joanne scriptæ extant. Ex eo tamen idem facile demonstratur. S. Joannes in Apocalypsi scribit ad septem angelos septem ecclesiarum in Asia. Nominat urbes septem, in quibus illæ ecclesiæ constitutæ sunt. Vidit Christum *in medio septem candelabrorum, dextra tenentem septem stellas.* Didicit ab eo harum rerum mysterium, scilicet *septem stellas esse angelos septem ecclesiarum, et septem candelabra septem ecclesias.* Unde unumquemque angelum uniuscujusque ecclesiæ separatim alloquitur, et unicuique sua bona, aut mala opera imputat. Hos angelos ecclesiarum dicimus fuisse viros singulares et speciales earum ecclesiarum rectores ; quorum unusquisque suam ecclesiam per aliquot jam annos rexerat, antequam Joanni Revelatio facta est. Presbyterium certe neque quia Seniorum est, neque quia Senatus est, neque propter ætatem, neque propter numerum angelus uspiam dicebatur. Ἀστέρες sunt, non asterismi, illi ecclesiarum angeli : et quidem tales quales eorum successores, qui μεγάλα στοιχεῖα appellabantur ; non *magna elementa*, sed *magna lumina.*

XI. De tertio autem intervallo sententia Salmasii hæc est : " Politia quæ æquales omnes habuit epi-" scopos sive presbyteros, duravit usque ad tempora " Antoninorum, vel usque ad Victorem," hoc est per annos minimum LXXX. " Tunc quasi decreto facto " per totum orbem ea consuetudo immutata est." Ita scilicet interpretatur Hieronymum. Sed mens Hieronymi melius ex ipso discitur, et rei veritas certius ex antiquissimis Patribus, et indubitatis historiæ monumentis colligitur, firmiterque concluditur ante Victoris, imo ante imperii secundi Antonini tempora, singulares et speciales viros ubique ecclesias Dei rexisse. Sub Victore status ecclesiæ ubique diffusæ adeo manifestus

est, ut ad illa usque tempora presbyteria cum summa potestate deducere summæ sit dementiæ: sed et ex ejusdem pontificis historia compertum est, diu ante illius pontificatus tempora in eadem regiminis forma ecclesias constitutas floruisse qua tunc florebant. Nam Polycrates septem consobrinos suos episcopos fuisse, ipsum autem octavum testatur. Erat tunc Irenæus Lugduni episcopus, sed successor Pothini, sub quo etiam presbyter fuerat. Inter cæteras erant etiam literæ episcoporum Ponti, quorum Palmas utpote antiquissimus primo loco positus est. Erat enim ille Amastrianorum episcopus, ad quos scribens sub Sotere Dionysius Corinthius eum eorum episcopum nominatim appellavit. Idem enim regimen ubique tunc floruit, cum Dionysius ille catholicas ad ecclesias scripsit epistolas, in quibus nominatim non tantum Palmæ meminit, sed et Philippi Gortynensium, et Pinyti Cnossiorum, et Quadrati Atheniensium, et Soteris Romanorum episcopi. Ante Dionysium cum peregrinatus est Hegesippus, qui sub Aniceto Romam venit sub imperio primi Antonini, Corinthi episcopus primus fuit, teste ipso Hegesippo, qui etiam scribit se, cum Romam proficisceretur, quamplurimos episcopos adiisse.

XII. Locus Hieronymi, quem pro fundo habent novatores, jam explicandus est [d]. . . . . .

[d] Id sibi voluit Hieronymus, in Epist. ad Tit. cap. i. "ante" quam studia in religione fie" rent, communi presbyterorum " consilio ecclesias fuisse guber" natas;" ea vero studia cum " diaboli instinctu" evenirent, ita tandem " toto orbe fuisse decre" tum, ut unus de presbyteris " electus superponeretur cæteris, " ad quem omnis ecclesiæ cura " pertineret, et schismatum initia " tollerentur." Quæ certe non de temporibus Victoris, sed de primis partium studiis, de ipsis illis quorum meminit in priori ad Corinthios Epistola S. Paulus, omnino sunt intelligenda. Occursum ait ipsis schismatum "initiis," cum tamen multa in Ecclesia schismata Victoris tempora præcesserint, non modo illud de quo agimus Corinthiorum sub S. Paulo, sed et aliud

brevi consecutum de quo scripsit ad eosdem Corinthios S. Clemens, sed alia illa hæreticorum sub Trajano, Hadriano, utroque Antonino, e latebris prodeuntium, inimicitiamque jam manifestam profitentium; ne jam schismata illa memorem quorum occasione scripsit Ignatius, quæ esset pro suspectis habiturus forte Salmasius; ne et alia illa quæ cavenda monet Barnabas atque Justinus. Male "schismatum initia" sublata dixisset Hieronymus, si tanti schismatum progressus fuissent impune neglecti. Sed vero Paulinos illos schismaticos disertissime feriunt verba ipsa Hieronymi. De illis enim loquitur schismaticis qui dicerent, *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ.* De illis, inquam, qui "quos baptizaverant suos esse "putarent, non Christi." Non phraseologiam modo Paulinam imitatus est, ut existimat Blondellus, sed causam ipsam illorum schismaticorum designavit, verbis, quibus potuit, expressissimis. Nec enim alios legimus recentiores illis temporibus schismaticos, qui schismati suo baptismi vel prætextum obtenderent. Nullos certe quos ob oculos habere potuerit Hieronymus. Proinde nihil est unde colligant adversarii aliter sensisse Hieronymum, quam sensit auctor noster de præfectis, primo etiam intervallo, illo quod S. Pauli martyrium præcesserat, episcopis. Quin potius idem sensisse oportuit, si sibi saltem constare velint Hieronymum. Semper enim ille episcopos agnoscit apostolorum successores, non certe agniturus, si tanto ab apostolorum excessu intervallo præfecturam ab episcopis arreptam credidisset. Semper ille receptos successionis catalogos sine ulla hæsitatione sequitur, qui tamen catalogi non alios complectebantur quam singulares presbyterorum præfectos. Semper eodem ab apostolis loco episcopos numerat quo in illis catalogis numeratos repererat, ut proinde primos catalogorum decessores ab ipsis numerarit apostolis. Sic ille in chronicis, sic in scriptoribus ecclesiasticis, sic et in aliis locis, quotiescunque daretur occasio. Nec vero alia illis temporibus auctoritas esse potuit quæ singulis in toto orbe presbyteriis episcopos imponeret præterquam apostolorum, cum non aliæ ex aliarum nutu penderent ecclesiæ, sed vero essent singulæ, pro sua quæque ditione, absolutissimæ, ab eo certe longissimæ ut in unam de re adiaphora sententiam, et quidem brevi tempore, conspirarent. DODWELL.

Hæc ille Pearsoni amicus, satis hactenus ad mentem Pearsoni: Vid. Vind. Ignat. p. ii. c. xiii. p. i. c. xi. ubi bis agitur affatim de testimonio Hieronymi. Nos igitur, quæ plura huc congesserat Dodwellus, breviter enumeranda potius quam recudenda curavimus, ne lectori fastidium moveant, cum in eodem argumento alias se explicuit Pearsonus. 1°. Ambrosiastri sententiam attulerat ex Comment. in Eph. iv. ubi ait ille, "prospexisse Concilium, ut "non ordo sed meritum crearet "episcopum." Concilium intelligit Dodwellus appellari provincialium episcoporum collegium, ad quos, ex Canone Nicæno iv., spectabat ordinatio singulorum in sua provincia

episcoporum: nihil certe hic de paritate ministrorum, sive cœtu presbyterii. De Ambrosiastri sententia agit, ubi de Hieronymo, Pearsonus, Vind. Ign. P. ii. c. xiii. Ejusdem hunc locum attingit infra in Dissert. ii. c. iv. 1. 2°. Disputationem cum Salmasio inierat Dodwellus de testimoniis S. Polycarpi, Irenæi, et Epiphanii. Quæ omnia ibidem in Vind. Ign. expenduntur a Pearsono. 3°. Cum Salmasius ad Epistolas Pii I P. R. quæ feruntur, provocasset, causam suam antiquissimis testibus, si posset, roboraturus, responderat Dodwellus, commentitias esse istas epistolas; sin minus, nihil inde profici ad causam presbyterianam. Commentitias pronunciat etiam Pearsonus, ibid. in Vind. Ign. et mox in Dissert. ii. c. xi. 2.

Nescio an operæ pretium præstiturus sim lectori, si pauca de hac controversia in mentem revocavero. De minimis enim non curat theologiæ lex critica; et epistolæ illæ sunt adeo minutæ, adeo inefficaces ad argumentum aliquod confirmandum, ut nemini curæ esse oporteat, in utram partem statuerit vel Baronius vel Blondellus. Et Baronius quidem, ut decet Ultramontanorum patriarcham, "germanas atque legi-"timas" appellat, et "simpli-"cissimum antiquitatis cando-"rem," quem præferunt, impense admiratur. Blondellus vero, quum prius nullum lapidem non movisset, quo ex scriptis manifestum falsarium argueret, postea, et modo et stylo verso, quod repertus esset ille Pius dixisse coepiscopo Justo suo, "presby-"teri *non ut majorem*, sed ut "ministrum Christi te obser-"vent," statim genuina omnia amplexus, veterem pontificem in ordinem presbyterii coactum amicissime salutat.

Nactus est Pius, quisquis ille fuerit, propugnatorem inter recentiores non indoctum, Justum Fontaninum, in Hist. Literar. Aquileiens. lib. ii. c. 4; cujus argumenta exhibet Gottfr. Lumper. in Hist. Theol. Crit. ii. 384. sqq. Legenti autem sine partium studio serioris ævi manus se prodit; quod nulla idonea causa appareat cur omnino scripserit Pius, nullo ejus consilio flagitato, nullo rerum motu urgente, nullo nuntio de Justo isto Viennensi accepto; et epistolæ ejusmodi sint, quas ex locis communibus theologicis, et prioris seculi paucis quibusdam monumentis, sophista quivis potuisset conficere. "Missas agi" in seculo secundo, imo tertio, nemo alius meminit. Et sane istud compositum, quo dicitur "Cerinthus Satanæ *pri-*"*marches*," Dunstani nostri *archipontificis* genio et ævo potius, quam Pio Romano in medio Latio et florente imperio, arbitror congruere.

Quod vero post Blondellum Dodwellus objecerat de "Sena-"toria urbe Viennensi," re non satis explorata dictum. Ratio erat, quod "in Coloniis non se-"natum, sed decuriones atque "duumviros præfuisse, veteres "inscriptiones manifestum fa-"ciunt." Parum quidem valent quæ de senatu Viennensi post dissolutionem imperii affert Fontaninus ex Avito, Gregorio Turonensi, et aliis seriorum temporum scriptoribus: sed illustre est monumentum de senatorio jure jam ante A. D. 48. Galliæ Narbo-

nensis urbibus et imprimis Coloniæ Viennensi concesso. Vid. Orationem Imp. Claudii apud Gruterum, p. 502. et. in Gab. Brotier. Nott. ad Tac. Annal. xi. 24.

Epistolas Papæ Victoris, quas "ejusdem farinæ" esse ait alias Pearsonus, et hic damnaverat Dodwellus, jam communi eruditorum suffragio inter spuria relegatas, nihil opus est attingere. Nec alias quæstiones minus ad rem spectantes, quas Dodwellus immiscuerat; qui cum ait, nullam Paulinarum epistolarum chronologiam veteribus fuisse notam vel servatam, Chrysostomo et aliis iniquus est; cum interpretatur Clementis Romani *ἀπαρχὰς*, c. 42. de discipulis qui priores ordine temporis in ecclesiam recepti essent, — "quo quisque "prior, eo sanctior,"—nimis argutatur in voce. Redeamus ad Pearsonum.

CAP. X.

I. Pontificum Romanorum successiones descripsit, ante Eusebium anonymus qui scripsit sub Severo.—II. Eusebius in temporibus pontificum Romanorum disponendis nullum habuit auctorem.—III. Multis id exemplis evincitur. De temporibus Xysti.—IV. Dionysium Romanum cum Dionysio Alexandrino aliquot annis sedem tenuisse necesse est.—V. Diu etiam ante synodum illam Antiochenam quæ Samosatenum deposuit.—VI. Successit Romæ Dionysius Gallieni sexto, Antiochiæ Paulus ejusdem Gallieni octavo.—VII. Synodus Antiochena in Paulum Samosatenum unica. Ea anno Gallieni undecimo primum congregata est, duodecimo Dionysium Alexandrinum invitavit, decimo tertio Gallieni, Christi CCLXVI. deposito Paulo Domnum suffecit.—VIII. Dionysius Romanus mortuus A.D. CCLXIX. Defenditur tempus synodi Antiochenæ ab auctore designatum.—IX. Eusebii in reliquorum ad Caium usque succedentium pontificum temporibus errores.—X. Non fuit alius a Marcellino Marcellus Romanæ urbis episcopus.—XI. * *

I. POSTQUAM de successionibus episcoporum, earumque vi et natura, atque utraque origine sententiam nostram explicuimus, et earundem auctoritatem ex mente sanctorum Patrum vindicavimus; tempus est ut ad ipsarum catalogos cum suis temporibus cuique episcopo assignatis, quæ hactenus obtinuerunt, perveniamus. Ac primo ad eum Romanæ successionis catalogum, qui ab Eusebio omnium primo cum certis annorum intervallis traditus est. Quippe ab antiquiori incepturum me promisi ipso secundi capitis initio; cujus promissi memor, post tot interposita non inutilia, uti spero, capita, ad pensum chronologicum me accingo,

et ad Eusebium tanquam primum examini nostro subjiciendum progredior. Non quod Eusebius revera primus sit qui tempora pontificum Romanorum descripsit, sed quod inter scriptores qui nunc extant primatum teneat. Erat enim quidam anonymus, qui sub extremis Alexandri imperatoris temporibus floruit, Africano coævus, quique circa an. Dom. CCXXXVI. libellum scripsit, de divisionibus et generationibus gentium, cui inseruerat episcoporum Romanorum successionem, cum annis quibus unusquisque sedit; ut patet ex indiculo illius operis præfationi præmisso, in Nova Bibliotheca MSS. librorum a Labbeo edita, cujus hoc ultimum lemma fuit, " Nomina episcoporum Romæ, " et quis quot annis præfuit." Sed hoc ipsum opusculum desideratur, et fortasse ideo a librariis omissum est, quod ab Eusebiano Chronico, cui adhærebant, magnopere discrepabat.

II. Inter ea, quæ Eusebio in Historia Ecclesiastica tradere propositum fuit, primum ac præcipuum locum tenebant hæ episcoporum successiones. In hujus operis argumento τὰς τῶν ἱερῶν ἀποστόλων διαδοχὰς primo loco proponit, et in fine libri vii. concludit τὴν τῶν διαδόχων ὑπόθεσιν, " successorum argumentum." Sint igitur istæ successiones episcoporum quæ in Historia et Chronico Eusebii recensentur, maximi faciendæ, utpote omnium vetustissimæ ac certissimæ, ut fert Valesii sententia; certe cum eorum tempora chronologice disponit Eusebius, anni eorum pro certissimis haberi non debent. Constat enim Eusebium non ex archivis Ecclesiæ Romanæ pontificum tempora hausisse, nec ex aliquo alio scripto, quod ullam certitudinem temporum præ se ferret; nam alios in Chronico prius scripto, alios postea in Historia episcopis Romanis annos sæpe tribuit; et, ut nunc de prioribus episcopis nihil dicam, de quibus

in secunda dissertatione singulatim et copiose disputabimus, aut de iis etiam de quibus in Annalibus Cyprianicis disseruimus; in posterioribus quoque et suæ ætati proximis, quæ prioribus notiora fuerunt, manifesto lapsus est, etiam tum cum depositio episcoporum Romæ erat conservata. Quod si appareat Eusebium in temporibus eorum, qui suæ ætati propiores erant, referendis, nullum certum indiculum habuisse, quem sequeretur; nemo, opinor, contendet ei certa magis et explorata fuisse priorum pontificum tempora a suis longe remotiora; quod satis est ad secundam dissertationem nostram ab omni temeritatis nota vindicandam, cum a sententia tanti viri et de ecclesia optime meriti sæpius cogar recedere.

III. In Chronico Eusebii ad annum Valeriani primum vel secundum hæc legimus: "Romanæ Ecclesiæ episco-" patum tenet vigesimus tertius Xystus annis VIII." Et ad Gallieni decimum vel undecimum: "Alexandrinæ " Ecclesiæ vigesimus quartus episcopus ordinatur " Maximus." Ad ejusdem undecimum vel duodecimum: " Romanæ Ecclesiæ vicesimus quartus episcopus con-" stituitur Dionysius annis IX. vel XII." Et rursus sub initio imperii Probi: " Romanæ Ecclesiæ episcopatum " suscipit vigesimus quintus Felix." Duobus igitur Romanis episcopis Xysto et Dionysio simul sumptis annos tribuit supra viginti. Qui quidem immanis parachronismus est. Ac ne forte error in editionem Chronici irrepsisse videatur, idem etiam haud minor, sed potius major apparet in Historia. Illic enim l. vii. c. 27. Pontificatui Xysti tribuit annos undecim[a]. Neque mirum; nam quem ordinatum esse docuit sub

[a] " Pontificatui Xysti annos " undecim assignat, cum menses " totidem potius tribuendi essent," Pearsonus ait, in Annal. Cyprian. Ann. cclviii. §. 5. Ubi plura ad Xysti historiam spectantia.

initio Valeriani Chronicon, eundem sub Gallo ordinatum esse narrat Historia. Primo igitur ingens error ubique committitur in pontificatu Xysti, sive initium sive finem ejus spectes. Nam si sub Gallo ordinatus est Xystus, successit Lucio, et Stephanus Papa nunquam fuit; si sub primo vel secundo Gallieni, error adhuc manet, qui et alium in Chronico sibi adjunxit. Nam inde in eo legimus ad annum Valeriani secundum: "Cyprianus "Carthaginiensis episcopus martyrio coronatur." Qui manifestus est aliquot annorum prochronismus: si Cyprianus vel proximo, vel eodem anno quo ordinatus est Xystus, martyrium subiit, quod verum est; initium Xysti multo maturius quam oportuit ab Eusebio ponitur. Unde constat eum non habuisse certum aliquem Romanorum episcoporum catalogum; quod ad annos Cornelii, Lucii, Stephani, et Xysti pertinet. Sed majorem multo ἀνιστορησίαν exhibet finis pontificatus Xysti, quam initium. Post Xysti martyrium sane gloriosum, Dionysius Romanus presbyter ordinatus est episcopus. At hunc ordinatum esse anno postquam Maximus in locum Dionysii Alexandrini ordinatus fuerat, statuit Chronicon, ut diximus. Quo errore nihil potest esse apertius. Multa enim in Historia tum apud alios, tum apud ipsum Eusebium inter Dionysium Alexandrinum, et hunc Dionysium Romanum, Xysti jam successorem constitutum, negotia transacta memorantur. Non igitur vixit Xystus post mortem Dionysii Alexandrini, neque Dionysius Romanus, anno post ordinationem Maximi, episcopatum suscepit.

IV. Eusebius quidem in Historia videtur Chronicon suum aliquatenus correxisse, dum tradit Dionysium Romanum duodecimo Gallieni anno ordinatum, Alexandrinum eodem anno mortuum esse. Sed nec unius anni spatio comprehendi possunt ea, quæ Dionysius

Alexandrinus cum cognomine Romæ episcopo commercia habuisse noscitur. Inter Dionysii Alexandrini opera ab Hieronymo in Catalogo recensentur, " Quatuor " libri ad Dionysium Romanæ urbis episcopum ;" quos recenset etiam Eusebius lib. vii. cap. 26. tacito " epi- " scopi" vocabulo, quod tamen subintelligendum esse docet nos S. Athanasius: quod ita intelligo, ut unus ad Dionysium Romanæ urbis adhuc presbyterum, tres reliqui ad eundem jam episcopum scripti fuerint. Hi quatuor libri, sive epistolæ, ad Dionysium Romanum episcopum, non ab auctore jamjam morituro scripti sunt. At Alexandrinus ille invitatus ad synodum Antiochenam se per epistolam excusavit propter senectutem et infirmitatem corporis. Unde Hieronymus de eo in Catalogo; " Sed adversus Paulum Samosatenum, ante paucos dies " quam moreretur, insignis ejus fertur Epistola." Neque vero unius anni erat istud negotium, quod ab eo extorsit quatuor illos, vel ad minimum tres, libros ad episcopum Romanum scriptos, ut ex illa historia constat, quæ ab Athanasio tum in libro de Synodis, tum de sententia Dionysii narratur, et a Baronio et Binio perperam explicatur. Binius ad auctoritatem pontificis omnia trahens, inquit, " Pontifex, episcoporum conventu " indicto, Dionysium Alexandrinum ad Concilium citat," quæ citatio nunquam facta est: præterea, " quid sentiat " scripto profiteri mandat," quod mandatum etiam pariter falsum est. Baronius ex Athanasio, Dionysium Alexandrinum scripsisse librum de Duplici Hæresi, quod factum est a Dionysio Romano; scribit etiam Dionysium Alexandrinum postulavisse a Romano præsule, ut objecta sibi indicaret; quod aperte falsum est. Sed Baronius, ut solet, deceptus est mala Athanasii versione, quam qui edidit, Græca non intellexit, prava lectione seductus. Vox enim illa *δηλῶσαι*, quæ etiamnum apud

Athanasium in libro de Sententia Dionysii legitur, corrupta est, et legendum *δηλώσας*[b].

V. Nuda historia hæc est: cum Dionysius Alexandrinus ad supprimendam Sabellii hæresin in Pentapoli grassantem scripsisset Epistolam ad Ammonium et Euphranorem, in qua multa congesserat de humana natura Christi, de divina nihil dixerat; ipsi catholici Pentapolitani, qui a Sabellii doctrina satis abhorrebant, inconsulto Dionysio suo, Romam profecti ad Dionysium illius urbis episcopum, et de suo Dionysio conquesti sunt, eumque accusarunt, quod diceret Filium *ποίημα*, "opus" vel "facturam" esse, eumque Patri consubstantialem non agnosceret. Romanus episcopus, his auditis, synodum Romæ convocat, quæ rem compertam indigne tulit; et sententiam suam tum contra Sabellium, tum contra omnes, qui verbum Dei dicerent *κτίσμα καὶ ποίημα*, protulit. De quo argumento scripsit Dionysius Romanus, et sententiam synodi per literas Dionysio Alexandrino communicat, et significat, quæ illi objecta a fratribus suis Ægyptiis fuerant. Statim igitur de his ab episcopo Romano Dionysio certior factus, ad eum scripsit epistolam sub titulo *ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας*, "refutationis" accusatorum, et "apologiæ" pro epistola sua. Quibus epistolis obtinuit ut fides ejus pro orthodoxa haberetur[c]. Hæc fieri nullo modo potuerunt; ut nempe fratres ex Pentapoli primo cognoscerent Dionysium Romæ fuisse episcopum, et ad eum ascenderent et episcopum suum accusarent, et Romanus episcopus synodum episcoporum convocaret,

[b] Athanas. De Sentent. Dionysii. *ἐπέστειλε δὲ*, scil. *ἐπίσκοπος Ῥώμης, Διονυσίῳ δηλῶσαι* (Pearsonus *δηλώσας*) *περὶ ὧν εἰρήκασι κατ' αὐτοῦ*. Ubi videas pravam hanc lectionem interpretes mire torsisse.

[c] Vid. Bulli Defens. Fid. Nicæn. sect. ii. c. xi. 3. sqq. "Hæc "fieri non potuerunt," ait Pearsonus, sc. unius anni spatio.

ejusque sententiam exploraret, eamque Alexandrino episcopo patefaceret, et tres epistolas tanti momenti, tamque prolixas, ut excerpta et observationes Athanasii demonstrant, extorqueret, unde Alexandrini antistitis fides etiam approbaretur; adeo ut postea ab episcopis Orientalibus invitaretur ad synodum Antiochenam. Quod factum non fuisset, nisi omnibus jamdiu notum esset fidem ejus de divina Christi natura sanam et pro orthodoxa habitam fuisse. Perperam igitur Baronius ex Athanasio colligit utrumque Dionysium contra Pauli impietates insurrexisse an. Dom. CCLXV. et multo adhuc pejus Petavius ex eodem statuit an. Dom. CCLXX. a Dionysio papa synodum super Pauli hæresi celebratam esse.

VI. Et quidem diu ante illam synodum hæc transacta fuisse diserte testatur Athanasius, cujus hæc verba sunt libro de Synodis, *Διονύσιοι γὰρ δύο γεγόνασιν ἔμπροσθεν πολὺ τῶν ἑβδομήκοντα τῶν καθελόντων τὸν Σαμοσατέα, τούτων ὁ μὲν τῆς Ῥώμης, ὁ δὲ τῆς Ἀλεξανδρείας ἦν ἐπίσκοπος·* " Duo enim Dionysii diu ante eos " septuaginta fuere, qui Samosatensem sustulerunt, " quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præsul erat." Non breve igitur temporis spatium inter synodum Romanam a Dionysio Romano coactam in causa Dionysii Alexandrini, et synodum Antiochenam in causa Samosateni, cujus initio mortuus est Dionysius Alexandrinus, intercessit. Quod annos Xysto tributos ab Eusebio clare refutat. Ille enim in Chronico Dionysium Romæ primo Gallieni XI. episcopum statuit, in Historia potius XII. At in eodem Chronico ad annum Gallieni XIII. " Paulus Samosatenus a cunc- " torum prædicatione desciscens, Artemonis hæresin " suscitavit. In cujus locum Antiochenæ ecclesiæ XVI. " ordinatur episcopus Domnus." Jam si Domnus

Pauli loco constitutus est XIII. vel XIV. anno Gallieni, diu ante eos LXX. episcopos Orientales non potuit esse Dionysius Romæ episcopos, nisi Eusebii chronologia penitus rejiciatur, et ad certissimam de martyrio Xysti historiam redeamus. Et hujus quidem erroris correctio ex ipso Eusebio recte colligi posse videtur. Nam in Historia, in qua maxime rerum gestarum connexionem complectitur, lib. vii. cap. 27. hæc habet, Ξύστον τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἔτεσιν ἕνδεκα προστάντα διαδέχεται τῷ κατ' Ἀλεξάνδρειαν ὁμώνυμος Διονύσιος. ἐν τούτῳ δὲ καὶ Δημητριανοῦ κατ' Ἀντιόχειαν τὸν βίον μεταλλάξαντος, τὴν ἐπισκοπὴν Παῦλος ὁ ἐκ Σαμοσάτων παραλαμβάνει· "Cum "igitur Xystus undecim annis ecclesiæ Romanæ præ- "fuisset, in ejus locum successit Dionysius, Alexan- "drino illi cognominis. Sub idem tempus defuncto "Antiochiæ Demetriano, Paulus Samosatenus episco- "patum suscepit;" hoc est, circa idem tempus, quo Xysto successit Dionysius Romæ, Paulus Demetriano successit Antiochiæ. At Paulus Demetriano successit Gallieni septimo, ut refert ipse Eusebius in Chronico. Vel igitur eo anno, vel priori potius, ordinatus est Romæ Dionysius. Sublatus est Xystus Gallieni quinto exeunte, sub persecutione Valeriani; sublatus est Demetrianus Gallieni sexto, sub eodem Valeriano; Gallieni sexto substituitur Dionysius Romæ, Paulus Antiochiæ octavo.

VII. Cum Xysti pontificatui tot annos male tribuisset Eusebius, etiam quod necessario sequebatur, Dionysii pontificatum justo longius extendit; novem scilicit a XII. Gallieni annos Dionysio tribuit aut duodecim: neque ei successisse Felicem tradit nisi post mortem Aureliani imperatoris. Unde natus error maxime vulgaris de duobus conciliis Antiochensibus, et de condemnatione Pauli non ante primum Aureliani

annum facta, aut secundum, quam factam esse, sedente adhuc Romæ Dionysio, constat. Si enim Felix non successit Dionysio ante mortem Aureliani, ad quemlibet Aureliani annum Pauli condemnatio poterit referri. Sed quamvis Eusebius pontificum Romanorum tempora male disposuerit, et deorsum justo longius extenderit, et sequaces in errorem duxerit, vera tamen historia illius Concilii, semota horum pontificatuum prava dispositione, cum aliunde, tum ex ipso Eusebio, erui potest. Ostendimus ex historia Eusebii recte intellecta Paulum Samosatenum VII. anno Gallieni episcopum Antiochiæ creatum esse. Ubi cum aliquandiu sedisset, lapsus est in Artemonis hæresin, eamque tandem publice docuit. Ad quam reprimendam episcopi Orientales anno Gallieni undecimo excitati sunt et Antiochiæ congregati. Ineunte anno XII. invitarunt Dionysium Alexandrinum ad Concilium, qui se excusavit senectutem et imbecillitatem corporis causatus. Scripsit autem suam sententiam de hæresi Pauli, eamque ad Concilium misit; et non multo post mortuus est, eodem anno Gallieni duodecimo exeunte. Anno XIII. Paulus a synodo condemnatus est. Hæc ego non tantum vera esse contendo, sed etiam ex Eusebii Chronico confirmo. Hæc enim ille ad annum Gallieni XIII. " Paulus Samosatenus a cunctorum prædi-
" catione desciscens Artemonis hæresin suscitavit. In
" cujus locum Antiochenæ ecclesiæ XVI. ordinatur epi-
" scopus Domnus." Quem locum sic explicandum puto, non quod tunc Paulus hæreticus esse cœperit, aut concilium adversus eum primo coactum fuerit; sed eo anno propter hæresin a synodo condemnatus sit, et Domnus ejus loco episcopus Antiochiæ ordinatus an. Dom. CCLXVI. Sed, " Mendax," inquit Baronius, " omnino Eusebii Chronicon reperitur, in quo ponitur

" anno XIII. Gallieni Pauli Samosateni damnatio atque " Domni suffectio." Unde hoc illi mendacium patefactum est? " Quod ex dicta," inquit, " synodica sub " Aureliano imperatore factam constat." At unde constat dictam illam synodicam, quæ apud Eusebium extat, ad Dionysium Romæ episcopum scriptam, sub Aureliano imperatore exaratam esse? Imo scripta est ad Dionysium Romanum qui X. mensibus ante initium imperii Aureliani, ut jam omnes fatentur, mortuus est [d].

VIII. In summa, Antiocheni Patres, damnato Paulo, et substituto Domno, epistolam synodicam scripserunt ad Dionysium et Maximum; ad Maximum scilicet anno uno vel altero post obitum Dionysii Alexandrini decessoris sui; ad Dionysium Romanum triennio ante mortem ipsius, quæ contigit an. Dom. CCLXIX. ut in antiquissimo catalogo traditur, non CCLXXII. ut Baronius pro arbitrio statuit. Qui ab anno CCLXXII. ad annum CCLXX. revocant, et sub imperio Claudii collocant, fateri coguntur epistolam illam synodicam scriptam fuisse ad Dionysium Romanum post ipsius mortem, sed concilio Antiocheno cum scriberetur adhuc incognitam. Verum nimis hæc subtilia, ideoque inania, sunt. Argumentum pro hac sententia Valesius nimis infirmum affert. Libellus Cleri propositus est consulatu Theodosii XIII. et Valentiniani (anno CCCCXXX.) anno antequam synodus in urbe Epheso congregaretur. " Ab eo igitur consulatu," inquit, " si retro numeres " annos CLX. solidos, incides in consulatum Claudii et " Paterni" (dicere voluit aut certe debuit, Antiochiani

[d] Videtur Baronius verba *καθ' ὃν*, Euseb. vii. 29. init. retulisse ad Aurelianum, cujus proxime facta mentio; cum potius subaudiri oporteat *καιρὸν*, quo modo loqui solet, ut Valesius observavit, Eusebius. Vid. Annal. tom. ii. p. 659. sqq.

et Orfiti) " qui est annus Christi CCLXX. Proinde syn-
" odus Antiochena in qua damnatus est Paulus,
" convenit Claudio et Paterno coss. anno Christi
" CCLXX." (dicere voluit, ut oportuit, CCLXIX.) Argumentum hoc, inquam, nimis infirmum est. Primo, constat libellum illum an. Dom. CCCCXXX. scriptum esse. Ante concilium quidem scriptus est libellus ille, sive contestatio, non a clero sed ab Eusebio laico ad clerum. Non autem uno tantum anno ante synodum Ephesinam, sed triennio, publicata est illa contestatio, ab ipso scilicet exordio hæreseos Nestorianæ. Illius autem exordium satis notum est ex Apologia Cyrilli ad Theodosium sub finem anni CCCCXXXI. exarata, quod etiam aliunde colligitur. Ipso igitur anno CCCCXXVIII. Felice et Tauro coss. scripta est contestatio. Jam si retro numeres annos CLX. solidos, incides in consulatum Paterni et Maximiniani; an. Dom. CCLXVIII. Secundo, numerus ille CLX. in contestatione positus, cum sit rotundus, non statim pro exacto habendus est; et qui ante annos CLXII. condemnatus est, ante annos CLX. et vere, et satis commode, et secundum loquendi modum non infrequentem accepisse condemnationem dici potest. Jam si retro numeres CLXII. annos solidos, pervenies ad an. Dom. CCLXVI. et consulatum Gallieni et Sabinilli, quo anno dicimus Paulum Samosatenum a synodo Antiochena condemnatum esse, ante Aureliani, imo ante Claudii imperium, vivo et valente Dionysio Romano. Quæ addunt ex Hermanno Contracto, aut etiam Methodio episcopo apud Marianum, nimis sera sunt. Illud solummodo obiter dico, hæc omnia effugia ex inveterata, sed falsissima, opinione fluxisse, quæ statuit duo fuisse Antiochiæ de Paulo Samosateno concilia, vel sex, vel quinque, vel ad minimum quatuor annis distincta, quæ

cum sit ex falsis principiis deducta, nullo modo admittenda est [e].

IX. Cum hæc tam perturbate atque confuse tradidisset Eusebius de annis Xysti, Dionysii, et Felicis Romæ episcoporum; ad annum Probi imperatoris quintum in Chronico ait, "Romanæ ecclesiæ episcopatum "suscipit vicesimus sextus Eutychianus mensibus octo. "Post quem Gaius annis quindecim." Et rursus in Historiæ lib. vii. cap. 32. "Felici Eutychianus succedit, "qui vix decem mensibus transactis Gaio, qui nostra "ætate vixit, sedem suam relinquit." Hæc autem aperte demonstrant Eusebium non habuisse ante oculos scriptum aliquod verum de annis unicuique Romæ episcopo tribuendis. Nam Eutychianum octo tantum vel novem mensibus sedisse affirmat, Gaium annis dein quindecim. Ubi Eutychiano eos annos dempsit, quos ante Xysto male adjecerat. Idque tandem necessario ab eo factum esse constat, cum perveniret ad pontificatum Gaii, sive Caii, explicandum, quem ipse agnoscit sua ætate ecclesiam Romanam rexisse. Et erat sine dubio Eusebius ipse triginta annos natus ante obitum

[e] Multum discordant eruditorum judicia de hac Synodo. "Plures diversis temporibus syn-"odos coactas," ex Eusebio colligit Valesius. Dodwellus in Dissert. Singulari huic operi olim subjuncta, "Tantum absum," ait, "a viri maximi sententia, "qui unicam agnoscit in causa "Samosateni synodum, ut tres "etiam agnoscendas existimem." c. vi. 18. Duas agnoscit Bullus, Jud. Eccl. Cath. c. iii. 7. duas facit Baronius, duas Caveus, Florius, et alii complures. Attamen qui Eusebii narrationem in Historia cum Chronico ejusdem contulerit, nihil inveniet quod minus probabilem reddat sententiam Pearsoni, si modo credere liceat non una vel altera sessione rem ad finem perductam, sed hæretico illo moras nectente, quod ex Eusebio discitur, temporis factum dispendium. Annorum intervallum inter duas synodos ex Eusebio invito videtur primus extudisse Baronius. Pearsoni mentem male repræsentat nuperus Eusebii editor, cum ait eum "studuisse probare, posteriorem "synodum habitam esse anno "270." Non perlegerat, opinor, quæ habentur in textu.

Caii, si modo verum sit quod ipse voluit, nempe eum vixisse usque ad annum Diocletiani duodecimum. De quo minime dubitandum est, cum vetustissimus Catalogus eodem anno Caium mortuum esse tradat, Diocletiano VI. et Constantio II. coss. Unde apparet vanitas eorum quæ a secundo Catalogi auctore adduntur Actis Caii: " Hic fugit persecutionem Diocletiani in " cryptis habitans et confessor quievit." Quæ sic postea in Libro Pontificali interpolata leguntur: " Hic fugiens " persecutionem Diocletiani confessor quievit martyrio " coronatus post annos octo."

X. Expectabunt fortasse nonnulli, ut Eusebium etiam in proximis duobus episcopis Romanis describendis pariter errasse demonstrem, quod Marcellini quidem meminerit, Marcellum autem ejus in episcopatu successorem prorsus omiserit. Hujus enim erroris eum manifeste reum esse volunt Romani chronologi, graviterque et frequenter exagitant; ego non item. Fateor apud antiquissimum Catalogum Marcellinum et Marcellum, tanquam duos et distinctos antistites nominari, et utrique annos consulatus diversos assignari. Fateor etiam Marcellum inter Marcellini clericos ab Augustino numerari. Non tamen asserere velim Marcellum unquam in Petri cathedra sedisse. Nam licet auctori vetusti illius catalogi multum, uti par est, tribuo, ejus tamen auctoritati minime acquiescendum puto, ubi sibi ipsi contradicit. In illis autem quæ de his episcopis et sequentibus in eo catalogo nunc extant, manifestam contradictionem videor mihi deprehendisse, de qua alibi potius agendum. Hic autem ea tantummodo addam quæ ad ferendum de chronologicis et historicis Eusebii judicium maxime necessaria videntur.

XI. D. Blondellus in Apologia, sectione ii. §. 19. tradit Chronicon desiisse an. Dom. CCCXXVI. Historiam

scriptam esse anno CCCXXX. circiter, immani metachronismo [f]. . . . . .

[f] Dodwellus, additiuncula sua, quam nos omisimus, pauca sane de Blondello, sed plura congesserat ut probaret Eusebio parum cognitas fuisse res imperii occidentalis, et ecclesiasticos scriptores Latinos. Putaverat enim Pearsono propositum fuisse fidem Eusebii tam in Historia quam in Chronologia elevare. Quod non placet; cum noster supra tantum statuit, "successiones episcoporum in Chronico et Historia maximi faciendas, utpote omnium vetustissimas ac certissimas; tempora vero et annos pro certissimis haberi non debere." In scriptoribus Latinis minus versatum fuisse Eusebium non negamus, et ab aliis observatum est. Inde temporum et annorum, quibus episcopi occidentales successerint, notitia aliquando ei defuit; successionum et rerum memorabilium non item.

Brevissimum fuisse intervallum inter Chronici scriptionem et Historiam docet Dodwellus, et docere voluisse putat Pearsonum: neque ulla subsidia Eusebium in Historia habuisse, quibus in Chronico caruerit. Attamen quod ad Blondellum spectat, "quibus argumentis," ait, "illum refutaturus fuerit, divinare nequeo; et lucem illam, quæ tempori Ecclesiasticæ Historiæ Eusebianæ e viri excultissimi observationibus esset emersura, reipubl. literariæ universæ interisse doleo." Hoc unum adjicimus: Pearsonus minime consentire videtur cum Criticis quibusdam recentioribus, qui statuunt Eusebium post mortem Constantini Historiam scripsisse.

CAP. XI.

I. Libellum de Romanis Pontificibus Blondellus in Apologia miris effert laudibus, cujus tamen notas consulares in Pseudo-Isidoro reprehenderat. II. Libelli hujus meminerunt antiquiores Anastasio auctores.—III. Secutus est eundem Pseudo-Isidorus, et quidem illum quem vulgo habemus, interpolatum, idque in ipsis etiam librarii erroribus.—IV. Idem Pseudo-Isidorus Damasum suarum Decretalium Epistolarum collectorem haberi voluit, qui etiam Libelli de Pontificibus auctor vulgo habitus est.—V. Non chronicos duntaxat canones, sed ipsas etiam pontificum vitas complecti voluit hujus Libelli auctor. Respondetur Turriano.

I. DE Latinorum catalogo idem mihi omnino statuendum esse videtur, præsertim quod ad priora Ecclesiæ tempora spectat, de quibus nunc agimus. Blondellus quidem Libellum de Romanis Pontificibus miris laudibus effert, " eo veteres Ecclesiæ Romanæ " tabulas contineri" asserit, " nihil eo scripto incor- " ruptius," aut " a falsi suspicione alienius reperiri " posse" affirmat; imo auctorem, " quasi solis radio " scripserit," veneratur. Ita enim solet ille eos quos suæ causæ patrocinari putat, cohonestare. Ut cum anonymum auctorem libelli, De septem Ecclesiæ Ordinibus, incertæ ætatis hominem (qui inter annum DCC. et DCCCC. ut ipse putat, scripsit) pro sententia Hieronymi testem adducit. " Hinc manifeste apparet," inquit, " quasi solis radio anonymus auctor ille scrip- " serit, &c." Unde etiam Salmasius Blondelli sedulus

lector, ab eadem phrasi abstinere non potuit, quamvis ea paulo modestius utatur dum de verbis Hieronymi in Epistolam ad Titum loquitur: " Si solis radio hæc " scripta essent, haud poterant esse quam sunt clariora." Baronium aliosque tum Pontificios, tum Protestantes acriter objurgat, quod eo calcato, Eusebium potius sequantur. Hæc ille in præfatione ad Apologiam; novus Hyperaspistes depromit. Nam cum misellum Pseudo-Isidorum debellaret, atque confoderet, Epistolas Decretales fictas esse ex mendosa notæ consularis consignatione sæpissime probare conatus est, nec ullum eo frequentius argumentum usurpavit; consignationes epistolarum eos consules habere, qui pontificibus, a quibus scriptæ epistolæ perhibentur, minime competerent, graviter conquestus est. Ipse tamen in Apologiæ præfatione, multo jam senior sapientiorque factus eos ipsos annos pontificibus Romanis ascribit, quos ascripsisse Pseudo-Isidorum apparet. Verbi gratia: Isidorus ille Epistolæ Hygini hæc subscripsit, " Data XVII. kal. " Octobr. Magno et Camerino coss." Blondelli nota est, " Ad finem, notam temporis mendosissimam addidit " plagiarius. Nam sedere cœpit Hyginus an. Dom. CLIV. " Glabrione et Variano coss." Ita scilicet clare refutatur Pseudo-Isidorus, qui Hygino pontificalem epistolam tribuit XIV. annis antequam pontifex factus est. Sed idem Blondellus in præfatione magna cum cura docet, " Hyginum Telesphori an. Dom. CXXXVIII. Ha- " driani XXI. exeunte, Camerino et Magno coss. Janu- " arii V. denati loco, ejusdem mensis XIII. feria I. " ἐνθρονισθῆναι." Quidni igitur Hyginus epistolam pontificalem scriberet XVII. kal. Octobres, cum mense Januario ejusdem anni pontifex factus fuisset? Rursus idem impostor epistolæ Pii subscripsit, " Data VII. idus " Apriles Claro et Severo viris clarissimis coss." Rursus

etiam censor, " Notæ consularis mendosa consignatio ; " nam Severus cum Claro consulatum non administravit " Pio sedente." Sed idem censor in præfatione, p. 31. et in Apologia, p. 18. Pium anno XIV. Claro et Severo coss. Martii VII. feria I. ordinatum esse docet. Pio igitur sedente Clarus et Severus coss. fuere, Pseudo-Isidoro tandem consentiente Blondello. Denique Victoris epistolæ hæc nota consularis apposita est : " Data " XIII. kal. August. Commodo et Gravione," corrupte pro Glabrione, " viris clarissimis coss." Ad quæ censor, " Falsa consulum nomenclatura farraginem suam " concludit ;" et rationem hanc reddit, quia " Com- " modus cum Glabrione V. consulatum administravit " an. Dom. CLXXXVIII. Eleutherii loco successit Victor " an. Dom. CXCIV." Ejusdem tamen in Apologia hæc verba sunt, " Victorem a consulatu Commodi et Gla- " brionis sedisse constat," ex priscis nempe Ecclesiæ Romanæ tabulis.

II. Verumenimvero videamus an tot elogiis Liber ille Pontificalis merito ornandus sit, tantæque certitudinis ea, quæ de annis Romanorum episcoporum in illo traduntur, haberi debeant. Auctor illius libri, quisquis est, incerti sane laris homo, nec jam Damasi nomen apud eruditos sustinet, et si Anastasii bibliothecarii nomen vindicare possit, nimis illud serum est. Ante Anastasium opus illud sæpius laudabatur, et quidem cum suo titulo, non semper eodem, sed sine ullo auctoris nomine. Nomen erat libro, Gesta Pontificalia ; ita illum nominat Walafridus Strabo, lib. de Rebus Ecclesiasticis, c. 22. Nullum autem nomen auctoris operi præfixum ea ætate fuisse indicant illa Walafridi verba : " Videtur autem non alias lectiones " ante evangelium fuisse tunc positas, nisi tantum " apostoli Pauli ; quas solum nominavit, qui gesta

" pontificum scripsit." Ante Walafridum Amalarius idem opus sæpe Gesta Pontificalia, sæpe etiam Gesta Episcopalia nominavit; auctoris nusquam meminit. Ante Amalarium Rabanus Maurus de Institutione Clericorum librum vocat Gesta Patrum, cap. 28. eaque sæpius citat sine titulo. Ante Rabanum Beda Gesta Pontificalia appellavit, Homil. in feria iii. Palmarum[a]; et quod notatu valde dignum est, quæ habet de Lucio rege Britannorum Christiano, ex eo libro transcripsit in vita Eleutheri, nempe, " Misit ad " eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans " ut per ejus mandatum Christianus efficeretur[b]." Ante Bedam nostrum Agathonis papæ legati, ut refert Humbertus contra Nicetam: " Hinc in Ecclesia mos obtinuit, " ut sacrificium altaris non in serico aut in panno " tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus " Domini fuit in syndone munda sepultum. Sic et " oblatio munda debet esse a fermento, juxta quod in " Gestis Pontificalibus ab Sylvestro legimus esse sta- " tutum." Romani Martyrologii auctor in pontificibus Romanis martyrii titulo insignitis, librum hunc sequutus est, ut tum ex re ipsa, tum ex eo loco, VIII. Id. Augusti apparet; in quo describit martyrium Xysti II. et sociorum, " qui in cœmeterio prætextati sepulti sunt, ut in " Gestis Pontificalibus legitur." Quæ posterior pars sententiæ nunc non comparet: sed in duobus MSS. etiamnum extat, ut testatur Holstenius. Et quidem Amalarius et Walafridus omnia, quæ ad officia ecclesiastica pertinere putabant, ex eo libro transcripserunt

[a] " Hinc ecclesiæ mos obtinuit, " ut sacrificium altaris non in " serico, neque in panno tincto, " sed in lino terreno celebretur, " sicut corpus Domini in sindone " munda sepultum; juxta quod " in Gestis Pontificalibus a B. " papa Sylvestro legimus esse " statutum." Bed. Opp. tom. vii. p. 286. ed. Colon. Vid. Diss. ii. c. xi. 3.

[b] Cf. Hist. Eccl. ejusd. i. 4.

usque ad Sergium papam et Gregorium secundum aut etiam tertium. Tot pontificum vitæ eorum ætate exstabant.

III. Ante hos Pseudo-Isidorus Librum Pontificum non nominavit quidem, semper tamen secutus est, et ad illa Gesta Episcopalia decretales epistolas efformavit. Nihil hac observatione certius. Nam primo epistolas ad illos nonnunquam scriptas esse fingit ad quos solus Liber Pontificalis eum quasi manu duxit. Verbi gratia, " Hyginus papa Atheniensibus salutem. Multa mihi " fiducia est apud vos, fratres, et magna gloriatio pro " vobis." Quare hæc ad Athenienses Hyginus? Nempe quia scriptum erat in Pontificali, " Hyginus natione " Græcus ex philosopho de Athenis." Rursum, " Pius " Romanæ urbis archiepiscopus Italicis fratribus sa- " lutem in Domino." Quare ad fratres Italicos scribit? Quia sic in Vitis Pontificum describitur: " Pius natione " Italus ex patre Rufino, frater pastoris, de civitate " Aquileia." Quia Pius dicebatur Italus, ideo scribit illico ad fratres Italicos: quia pro fratre pastoris habebatur, aliam ei epistolam tribuit, in qua omnes ecclesias docet, pascha die Dominico celebrandum esse, quia " Hermæ angelus Domini in habitu pastoris apparuit, " et præcepit ei, ut pascha die Dominico ab omnibus " celebraretur." Sic Soter dictus est " natione Cam- " panus, ex patre Concordio, de civitate Fundis." Quare statim scribit epistolam " Campanis omnibus," miroque exordio eos affatur: " Gaudere vos oportet, fratres, " quod divina largiente gratia familiares Domini voca- " mini, ejusque sacerdotii dignitate fungimini." Deinde alteram etiam mittit, " Dilectissimis fratribus per " Italiæ provincias, sanctis constitutis episcopis." Secundo Pseudo-Isidorus consules in libro Pontificum papæ cuique assignatos suis epistolis subjungit; neque

alios, quam eos quos in isto libro invenerat nominatos, usurpat; quasi papæ Romani nunquam decreta ediderint, nisi aut primo aut postremo sui pontificatus anno. Verbi gratia, in Gestis Pontificalibus de Euaristo hæc legerat, " Sedit a consulatu Valentis et Veteris usque " ad Gallum et Braduam coss." Primæ igitur Euaristi epistolæ, " Data IX. kal. Apriles Valente et Vetere " coss.," secundæ, " Data kal. Novembr. Gallo et Bra- " dua coss.," subscripsit. Hoc illi solenne est. Quoties autem impostor ille in ascribendis coss. falsus est deprehenditur, Libri Pontificalis corrupto aut mutilo codice deceptus est. Legerat in pontificali de Alexandro, " Fuit temporibus Trajani usque ad Helianum et " Veterem." Hinc primo Trajanum et Helianum par coss. comminiscitur, eosque primæ et secundæ Alexandri epistolæ, tertiæ vero Helianum et Veterem ascribit. Neque enim eum locum in Pontificali mutilum, ex vetustiori Catalogo hoc modo supplendum esse novit: " Fuit temporibus Trajani a consulatu Palmæ et Tulli " usque Heliano et Vetere." Perinde in vita Sixti, codex et mutilus et corruptus eum in miras angustias conjecit. Nam cum in eo scriptum reperiret, " Fuit " temporibus Hadriani, usque Vero et Angulo," Hadrianum et Verum par coss. fecit, eosque primæ Sixti epistolæ subjecit; et cum mirum Anguli vel Anniculi nomen videretur, eosdem secundæ etiam epistolæ subjunxit. Non enim perspexit quomodo et suppleri et emendari debuerat ex vetustiori Catalogo, " Fuit tem- " poribus Hadriani a consulatu Nigri et Aproniani " usque Vero et Ambiguo vel Am. Bibulo," i. e. Ambiguo Bibulo; " Ambibulo" quidem corrupte scribitur, unde " Angulus" et " Anniculus" in Pontificali multo corruptius. Hujusmodi fere sunt apud Pseudo-Isidorum mendosæ notæ consulares ex mendoso aut

mutilo Pontificalis codice profectæ: unde constat impostorem illum cum Decretales Epistolas finxit, Gesta Pontificalia ante oculos semper habuisse. Tertio, idem etiam inde confirmatur, quod in corpore Decretalium Epistolarum sæpe materia ex Libro Pontificum sumatur, et verba etiam multoties recitentur. Auctor Vitarum tradit Anacletum presbyterum factum esse a B. Petro; Pseudo-Isidorus in Epistola Anacleti secunda hæc habet, " Ut a B. Petro principe apostolorum sumus instructi, a " quo et presbyter sum ordinatus:" unde et postea de ordinationibus, hac occasione arrepta, plenus tractatus instituitur. Pariter cum legisset in Gestis Alexandri, " Hic passionem Domini miscuit in precationem sacer- " dotum;" Epistolæ illius papæ primæ hæc inseruit, " In sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter " missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini " miscenda est." Et cum de eodem ibidem scriptum vidisset, " Hic constituit aquam aspersionis cum sale " benedici in habitaculis hominum;" ipse pariter eidem hæc addidit, " Aquam enim sale conspersam populis " benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et " purificentur, quod et omnibus sacerdotibus faciendum " esse mandamus," et præterea miras illius ritus rationes ex suo penu subjecit. Similiter in vita Sixti duo constituta de vasibus sacris, et de formatis[c] cum reperisset, utrumque in secundam ejus epistolam conjecit. In vita Telesphori scriptum erat, " Hic constituit ut " septem hebdomadis jejunium celebraretur paschæ." Inde eidem aptata est Epistola, quæ indicat a se et concilio Romano idem statutum esse: et præterea ob eandem rationem de missa nocte nativitatis Domini celebranda, et de hymno angelico præceptum dat.

[c] De Formatis adeat, cui libet, Du Cangii Gloss. in voce.

Pauca hæc ex multis observanda esse duximus. Denique idem Pseudo-Isidorus ut majorem Gestis Pontificalibus auctoritatem conciliaret, Epistolam quasi ab Hieronymo ad Damasum scriptam confinxit, aut illis ipsis ante præfixam inter suas posuit, qua papam sic affatur, " Gloriam sanctitatis tuæ nostra humilitas de-
" precatur, ut secundum apostolicæ sedis auctoritatem,
" quam cognovimus gubernari per tuam sanctitatem,
" Actus Gestorum a B. Petri principatu, usque ad
" vestra tempora, quæ gesta sunt in sede tua, nobis per
" ordinem enarrare digneris." Ex quibus verbis facile perspicitur librum illum Gesta Pontificum appellatum esse, quem a Damaso scriptum fuisse credi voluit impostor. Quod etiam adhuc clarius exprimitur in Epistola Damasi eadem manu conficta: " Veruntamen
" Gesta Pontificum quæ potuimus reperire in nostræ
" sedis studio ad tuam caritatem gaudentes direximus." Idem etiam recte colligitur ex hoc titulo libri Thuanæi MS. " Incipit Liber Episcopalis in quo continentur Acta
" B. Pontificum urbis Romæ." Nihil igitur certius est quam Librum Pontificalem eundem fuisse quem Gesta Pontificalia, vel Episcopalia, mediæ ætatis scriptores nominabant, quemque Damaso papæ ascribi voluere impostores: eumque ipsum librum fundum fuisse Pseudo-Isidoro omnium epistolarum quas Romanis episcopis falso ascripsit.

IV. Hoc autem adhuc manifestius fiet ex alia observatione ad hanc rem appositissima. Pseudo-Isidorus non tantum Librum Pontificalem ascribi voluit Damaso; sed etiam Epistolas Decretales a seipso confictas credi voluit ab eodem Damaso ex archivis Ecclesiæ Romanæ productas editasque fuisse. Certissimum hujus observationis argumentum est, quod impostor ille in suæ

collectionis exordio duas epistolas posuerit, unam quasi ab Aurelio Carthaginiensi episcopo ad Damasum, alteram quasi a Damaso ad Aurelium scriptam. Nam in priori Aurelius a Damaso petit, ut " Statuta quæ " reperire poterit post finem B. principis apostolorum " Petri usque ad suæ sanctitatis principium ipsi scripta " mitteret ;" quæ instituta mox etiam " Decreta" nominat : in posteriori respondet Damasus, " Quædam ex " his quæ petisti misimus, et quædam adhuc, cum " iterum miseris, mittere cupimus. Nullum tamen a " B. Petri principis apostolorum fine prædecessorum " nostrorum prætermisimus, de quorum statutis aliquid " tibi non mitteremus." Quibus verbis Damasi impostor collectioni suæ præmissis, ipsas Epistolas Decretales intelligi voluit, ut vel inde aperte colligitur, quod a fine Petri dicat se Damasus ejus nullum prædecessorum suorum prætermisisse. Nam ipse nullam epistolam Lino aut Cleto tribuebat, quia Linum ante Petrum obiisse putabat, et Cletum ut ab Anacleto distinctum vel non agnovit, vel eum simul cum Lino præfuisse existimavit. Voluit igitur credi Damasum " a fine Petri" pontificum decreta collegisse et a Clemente incepisse, et revera epistolas tam diu postea natas edidisse, ut maximam ipsis auctoritatem conciliaret. Sic enim Damasum postremo loquentem introducit, " His itaque rite deliberatis, et ad ecclesiarum " notitiam nostra deliberatione perlatis, parere vos " eorundem sanctorum regulis summopere convenit." Cum igitur Pseudo-Isidorus, sive Riculfus, sive Hadrianus, Librum Pontificalem sequutus sit in excogitandis Epistolarum suarum argumentis, eundem tum auctorem Pontificalis tum Epistolarum editorem confinxit Damasum, in pontificatu adeundo minus pro-

batum[d], in administrando magis felicem, certe apud posteros magni nominis papam.

V. Hæc adeo prolixe prosecuti sumus, quod ea necessaria esse putemus, ut recte intelligatur quæ fuerit natura Libri Pontificum, quando primum natus et editus est. Inter eos enim qui a Damaso scriptum putant, aliqui in eodem nihil contineri contendunt præter canones chronicos. Magdeburgenses dixerant, " Damasum ex professo suorum antecessorum vitas " descripsisse." Turrianus de antecessoribus suis Damasum scripsisse largitur, vitas eorum scripsisse negat, " Quia nihil," inquit, " fere aliud brevissime scribit " quam quo loco, quo patre natus, quibus temporibus " vixit, quot ordinationes fecit, quibus coss. mortuus, " ubi sepultus; quæ non tam ad historiæ scriptionem " pertinent, quam ad quosdam veluti chronicos ca- " nones." At alia multa in eo libro continentur: quas scilicet fabricas fecit, quot cæremonias instituit, quæ constituta edidit, quomodo clerum ordinavit, quam partem missæ addidit, aliaque peregit pontificum quisque ante Damasum, in eodem docetur. Addit deinde Turrianus, " Si ex professo vitas pontificum scribebat, " ubi sunt eorum Acta et Gesta?" Respondeo, in ipso Libro Pontificali, quem Gesta Pontificalia sive Acta veteres nominabant, moderni, Vitas: in illo, inquam, libro sunt eorum Acta et Gesta.

[d] Vid. Socr. Hist. Eccl. iv. c. 29.

CAP. XII.

I. De Libri Pontificalis auctore.—II. Alii Damaso partem priorem, posteriorem autem tribuebant Anastasio bibliothecario; Baronius nihil Damaso, sed incerto omnia tribuebat auctori, qui tamen e duobus saltem auctoribus sua consarcinarit; alii libri universi auctorem solum credebant Anastasium; alii priorem partem ita Damaso concedebant, ut tamen et ipsam crediderint interpolatam ab Anastasio.—III. Assertio prima, prioris partis non esse auctorem Damasum.—IV. Assertio secunda, auctorem libri, quicunque tandem is fuerit, non vixisse ante seculum sextum.—V. Assertio tertia, primum libri pontificalis apographum esse quod sub nomine catalogi secundi edidit Henschenius, cujus auctor sub finem sexti seculi scripserit; interpolatum tamen atque continuatum ante Anastasium.—VI. Assertio quarta, incertum esse an quicquam in illo libro interpolarit, aut continuarit, Anastasius. —VII. Probatur interpolatum fuisse ante Anastasium, et viceversa in nonnullis mutilatum.—VIII. Siquid boni habeat in primis pontificibus liber pontificalis, id omne hausit e catalogo primo per Cuspinianum edito, quem tamen ipsum non integrum, sed vitiatum duntaxat, viderit.

I. DE his Gestis Pontificalibus, sive libro de pontificibus Romanis, ut judicium meum feram; primo auctores, quibus liber ille hactenus tributus est, deinde tempora, quibus eum scripsisse videantur, considerandа, et quæ ante nos observarunt viri docti, discutienda sunt. Inde enim patebit quanta auctoritas tali scripto ascribenda sit: quippe si neque auctorem habeat, neque ætatem ullo modo venerandam, nescio ex quo capite assensum nostrum vindicare possit, narrationibus præsertim iis, quæ vel omnem fidem

superant, vel omnium veterum testimonio defecta et destituta sunt.

II. Prima autem virorum doctorum prioris seculi sententia fuit, Damasum Vitarum omnium Pontificum, qui suum pontificatum præcesserunt, auctorem fuisse: ita Onuphrius, Turrianus aliique. Sed hæc sententia non diu duravit inter Romano-Catholicos: nam eam primo Baronius rejecit, nihil omnino in eo opere ad Damasum pertinere asserens; qui etiam addidit ejusdem libri incertum auctorem fuisse, et ex duobus saltem auctoribus sua consarcinasse; quæ conjectura Ill. Annalistæ erat verissima, licet ipse Cardinalis, quinam essent illi auctores duo, ex quibus liber iste consarcinatus est, penitus ignoraret. Baronii sententiam statim sequuti sunt Binius, Possevinus, aliique, quod ad Damasum spectat. Qui Damasum ad sua tempora Vitas Pontificum scripsisse putabant, reliquos usque ad pontificatum Nicolai I. Anastasium bibliothecarium addidisse asserebant; ut Onuphrius aliique. Sed nec hæc sententia diu obtinuit; nam Moguntini qui Vitas Pontificum an. Dom. MDCII. ediderunt, simul significarunt se propter styli et totius scribendi rationis et methodi earum Vitarum, quæ post Damasum scriptæ sunt, consensum cum phrasi universaque scribendi ratione, quæ est in Vitis prioribus, in eam sententiam inclinare, omnium illarum Vitarum germanum parentem esse Anastasium. Unde statim Bellarminus eorum sententiam quasi notam amplectitur, eandemque sequitur ex nostris Gerardus Joannes Vossius. Alii etiam ex nostris, qui multum auctoritatis isti Libro Pontificum tribuendum esse ut crederetur, ob rationes minime incognitas maxime cupiebant, ad Damasum rursus recurrebant, et quicquid in illius opere minus verum esse putabant, posterioribus ac præcipue Anastasio

tribuebant: quales erant viri sane doctissimi, Blondellus et Salmasius. Necesse igitur esse sentimus, ut cum nos Librum illum Pontificalem, in prioribus præsertim Ecclesiæ temporibus enarrandis, non flocci facimus, sententiam nostram de ejus auctore explicemus, ejusque rationes particulatim reddamus.

III. Dico igitur primo, priorem partem Libri Pontificalis, qui Gesta Pontificum continet, non fuisse a Damaso scriptam. Quotquot ab eo natam putabant, nullam aliam rationem istius sententiæ afferre unquam potuerunt, præterquam quod nomen illius pluribus MSS. codicibus inscriptum fuit. Sed nimis infirmum est a titulo argumentum, cum alia omnia refragentur. Nam primo Damasi fama hoc vetat, cujus ingenii elegantia semper agnita est, quam plane nullam fateri cogitur quisquis illum librum scabrum tam styli inconditi et ineruditi ei tribuit. Secundo Hieronymus, qui eum juvisse dicitur, hujus operis non meminit, cum ejus Vitam post decennium fere scripserit. Tertio, materia illius libri adeo novitatem redolet, et antiquitatem adeo crasse affectat, et res nemini cognitas tam secure recitat, ut nulli quarti seculi scriptori, quamvis rudi et inerudito, sine injuria ejus nomini facta, assignari possit. Et si duas partes illius Pontificalis seorsim consideremus, quamvis utraque eodem genere scriptionis similis sit, prior tamen posteriori multo incertior, imo multo pejor, fabulosior et contaminatior est, ideoque Damaso auctore minus digna.

IV. Dico secundo, nullum papam aut alium quemcunque fuisse auctorem Libri Pontificum, sive Gestorum Pontificalium ante sextum seculum: imo nullum ejusmodi librum in Ecclesia extitisse ante annum CLX. ab obitu Damasi papæ. Cum enim tot ritus ecclesiastici, tot opiniones de rebus fidei et disciplinæ, quæ

ante initium sexti seculi minime obtinuerunt, in eo libro contineantur, et ab ipso ejus initio utramque paginam faciant, maturius quicquam in illis gestis scriptum fuisse nulla ratio admittit.

V. Tertio, verisimillimum mihi videtur Librum illum Pontificum in bibliotheca reginæ Sueciæ usque ad Felicem quartum et Justiniani tempora deductum, quem nobis exhibuit Heinschenius sub nomine Catalogi Secundi, apographum esse primi omnium Libri Pontificum, neque ulla ante eum Gesta Pontificalia, aut Vitas Pontificum extitisse. Nec tamen eum Librum Pontificum sub Justiniano scriptum fuisse puto, sed sub finem sexti seculi ab impostore exaratum editumque, cum Blondello sentio; auctoremque Vitas Pontificum post Felicem ad suam usque ætatem de industria omisisse, ne seipsum proderet. Eum autem librum sub nomine Gestorum Pontificalium continuatum fuisse, atque etiam in aliquibus locis interpolatum ante ætatem Anastasii affirmare non dubito. De continuatione dubitari non potest, quia tales libri MSS. in bibliothecarum forulis adhuc conservantur, quibus deducta sunt Gesta Pontificum usque ad Stephanum tertium ultra an. Dom. DCCL. ut testantur Freherus, Labbeus, et Heinschenius. Quæ Gesta post ætatem Justiniani per modum continuationis scripta, non sunt ab Anastasio tanquam auctore profecta, quia ante Anastasium meminere scriptores haud pauci diversorum pontificum, et ab iis gestorum usque ad Sergium et Gregorium tertium, hoc est, ultra an. Dom. DCCXL. ut cum ex pluribus aliis, tum ex eo Strabonis loco clare ostenditur.

VI. Quarto, illud porro observo, librum illum Gestorum Pontificalium primum seculo sexto exaratum, in posterioribus editionibus interpolatum fuisse ante ætatem Anastasii; quod diligenter notandum est. Quia

Blondellus putavit verisimile esse Anastasii temeritati nos debere omnia, quæ in eo libro a veritate aliena sunt. Ego potius primo scriptori temeritatem summam tribuo, posterioribus aliquam, sed minorem, an ulla omnino Anastasio tribuenda sit nescio; non enim hactenus quicquam vidi, quod Anastasium eum librum edidisse doceat, præter titulum in aliquibus MSS. et sane paucis inventum. Reliqui Damasum agnoscunt, et tamen falso omnes: quinimo recte a Labbeo notatum est, ante ætatem Anastasii illud opus Damaso tributum esse in libro tempore Caroli Magni scripto. Cum enim liber ille, antequam Anastasius quicquam scripsit, editus sit, alii auctori necessario tribuendus est; et cum etiam ea ætate liber ille sub Damasi nomine exstabat, nimis sero eidem operi etiam continuato Anastasii nomen præfixum est, præsertim cum ille bibliothecarius tale opus edidisse a nemine ante seculum decimum quartum vel quintum perhibeatur.

VII. Interim Librum primum Pontificalem sexto seculo exaratum ante ætatem Anastasii interpolatum fuisse sic probari posse sentio. In primo catalogo sive primæ editionis illius libri pontificum apographo de Alexandro legimus, "Hic passionem Domini miscuit in "prædicatione sacerdotum." Quæ sic interpolata apud Anastasium leguntur, "Hic passionem Domini miscuit "in precationem sacerdotum, quando missæ celebran-"tur." Sed hæc interpolatio ante Anastasium facta est: eadem enim verba apud Walafridum Strabonem libro de Rebus Ecclesiasticis cap. xxii. recitantur. In Vita Telesphori apud Anastasium legimus, "Hic con-"stituit, ut" (legendum enim est "ut" pro "cum") "omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præ-"sumeret missam celebrare, qua hora Dominus noster "ascendit crucem." In catalogo secundo hæc verba

non comparent: addita autem sunt ante Anastasium; legit enim eadem in suo codice Walafridus Strabo et exscripsit cap. xxiii. De Eutychiano in catalogo scribitur, "Hic constituit fruges super altario benedici," apud Anastasium, "ut fruges super altare tantum fabæ "et uvæ benedicerentur." Sed et hæc interpolatio facta est ante Anastasium, ut patet ex Strabone cap. xviii. Apud catalogum in Vita Symmachi hymni angelici mentio fit: apud Anastasium hæc legimus, "Hic "constituit, ut omni die Dominico et natalitiis mar- "tyrum hymnus diceretur angelicus, id est, Gloria in "excelsis:" quæ ante eum recitavit Strabo cap. xxii. Sic in Vita proximi pontificis Hormisdæ Anastasius hæc habet, "Hic composuit clerum et psalmis erudivit;" quæ in catalogo non comparent; sed a Strabone memorantur cap. xxv. Neque mirum esse videatur, ut a posterioribus aliqua prioribus adderentur: illud potius observandum est, nonnulla in prima editione scripta extitisse, quæ posterioribus omissa aut detracta fuerunt. Verbi gratia in catalogo secundo legimus de Telesphoro, "Hic fecit ut natali Domini nostri Jesu Christi "noctu missæ celebrarentur, et in ingressu sacrificii "hymnus diceretur angelicus, Gloria in excelsis, &c. "tantum noctu natalis Domini." Postrema autem verba "tantum noctu natalis Domini," apud Anastasium omissa sunt; et sane ante eum erant detracta, ut patet ex Strabone, quem locus ille mire torsit, non ob aliam causam, quam quod illa verba ante sublata in suo codice non viderat; viderat autem ea verba Symmachi de hymno angelico, quæ, ut diximus, in prima editione non habebantur. In catalogo de Gelasio legimus, "Hic fecit sacramentorum præfationes cauto "sermone, et epistolas fidei elimato sermone." Horum nihil habet Anastasius, sed eorum loco substituit, "Hic

" fecit constitutum de omni ecclesia." Denique in Vita Hormisdæ pars quædam historiæ de Concilio Constantinopoli facto, in quo reddita ratio damnationis Acacii, et ab omnibus accepta est ; et de concordia ab Oriente usque ad Occidentem facta in catalogo habetur, apud Anastasium non reperitur.

VIII. His perpensis, quis non videt fidem huic Libro Pontificali minime adhibendam esse ? Auctor enim ejus anonymus, et incertus sexti seculi scriptor, et status primitivæ Ecclesiæ plane ignarus fuit. Unde pluribus et fœdis erroribus scatet, fictisque narrationibus plenus est, et enormem rituum doctrinarumque antiquitatem venditat. Et quod ad chronologiam spectat, successionis ordinem non semel perturbat, annosque pontificum nulla certitudine, summa negligentia vel inscitia tradit, et quicquid de eorum annis, qui ante Liberium sedebant, boni habet, illud ex vetustiori scriptore hausit, et male plerumque expressit. Scriptorem autem vetustiorem illum non alium fuisse censeo, quam auctorem veteris Catalogi, per Cuspinianum primo editi. Hunc primum catalogum, quod ad rem chronologicam spectat, exprimere conatus est auctor secundi catalogi sive libri pontificalis ; quod ex certissimis conjecturis colligi posse videtur. Nam cum primi catalogi auctor omnium a S. Petro usque ad Liberium episcoporum tempora per consules tradidisset, secundi, sive libri pontificalis, auctor, iisdem fere consulibus usque ad eundem Liberium utitur. Et cum primus ille in Liberio desineret, et quia eo vivente scriptus est, initium ejus pontificatus tantum describere potuit, " a con- " sulibus Constantio V. et Constantio Cæsare," secundi auctor absurde satis inquit, " Fuit temporibus Con- " stantii usque ad Constantium Augustum VII." Nam cum primi catalogi auctor consules, sub quibus mortuus

est, non addidit, qui erant Lupicinus et Jovinus, sub imperio Valentiniani et Valentis; utque tam abrupte duce suo destitutus in Liberio defecit; sic post Liberium per annos fere CLX. usque ad Joannem papam nullos consules nominavit, cum a Constantio VII. ad consulatum Maximi, sub quo Joannes sedere dicitur, anni intercesserint CLXVIII. Præterea ubi auctor secundi hujus catalogi primum, quod ad consules attinet, sequitur, tam absurde id facit, ut simul et prioris simiam se profiteatur, et inscitiam suam prodat. Nam cum primi catalogi auctor S. Petrum vixisse post ascensionem Domini annos tantum XXV. tradidisset, auctor libri pontificum eundem apostolum anno post passionem Domini XXXVIII. passum esse docuit; et tamen Lino ejus successori eosdem Coss. tribuit, quos prior tribuerat. Et rursus cum prior Lino Clementem, Clementi Cletum successisse tradidisset, posterior Lino Cletum, Cleto Clementem successisse docuit; et tamen mira securitate vel stupiditate potius eosdem utrique consules assignavit, quos prior assignaverat: imo Clementem ex primo tradit sedisse usque Vespasiano VII. et Tito, hoc est, an. Dom. LXXVI, quem tamen statim ex Hieronymo scribit obiisse tertio Trajani, id est, an. Dom. centesimo. Ex his aliisque hujus generis Ill. annalium Conditor conjecit librum a diversis auctoribus scriptum fuisse, ego potius libri auctorem unum fuisse, et duos auctores sine judicio sequutum esse, auctorem scilicet primi catalogi, et Eusebii in Chronico interpretem Hieronymum: adeoque sententias de temporibus pontificum plane diversas atque dissentaneas commiscuisse. Denique ne eum quidem catalogum primum integrum vidit, sed ut opinor alicubi eodem modo mutilum et mancum, quemadmodum nos eum nunc habemus: quod vel ex illis colligere licet, quæ

quasi de Hygino et Pio scripta videntur. Ubi supplevit locum misere affectum sine ullo judicio, et consules notissimos duos Augustos, quos non intellexit, omisit: quam rem latius in secunda Dissertatione tractabimus. Cum igitur libri pontificalis auctor tempora priorum pontificum ex primo catalogo desumserit, et plerumque male expresserit, et cum iis alia plane dissona miscuerit, siqua primorum temporum certitudo a Latinis expectanda sit, ea ex primo catalogo eruenda erit. De quo nunc agendum.

CAP. XIII.

I. De primo catalogo per Cuspinianum et Bucherium edito.—II. Magni faciendus, si quidem incorruptum haberemus.—III. Qualis hodie extat non ubique fide dignus.—IV. Binæ Baronii regulæ refelluntur. In primis Ecclesiæ Romanæ traditionibus, Græcis potius acquiescendum, quam ipsis Romanis. Nec ullam faciunt, hac in causa, fidem adjecti, nullo tamen idoneo teste, Coss.—V. Refellitur Heinschenii conjectura Anterum prioris partis auctorem statuentis usque ad Urbanum.—VI. Anterum prioris partis auctorem fuisse non est verisimile.

I. PRIMUM inter Latinos Catalogum Romanorum Pontificum eum fuisse omnino censeo, quem Cuspinianus commentariis per partes et sparsim suis insertum edidit: de quo ille hæc ad annum U. C. DCCLXXXI. habet, "Oblatum est mihi pervetus opusculum anonymi "auctoris, quo pontifices maximi, sub quibus consu- "libus fuerint, enumerantur; in eo ita scribitur, Im- "perante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster, "&c." Idem opusculum, ut apparet, ex codice paulo integriori a Bollando sibi communicato edidit Ægidius Bucherius in commentario ad Victorii Canonem Paschalem, et post eum nuperrime Heinschenius in diatriba præliminari ad Acta Sanctorum Aprilis[a]. Hunc catalo-

[a] Dodwellus in Dissertatione sua, c. xiii. mentione facta de hujus catalogi editione Bucheriana, "quam quidem editionem" ait "solam viderat eruditissimus "pater." Unde id sibi notum habuerit, non video, cum Heinschenii editionem a Bucheriana diversam passim in hoc capite citat Pearsonus.

gum proculdubio exprimere conatus est secundi catalogi, sive libri pontificum auctor.

II. His observationibus præmissis auctorem secundi catalogi neminem, quem in assignandis consulibus sequeretur, nisi illius catalogi auctorem habuisse sine controversia patebit. Siqua igitur apud Latinos chronologos certitudo istorum temporum haberi posse videatur, non aliunde quam ex isto vetustiori catalogo petenda erit: ut nos cum Petavio, Bucherio, et Heinschenio judicamus. Enimvero eum magni nunc pretii esse fateor, et si unquam integer et incorruptus prodierit, multo pluris faciendum fore: neque dubitandum mihi videtur, quin propter hunc catalogum speciosum Damasi nomen libro pontificum primo inditum sit. Quamvis enim non ab ipso, illius tamen ætate scriptus est hic catalogus sub pontificatu Liberii, cui successit Damasus. Fuit igitur ejus auctor ipso Hieronymo paulo antiquior. Non placet tamen lemma illud ab Heinschenio præfixum, " Elogium ex catalogo priore a S. Damaso ad " S. Hieronymum misso." Hoc enim ex duabus epistolis, quas præfixit, tantum collegit; eas autem fictas esse sciunt eruditi: neque quicquam ad earum defensionem affert, præter duas alias epistolas illis similes, quas Sarazanius inter opera Damasi edidit, cum etiam illas jamdudum supposititias et ineptissimas pronuntiaverit Bellarminus.

III. Huic tamen catalogo tam vetusto, primo inter Latinos, sed post Eusebianum Græcum nato, et in ipsa Romana Ecclesia ante Latinam Eusebii versionem edito, (quod omnino observandum est,) in digerendis annis Romæ episcoporum haud temere fidendum esse arbitror. Observat quidem Valesius non semel, annos pontificum a Callisto usque ad Liberium in hoc catalogo optime digestos esse; quod tamen usquequaque verum

esse non puto. Nam annos pontificum, sub quibus floruit S. Cyprianus, male digestos esse constat, quod fortasse ex libelli corruptione contigit: verum ante Callisti pontificatum non tantum codex mancus et mutilus est; sed etiam si suppleatur, nullam in his rebus certitudinem parere potest. Queritur Heinschenius Bucherium "non parum fuliginis" huic primo catalogo "adjecisse, dum eum, quem confusiorem et "vitiosum judicabat, non satis æstimavit." Sed hæc mihi querela nimis injusta videtur; neque ille qui alterum accusat, eum catalogum aut minus confusum, aut minus vitiosum reddidit ediditque. Nam auctor ipse quisquis fuit nullis adminiculis suffultus, nulla tabularum auctoritate nixus, prioribus episcopis consules tanquam conjector tantum tribuisse deprehenditur; illisque male dispositis, cum ad Hygini, Pii, et Aniceti tempora pervenisset, in tantas angustias redactus est, ut quid scriberet, non haberet. Quid quod SS. Petrum et Paulum simul passos esse docet, primo Neronis anno, coss. Nerone et Vetere, quod et Actis Apostolorum a S. Luca conscriptis aperte contradicit, et omnes fere S. Pauli epistolas antevertit? Legitur quidem in codice Bucheriano "usque Nervæ et Veri," sed mendose, ut notat Bucherius ipse; neque enim tale par consulum in fastis reperitur. Heinschenius edidit "usque Nervæ "et Vestini," contra fidem sui codicis, contra codicem Cuspiniani, contra mentem auctoris catalogi, qui XXV. tantum annos numerat a consulatu Vinicii et Longini, ab eo autem consulatu ad Nervam et Vestinum coss. anni sunt XXXV. Et consules, quos proxime solenni more nominat, non sunt Paulinus et Telesinus, qui Nervæ et Vestino successerunt, sed Saturninus et Scipio, qui Neronem et Veterem secuti sunt. Alibi etiam male in catalogo Bucheriano scribitur "Veri" pro

" Veteris," ut in Euaristo, " a consulatu Valentis et " Veri," Fulvii scilicet Valentis et Antistii Veteris, unde etiam apud Pseudo-Isidorum ex meliori codice nomen Veteris retinetur. Recte igitur ad mentem auctoris, " usque Neronis et Veteris" ex codice Cuspiniani edidit Bucherius, sed pessime illis consulibus Petrum et Paulum passos esse tradit auctor illius catalogi, cum S. Paulus eo anno Romam nondum vidisset, et multæ Pauli Epistolæ tum scriptæ non sint.

IV. Reliqua non opus est hoc loco persequi, quæ postea commodius et particularius perpendentur: ex his autem, et ex iis quæ nunc omittenda censui, quia postea dicentur, satis patebit non esse huic catalogo ubique credendum: nam quod ex duabus regulis a Baronio præscribi solitis deducere conatur Heinschenius, vim nullam habet. Quippe regula prima, " Quod " in his, quæ sunt Ecclesiæ Romanæ, major fides sit " adhibenda ejus alumnis, quam cæteris," ab ipso Baronio minime observata est; sed ad unum Cletum statuminandum, cum aliud nullum argumentum suppeteret, usurpata est; neque hic locum habere potest, cum nullus Ecclesiæ Romanæ alumnus per tria priora secula, quicquam scripsisse, quod hanc rem spectat, perhibeatur; nisi Caium excipias, quem Græce scripsisse novimus, sed et Ecclesiæ Romanæ presbyterum fuisse, et Cletum ab Anacleto minime distinxisse alibi probamus. Alii vero nonnulla prodidere, nominatis Romæ episcopis, sub quibus ipsi vixere; quales fuerunt viri præclari Hegesippus, Irenæus, Dionysius, Bacchylides, non Romanæ, sed Græcæ Ecclesiæ alumni. Et hic observatione dignum est, quod ego ex verbis Irenæi de Romana Ecclesia et alumnis ejus colligo, lib. iii. c. 3. ubi de Romanorum episcoporum successione agit, " Ad hanc enim ecclesiam propter potentio-

" rem principalitatem necesse est omnem convenire " ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in " qua semper ab his qui sunt undique, conservata est " ea quæ est ab apostolis traditio." Conservatam enim docet traditionem ab apostolis in ea ecclesia, ab his qui sunt undique, *ἀπὸ τῶν πανταχόθεν*, Gloss. *πανταχόθεν*, *undique*, quorum scilicet ipse Irenæus unus fuit. Cum autem traditionem apostolorum per successionem episcoporum ad sua usque tempora derivatam fuisse scribit, non tam ab ipsis Romanæ Ecclesiæ alumnis, quam ab iis qui ex regionibus convenire solebant, successionem illam tunc temporis observatam esse mihi videtur asserere. Ut igitur Græci, quales erant Polybius, Dionysius Halicarnassensis, Plutarchus et Dio Cassius optime historiam Romanam digessisse creduntur, neque Romanorum quisquam cum iis conferendus esse videatur, qui exteri erant; adeo ut " Livius ingens pellibus " exiguis arctari" facile potuisset, si illa excerperentur, quæ ex Polybio aliisque Græcis scriptoribus hausit: sic et mihi Græci auctores in Ecclesia, qui ad Romanam urbem " propter potentiorem principalitatem un- " dique convenerunt," successionem episcoporum et historiam rerum gestarum accuratius observasse et conservasse videntur, quam ipsi alumni in ea urbe nati, et educati Christiani; qui eo temporis tractu propter fidem celebres, propter doctrinam, aut literarum scientiam non adeo præclarum testimonium nacti sunt. Facessat igitur prima Baronii regula, quæ ipsum adeo abreptum tenuit, ut sententiam de natali anno Christi in priori editione a se promulgatam in posteriori revocaverit, " Cassiodoro potius acquiescens," quem ut sequeretur illud " maxime persuasit, quod homo Ro- " manus esset." Et secunda regula, " Quod tempora " adnumerata per consules libentioribus sint accipienda

" auribus," huic causæ non favet, et a Baronio male posita est. Nemo enim unquam eam regulam sæpius transgressus, nemo tam sæpe fastos consulares turbavit, et ad suam sententiam detorsit. " Vetera quidem " monumenta," ut ait ille, " consulibus consignata" magnam certitudinem pariunt; quia ipsis monumentis consulum nomina adscripta sunt, quæ ipsum annum, quo scripta sunt, signabant, quem ignorare, qui scripserunt, non potuere: si autem rebus ipsis gestis quispiam nimia diligentia consules apponat, quarum ipse ex longinquitate temporis non satis gnarus fuit, nomina consulum apposita nullam rebus ipsis auctoritatem arcessere possunt. Nos autem asserimus auctorem primi catalogi nullam temporum priorum pontificum certitudinem acquisivisse, aut Romæ tunc cum scriberet acquirere potuisse; et hujus ignorantiæ multa specimina edidisse. Unde assignatio consulum illis adhibita, quorum successionem et tempora nescivit, plenam a nobis fidem extorquere non potest.

V. Fateor equidem aliquid nuperrime ab Heinschenio excogitatum fuisse, quod sententiæ nostræ aperte adversatur, et ulteriorem discussionem postulat. Ille enim primum catalogum in duas partes dividendum esse statuit, ac partem posteriorem quarto seculo scriptam esse fatetur circa an. Dom. CCCLIV. priorem autem sub initio tertii seculi usque ad Urbanum pontificem, qui passus est an. Dom. CCXXX. ut ipse ait. Priorem partem ab Antero Pontiani successore scriptam fuisse putat, papa Romano, non quidem sub ipsius pontificatu, (satis caute) sed sub pontificatu Pontiani. Jam vero si sub pontificatu Pontiani prior catalogi pars scripta sit, quis ei refragari hac ætate potest? quis contra Anterum tam sero de antecessoribus ejus disputare? Sed hæc conjectura quantum valeat inprimis viden-

dum. Nomen Damasi tabulis ecclesiasticis præpositum diu Ecclesiæ imposuit; cavendum solicite ne Anteri nomen multo antiquius nunc tandem nobis imponat. Conjecturæ suæ præcipuum habet fundamentum, quia "in priore parte nulli consules bis repetuntur, "in secunda passim majora pontificum elogia referun- "tur, iidem consules repetuntur, dies ordinationis et "mortis pontificum assignatur." Sed nimis infirma est hæc observatio, quam ut ex ea argumentum sumi possit, quo probetur duos hos esse catalogos, a diversis auctoribus scriptos, quorum unus alterum præcessit annis ferme CXXX. Satis enim facit ad methodum ejusdem auctoris discriminandam, quod posteriora pontificum tempora ipsi auctori notiora ex Ecclesiæ monumentis fuerint quam priora. Inde enim ratio optima et firmissima petitur, cur dies obitus pontificum in posteriori parte catalogi, non autem in priori assignentur; quia idem auctor habuit depositiones episcoporum et martyrum eodem tempore cum catalogo editas, priorum temporum depositiones non habuit. Et hæc clara sunt. Legimus in Catalogo de Fabiano, "Passus XIII. Kalendas Februarii." Pariter in Depositione Martyrum, "Decimo tertio Kalendas Februarii Fabiani in "Callisti." Rursus in Catalogo legitur de Lucio, "Decessit tertio Nonas Martias." Et in Depositione Episcoporum pariter, "Tertio Nonas Martii Lucii in "Callisti." Sic in Catalogo Sixtus passus esse dicitur VIII. Idus Augusti, et in Depositione Martyrum, "Mense "Augusto Octavo Idus Systi in Callisti." Rursus in eodem Catalogo Dionysius sedisse dicitur "usque in "diem septimum Kalendas Januarii." Et in Depositione Episcoporum primo loco legimus, "Sexto Kalen- "das Januarias Dionysii in Callisti." Has depositiones episcoporum et martyrum habuit auctor qui sub Liberio scripsit, et ex iis dies obitus in posteriori parte su

catalogi notavit: nullius episcopi ante Lucium, nullius martyris ante Fabianum depositionem penes se habuit; solos igitur Pontianum et Anterum addidit, qui minori quam annuo spatio ante pontificatum Fabiani decesserant, quorum obitus notatos aliunde hausit; nullius ante eos obitus meminit, quia certam dierum quibus mortui sunt notitiam non habuit.

VI. Præterea ut priorem partem Antero ascribat Heinschenius, notat cum "Gesta Martyrum diligenter "a notariis exquisivisse, et in Ecclesia recondidisse." Quod primo verum esse nihil est quod suadeat. Nam Maximinus ipso statim imperii initio gravissimam persecutionem Romæ excitavit, qua intra paucos menses duo episcopi Romani passi sunt, Pontianus et Anterus. Hunc Anterum "Gesta Martyrum recondidisse" volunt. Sed unde hoc habent? A secundo scilicet catalogo, qui sexto seculo primum, si forte, prodiit. Cujus auctoritas ut hic potissimum vacillet necesse est; nam qui tradit Anterum Gesta Martyrum recondidisse, docet etiam eum per undecim annos pontificatum tenuisse; quem uno tantum mense et decem diebus sedisse fatetur Heinschenius. Secundo, si daremus Anterum Gesta Martyrum collegisse, eo minus credibile erit, eundem etiam priorem catalogi partem edidisse. Nam si illa ab eo diligenter collecta sunt, unde factum est ut in illa opusculi parte, quæ ipsi auctori ab Heinschenio tribuitur, nullius martyris aut pontificis obitus memoretur? Certe multo verisimilius est, eum qui obitus episcoporum non novit, dies omisisse, quam eum qui Gesta Martyrum ante suam ætatem diligenter conquisiverat, et recondita habuit, eadem minime memorasse. Quis putabit Anterum Gesta Callisti conscripsisse, et diem obitus ejus in catalogo omittere voluisse, cum, ipso vivente et florente Antero, non tantum Callistus, sed et ante eum Zephyrinus obierit?

CAP. XIV.

I. Hygini, Pii atque Aniceti tempora justo serius detrudunt receptæ hactenus rationes tam Latinorum quam etiam Græcorum.—II. Exstant tamen tertiæ Eutychii patriarchæ Alexandrini ab utrisque diversæ.—III. In quibus, ut oportuit, horum pontificum tempora ad anteriora promoventur.—IV. Is itaque, quamvis alioqui fide parum dignus, hac tamen in causa, auctorem aliquem secutus videtur minime spernendum.

I. CUM igitur tempora veterum pontificum Romanorum nulla certa ratione, aut apud Græcos, aut Latinos in chronicis aut indiculis hactenus constituta esse reperiantur; nihil omnino hac ætate restat, nisi ut alia chronologiæ ratio investigetur, quæ et historiæ ecclesiasticæ et dictis antiquissimorum Patrum maxime consona videatur: illis clare refutatis, quæ cum discutiuntur stare nullo modo possunt. Et quoniam hæreticorum veterum historica relatio præcipue ad Hygini, Pii et Aniceti tempora, quod Romam spectat, ab antiquis refertur, horum pontificum tempora tum ex priorum, tum ex proxime sequentium temporibus eruenda sunt. Nam si priorum pontificum ætas æquo justius deorsum extendatur, (de qua re maxime querimur,) et sequentium tempora, ut par est, ne usquam hiatus appareat, sursum promoveantur, necesse est ut Hygini, Pii et Aniceti ætas in arctum compingatur, ac pene in nihilum redigatur; præsertim siquis post

Hygini mortem integrum vacationis quadriennium somniaverit.

II. Primo igitur pontificum Hygino priorum tempora limitanda sunt, ut quo anno post martyrium Telesphori ipse ordinatus est, statuatur; dein Soteris ætas eruenda est, ut quamdiu Anicetus vixerit, cognoscatur. Porro si fieri possit, alterius veteris indiculi vestigia quærenda et eruenda sunt, qui illis multo verior et historiæ ecclesiasticæ magis conformis apparere possit. Et sane extat Chronicon a Latino et Græco longe diversum, non diu abhinc editum, et hactenus neglectum. Nempe Said Ebn Batrick, patriarcha Alexandrinus, Eutychius vulgo appellatus, brevem historiam scripsit Arabice ab initio mundi usque ad an. Dom. DCCCCXXXVII. In qua de patriarcharum Romanorum ætatibus clare et distincte agitur, eorumque ordinationes et exitus ad annos imperatorum Romanorum particulatim rediguntur. Hæc Eutychii Historia, dicta نظم الجوهر hoc est, *Contextio Gemmarum*, cum Latina viri doctissimi Edvardi Pocockii versione Oxoniæ edita est an. Dom. MDCLVIII.

III. Cum autem ego vulgarem Romanorum pontificum præcipue priorum chronologiam valde suspectam haberem, eamque ad veritatem historiæ ecclesiasticæ reformandam esse sentirem, idque aliquo modo propria industria præstitisse me putarem; vidi Annales Eutychii aliam priorum Romæ pontificum chronotaxin, et tum a Latinis tum a Græcis insigniter discrepantem exhibuisse, et, quod mihi mirum videbatur, cum observationibus meis ex historiæ monumentis magno labore et diligentia, sine duce, sine comite deductis maxime conspirantem. Unde sua hauserit Eutychius, sane nescio; ab antiquiore aliquo nobis prorsus incognito ea sine dubio habuit, qui annos pontificum cum annis imperatorum ad modum Chronici Eusebiani contexuerat, sed

cum maximo ab ipso principio discrimine, tum in initio pontificatus Lini, tum in annis Anacleti, ex quibus male dispositis reliqui errores apud Eusebium præcipue dimanasse videantur.

IV. Haud equidem ignoro quid hactenus viri docti de Annalibus Eutychianis senserint, eorumque judicium video ex Labbeo recte percipi posse, qui ad calcem Concilii Antiocheni hæc liberrime, ut solet, annotat. " Tam crassi porro tamque frequentes in rebus " præsertim chronologicis errores Eutychianorum An- " nalium hoc apud eruditos lectores hactenus effece- " runt, ut vix unius assis æstimentur, cum ab Socrate, " Sozomeno, Evagrio aliisque probatis Græcis Latinis- " que scriptoribus dissentiunt." Neque ego ab hac sententia multum dissentio. Ut enim in Vindiciis Ignatianis late ostendi [a], erat hic Batricides veteris historiæ valde ignarus, neque cum priorum seculorum scriptoribus ipse decimi seculi scriptor conferendus. Sed non dubito quin auctorem vetustiorem aliquem in chronologicis habuerit quem secutus est. Hujus itaque vestigia eruenda, et in iis temporibus tantummodo premenda esse censui; quorum neque Græcorum veterum neque Latinorum quisquam satis certam notitiam habuisse deprehenditur. In summa, hujus Eutychii auctoritate haud leviter confirmatus, sed observationibus nostris ex historia veteri ecclesiastica petitis præcipue fretus, prioribus Romæ episcopis annos suos, eo qui sequitur modo, in posteriori Dissertatione tribuendos esse putavi.

[a] Vind. Ign. P. i. c. x. p. 171. ed. 1672.

DISSERTATIO POSTERIOR

DE

ANNIS PRIMORUM ROMÆ EPISCOPORUM SIGILLATIM, EX VETUSTIS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ MONUMENTIS, ET RECEPTA ARABUM CHRONOLOGIA RECTIUS DISPONENDIS[a].

CAP. I.

I. In catalogo successionis id imprimis curandum est, ne aut falsi inserantur, aut veri e catalogo excludantur episcopi.—II. Cletus male in catalogum intrusus. Eum non agnovit Ignatius.—III. Non agnovit Irenæus, non Caius, non Eusebius, &c. nec vere Epiphanius.—IV. Sed nec in ecclesia Latina Cyprianus, Optatus, Augustinus, Hieronymus, aliique vetustissimi.—V. Discrepant inter se qui Cletum intrudunt, quo tandem ordine fuerit inserendus.—VI. Gesta Cleti et Anacleti invicem diversa pro arbitrio conficta.—VII. Erroris occasio.

I. IN hac posteriori Dissertatione idem mihi propositum est, quod vetustissimi catalogi auctor sibi proposuit; ut scilicet ostendam "per successionem "quis episcopus et quot annis præfuit, vel quo im- "peratore." Hoc autem fieri non potest, nisi habea-

[a] Hoc lemma reliquimus, ut in editione Dodwelli scriptum reperimus; esse vero Dodwelli, non Pearsoni, arbitror; cum Pearsonus nihil habet de "re- "cepta Arabum Chronologia," neque eo nomine Eutychii rationes dignatus est; quibus neque ullam auctoritatem tribuit, nisi in quantum "ex vetustis ecclesias- "ticæ historiæ monumentis" confirmentur.

mus definitum et certum numerum episcoporum qui in antiquissima successionis tabula repræsentabantur. Nam si aliqua persona admittatur, quæ ab initio in ea non continebatur, aut aliqua inde excludatur quæ ab exordio admissa est, ut manifesta temporum perturbatio inde oriatur necesse erit. Quippe quotcunque anni episcopo extra ordinem inserto tribuuntur, totidem episcopus ille, qui ejus locum occupare debuit, ordine suo detrusus ad inferiora tempora deprimetur, successoresque suos loco suo dimovebit, ac in sequiora tempora pariter detrudet. Et eodem modo quotcunque anni episcopo e vera successionis tabula excluso assignati fuerant, totidem sequens episcopus ad superiora tempora evehetur, successoresque suos secum ad altiorem locum efferet. Quocirca præcipue curandum est, ne episcopi Romani in successionis tabula rite ab initio positi suo loco dimoveantur, et aut per indebitam extranei cujuspiam intrusionem deorsum premantur, aut per injustam veri pontificis exclusionem sursum evehantur. Cujus observationis summa necessitas ab ipso initio statim apparebit.

II. Ac priores quidem quatuor hi passim numerantur, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus; et eorum tempora ad an. Dom. CXI. a Baronio, ad CX. a Petavio et Labbeo extenduntur, gravi, opinor, *ἀνιστορησίᾳ*; utpote quæ vetustissimorum temporum et sequentium rationes prorsus conturbaverit, et plurium errorum in historia ecclesiastica fœcunda mater extiterit. Nam primo, quatuor hi pontifices revera tres tantum sunt; Cletus et Anacletus ejusdem hominis nomen diversimode prolatum. Recte Valesius, " Cletus ex mutilato Anen-
" cleti vocabulo fictus mihi videtur." Verum hoc esse multa sunt, quæ persuadent: et quidem si S. Ignatius idem docuisset, quod vult Halloixius, alio argumento

non egeremus; sed quæ ex Epistola ad Mariam Castabalitin ille adduxit, spuria esse certo cognoscuntur; nec omnino quicquam probant, cum tam Græca, quam Latina nomina in illius epistolæ codicibus MSS. varie legantur. De qua lectionum varietate suo loco dicemus.

III. Nam cum priores Romæ episcopos perspicuitatis gratia per tetradas considerandos esse duximus, in primo omnium quaternione hujus observationis utilitatem maximam perspeximus. Quippe quatuor pontifices post S. Petrum et ante Euaristum vulgo commemorantur, et numerus ille non tantum diserte et ex professo statuitur, sed etiam præfracte a chronologis maximi nominis defenditur. Primus omnium, quos nunc habemus, successionis horum episcoporum meminit rerum ecclesiasticarum curiosissimus indagator Irenæus, apud quem hoc numero et ordine collocantur, "Linus, Anencletus, Clemens," lib. iii. cap. 3. et Clementi mox Euaristus successisse dicitur. Post apostolos igitur et ante Euaristum tres tantummodo Romæ pontifices agnovit Irenæus, qui tanta secundi seculi parte in ecclesia occidentali floruit, et tam frequens cum episcopis Romanis commercium habuit, et Hegesippo harum rerum maxime curioso suppar fuit; a quo denique successionem Romanam, viri tum secundi, tum tertii seculi, tum sequentium temporum doctissimi tanquam certam et indubitatam tam in occidente quam in oriente receperunt. Irenæo consonus est Anonymus, sive Caius, apud Eusebium lib. v. cap. 28. ipsi suppar, et Romanæ Ecclesiæ presbyter, qui adversus Artemonis hæresin sub Zephyrino scripsit. Ille enim Cletum et Anacletum non distinxit, qui dixit Victorem fuisse post Petrum XIII. cum affirmet hæreticos ab apostolis acceptam et conservatam ἀλήθειαν tradidisse μέχρι τοῦ

Βίκτορος χρόνων, ὃς ἦν τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος. Hunc "anonymum" vocat Blondellus, cum constet eum Caium fuisse, eumque ut a Caio distinguat, quem sub Antonino filio Severi scripsisse, dixit Hieronymus, sub Victore ea scripsisse affirmat, quod aperte falsum est. Nam verbis proxime sequentibus, ἀπὸ δὲ τοῦ διαδόχου αὐτοῦ Ζεφυρίνου παρακεχαράχθαι τὴν ἀλήθειαν, idem auctor eosdem hæreticos tradit affirmasse "a Zephyrino Victoris successore adulte-" ratam fuisse veritatem;" quæ verba scribi non potuerunt sub Victore, sed vel sub Zephyrino, vel Zephyrini successore. Præterea cum in prima pericope ab Eusebio excerpta meminisset Theodoti coriarii a Victore excommunicati, in secunda pericope discipulorum ejus meminit Asclepiodoti et alterius Theodoti, qui Natalem presbyterum suæ sectæ episcopum constituerant, qui rediens ad ecclesiam ad pedes Zephyrini episcopi sese abjecit; et rursus in tertia pericope, alios etiam duos condiscipulos addit, Hermophilum et Apollonidem, hosque omnes prioris Theodoti discipulos edidisse tradit varia S. Scripturæ exemplaria, et veritati et sibiipsis contraria. Hæc igitur vel sub extremis Zephyrini temporibus vel paulo post scripta sunt. Et quin idem hic scriptor fuerit qui sub Antonino Severi filio disputationem cum Proculo Montanista iniit, nempe Caius, dubitari non debet. Quamvis enim Eusebius nec nomen auctoris nec libri titulum ex quo excerpta verbatim transcripsit, commemoret, titulum tamen libri cognoscimus μικρὸν λαβύρινθον fuisse. Nam non tantum Nicephorus lib. iv. cap. 20. affirmat τὸν μικρὸν εἰρημένον λαβύρινθον redarguisse absurditatem Artemonis et Theodoti quem beatus Victor depugnavit; sed et Theodoretus Hæreticarum Fabularum lib. ii. cap. 5. trium pericoparum

apud Eusebium summam ex parvo Labyrintho deducit, de Theodoto agens. Parvum autem hunc Labyrinthum Photius codice XLVIII. Γαίου πόνημα agnoscit, τῇ ἀληθείᾳ αὐτοῦ συντεταχότος, "quod revera ille composuit," qui et διάλεξιν contra Proculum Montanistam edidit[a]. Hunc Caium tum Eusebius tum Photius Romanæ Ecclesiæ presbyterum fuisse asserunt. Habemus igitur Romanæ Ecclesiæ alumnum, qui asseruit Victorem episcopum Romæ decimum tertium, adeoque Cletum ex numero pontificum rejecit, fatente Blondello, quique longe antiquior fuit alio quocunque Ecclesiæ Romanæ alumno qui duos nobis Cletum et Anacletum protulit. Neque ille "vestigiis Irenæi institisse" dicendus est, qui cum vir esset doctissimus ut ex ipsius scriptis patet, et in urbe ipsa viveret presbyteratus ordine insignitus, episcoporum Romanorum successionem, eorumque verum numerum, non minus quam Irenæus, cognitum et perspectum proculdubio habuit. Irenæo etiam consentit Eusebius tum in Chronico tum in Historia; et Eusebium sequuntur Græci omnes, Pseudo-Ignatius, qui Græcorum primus post Epiphanium in Epistola ad Trallianos interpolata episcoporum hujus successionis nominatim meminit, Georgius Syncellus, Indiculi Nicephoro patriarchæ tributi auctor, Photius, Nicephorus Callistus: nec, quod ad hanc rem spectat, dissentit Epiphanius, qui tres tantum hic cum Irenæo agnoscit, quamvis Anencletum, Cletum vocet: imo quem Cletum prius vocaverat, postea cum successionem enumerat, Anencletum vocasse videtur. Ὅμως ἡ τῶν ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει τὴν ἀκολουθίαν, Πέτρος καὶ

[a] Eadem fere de Caio annotavit Valesius ad loc. Eusebii. Cui quæ reponunt recentiores quidam critici, nihil habent ponderis. De Proculo, sive Proclo, vid. Euseb. Hist. vi. 20. et supra Dissert. i. c. vii. 4.

Παῦλος, Λῖνος καὶ Κλῆτος, Κλήμης, Εὐάρεστος. Ubi non male Cotelerius καὶ redundare observavit; sed ego potius mendum esse puto, et pro καὶ Κλῆτος legendum esse Ἀνέγκλητος. Ubi enim ea tradit Epiphanius, quæ in Commentariis quibusdam viderat, Cletum appellat; cum autem statim ad sententiam Eusebii redeat, sine dubio eodem nomine Anencletum appellare voluit.

IV. Inter Latinos eundem numerum servant in Africana ecclesia S. Cyprianus, Optatus et Augustinus in Epistola ad Generosum, licet in uno codice Vaticano hæc addantur, "Lino Cletus, Cleto Clemens," ut testantur nuperi editores, cui cæteri MSS. refragantur. Eundem in Gallia Prosper, in Romana Ecclesia S. Hieronymus, et ut diximus Caius; inter Arabas Eutychius; in Ecclesia Hispanica Pseudo-Dexter. Et tametsi veteris catalogi auctor cum secundo catalogo, sive Libro Pontificum, et Pseudo-Tertulliano, Cletum et Anacletum tanquam duos pontifices nominet; Valesius tamen testatur se duos vetustissimos indices sive catalogos vidisse, in quibus nulla fit Anacleti mentio, sed solius Cleti. Quibus concordat ipse Canon Missæ, qui Lini, Cleti et Clementis meminit, nulla Anacleti mentione facta. Nec non vetus Litania Ordinis Romani, "S. Line, S. Clete, S. Clemens, ora pro nobis." Et nuperrime Joannes Mabillon in egregio opere, De Re Diplomatica, specimen scripturæ seculi VI. ex vetusto catalogo Romanorum Pontificum qui in Vigilio desinit, nobis exhibuit:

Petrus sedit annos XX. mens. II. dies III.
Linus sedit an. XI. mens. III. d. XII.
Clytus sedit an. XII. mens. I. d. II.
Climens sedit an. IX. mens. X. d. I.
Euaristus sedit an. VIII. mens. X. d. II.

Ubi nulla mentio Anacleti tanquam pontificis a Cleto

diversi. Idem etiam aliud specimen scripturæ seculi VIII. ex indice affert qui desinit in Joanne VI, et deest, inquit, in illo indice Anacletus. Quod nunc omnibus apparet, postquam uterque index inter Vetera Analecta ab eo editus est, quorum posterior sic incipit:

Linus sedit annos XII. menses V. dies XII.
Cletus sedit an. VIII. mens. II. d. V.
Clemens sedit an. VI. mens. I. d. XIV.
Euaristus sedit an. XIV. mens. III. d. XII.

Viderint igitur qui in breviariis repræsentant Cletum Romanum de regione quinta, Anacletum vero Atheniensem: et qui Martyrologium Romanum tantopere prædicant, quod agit de Cleto Aprilis XXVI. de Anacleto Julii XII.

V. Præterea primi illi scriptores, qui quatuor pontifices ex tribus fecere, de ordine successionis nunquam convenire potuerunt. In Catalogo Bucheriano hoc ordine quatuor recensentur, "Linus, Clemens, Cletus, "Anacletus;" in catalogo secundo et Libro Pontificum alio, "Linus, Cletus, Clemens, Anacletus;" apud Pseudo-Tertullianum rursus alio, "Linus, Cletus, Ana-" cletus, Clemens." Unde apud posteriores Græcos, qui de martyrio Clementis scripsere, nunc τρίτος τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας προέστη scribitur, nunc δεύτερος, ut observat Cotelerius. Qui etiam triplicem lectionem notat in Clementina Epitome, τρίτος, δεύτερος, πρῶτος. Et caute satis Primasius seculi sexti scriptor, in Præfatione ad Commentarios meminit "Clementis discipuli "apostolorum, et post eos episcopi Romanæ Ecclesiæ "ordinati." Nam hæc incertitudo ordinis in successione quarto seculo introducta, et quinto sextoque continuata, magnam confusionem peperit tum in Græcis codicibus ex eo tempore descriptis, tum in eorum versionibus postea factis. Cujus exemplum memorabile

extat in Epistola Pseudo-Ignatii ad Mariam Castabalensem, Ἐπέρχεταί δέ μοι λέγειν, ὅτι ἀληθινός μοι λόγος, ὃν ἤκουσα περί σου, ὅτι οὔσης σοῦ ἐν τῇ Ῥώμῃ παρὰ τῷ μακαρίῳ πάπᾳ Ἀνεγκλήτῳ, ὃν διεδέξατο τὸ νῦν ὁ ἀξιομακάριστος Κλήμης ὁ Πέτρου καὶ Παύλου ἀκουστής. Nam pro hoc Ἀνεγκλήτῳ non tantum in Augustano codice legitur Ἀναγκλήτῳ, in Leicestrensi Ἀνακλήτῳ, sed etiam in Mediceo Λήνῳ vel Λίνῳ legitur. Vulgatus Interpres habet Anacletum, vel Anencletum, vetus Cletum. Ita in uno loco triplex Clementis decessor habetur, Linus, Cletus, Anacletus, ex varia scilicet sententia librariorum aut interpretum. Quamvis igitur de Cleto ab Anacleto pontifice distincto valde soliciti sint Baronius et Blondellus, et nuperrime Heinschenius, his tamen diutius immorari minime necesse est; cum jam viri doctissimi Halloixius, Carolus a S. Paulo, H. Valesius, Cotelerius, et Natalis Alexander per ista duo nomina unicum tantum pontificem intelligi debere doceant.

VI. Neque audiendus est hic Onuphrius, qui nullo pacto audiendos esse vult auctores tam Græcos quam Latinos, qui Cletum cum Anacleto confundunt, quia Cletum ab Anacleto diversum nomine, patre, patria, rebus gestis, mortis tempore et die referunt Damasus et traditio. Nam quæ traduntur de patre, patria et rebus gestis, non sunt a Damaso, sed ab auctore secundi catalogi, sub seculo sexto confecti, nulla historiæ fide aut probabilitate subnixa; et diversitas dierum obitus a martyrologis pro arbitrio excogitata est, ne paparum ullum omitterent; illique cum duos dies quasi duobus martyribus assignassent Aprilis XXVI. et Julii XII. vel. XIII. utroque die alii Cletum, alii Anacletum celebrant: adeo apud eos omnia incerta et confusa. Quis enim putet patrem et patriam, et dies obitus eorum pontificum cuipiam post quadringentos et amplius annos innotuisse, de quibus nihil veterum quis-

quam scripsisse cognoscitur? "Magnum autem," inquit Heinschenius, "nobis videtur pondus adferri ex antiquis "missalibus et breviariis Romanis;" sed ea mihi nullius ponderis sunt; quippe eorum lectiones plerumque ex Libro Pontificali excerptæ sunt, adeoque auctoritatem omnem, siquam habent, ab illo mutuantur.

VII. Hoc tantum addo, quod origo hujus erroris Cletum et Anacletum, tanquam duos pontifices in Catalogo nominandi, hæc mihi fuisse videatur. Cyprianus Irenæum secutus dixerat Hyginum, "qui in "urbe nonus fuit," intelligens Petrum fuisse episcopum primum; illi Latini, qui Irenæana nesciebant, et Linum primum Romæ episcopum numerare solebant, coacti sunt septem distinctos pontifices inter Linum et Hyginum ponere. Quos cum invenire non potuerunt, et Anencletum nomen inusitatum jam ante in Cletum converterant, Cleto Anacletum addiderunt, sicque se numerum, quem Cyprianus exhibuerat, optime implesse putaverunt. Petrum enim tantum cathedram posuisse et in ea sedisse, Linum autem tanquam episcopum primum in ea sedisse docuerunt. Incertus auctor sub nomine Tertulliani, lib. 3.

"Hac cathedra Petrus qua sederat ipse, locatum
"Maxima Roma Linum primum considere jussit:
"Post quem Cletus et ipse gregem suscepit ovilis."

Ex hoc autem ordine Cleto Anacletum adjungit, Alexandrum sextum, Hyginum denique nonum appellat, cum antea Linum primum appellasset. Ubi obiter notanda est magna Baronii hallucinatio, qui cum hanc Tertulliani simiam pro vero Septimio haberi voluit, ad hunc ejus locum statim subdit: "Hæc ille numerans "Romanos pontifices ad Anicetum tantum, quando "opus illud ipse Tertullianus scribebat, quo tempore "Marcion Romam ad Anicetum venit[c]."

[c] Vid. Baronii Annal. tom. i. p. 743.

CAP. II.

I. Intruso Cleto, male collocatur initium Lini.—II. Linus, superstitibus etiamnum apostolis, in sede collocatus, et ante illos etiam mortuus.—III. Idem aliunde confirmatur.

I. JAM vero tempora trium horum pontificum vulgo ultra limites suos deorsum extenduntur, non tantum, quia unius pontificis anni, qui nunquam fuit, a quibusdam Latinis adduntur; sed etiam quia Lini initium cum Eusebio ponunt, ubi finis pontificatus ejus poni debuerat: quod temporis spatium primo male positum, et mox supposititio pontifici additum, immane chronicon *ἁμάρτημα* de quo diximus peperit. Lini pontificatum a morte S. Petri incepisse volunt tum Eusebius et Syncellus, tum Theodoretus ad 2 Tim. iv. tum ex Latinis plerique recentiores, eique annos XI. aut XII. tribuunt, quem, vivo adhuc Petro, Romæ sedisse, nec post ejus mortem in vivis fuisse potius credendum est; aut eodem anno cum eo passum esse, ut vult Onuphrius, aut etiam priori, quod verisimilius est.

II. Nam primo ordinationem Lini ita diserte tradit Irenæus, *Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρησαν.* Vetus interpres, "Fundantes igitur "et instruentes beati apostoli ecclesiam Lino episco-"patum administrandæ ecclesiæ tradiderunt." Non meminit Irenæus mortis apostolorum, aut ut jam præteritæ, aut ut mox secuturæ, cum Linus ordinaretur:

sed cum SS. Petrus et Paulus fundarent Ecclesiam, Linum ei præfecerunt; dum ipsi scilicet in alias regiones transcurrerent. Ut S. Epiphanius Hæresi xxvii. Πλὴν ἀλλὰ καὶ οὕτως ἐδύνατο, ἔτι περιόντων τῶν ἀποστόλων, φημὶ δὲ τῶν περὶ Πέτρον καὶ Παῦλον, ἐπισκόπους ἄλλους καθίστασθαι, διὰ τὸ τοὺς ἀποστόλους πολλάκις ἐπὶ τὰς ἄλλας πατρίδας τὴν πορείαν στέλλεσθαι διὰ τὸ κήρυγμα τοῦ Χριστοῦ, μὴ δύνασθαι δὲ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἄνευ ἐπισκόπου εἶναι· "Veruntamen etiam sic potuerunt alii episcopi con-"stitui, adhuc superstitibus Petro et Paulo; eo quod "apostoli sæpe in alias provincias profecti sint, ut "evangelium prædicarent, Roma autem non potuerit "sine episcopo esse." Eodem modo Irenæum hic interpretor, quo ipse alibi loquitur, lib. iii. cap. 1. Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Vetus interpres, "Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam "edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evan-"gelizarent et fundarent ecclesiam. Post vero horum "discessum," vel (ut in MS. Vossii legitur) excessum, "Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a "Petro annunciata erant, perscripta nobis tradidit." Unde vel oscitantia vel fraus Petavii manifesta est, qui lib. v. c. 5. Rationarii Temporum, "Petro a Nerone," inquit, "interfecto, Romanam Ecclesiam Linus regen-"dam suscepit, ut antiqui scriptores asserunt; quibus "suffragatur vetus Indiculus Romanorum pontificum "Liberii tempore contextus, quem penes nos habe-"mus:" nam inter antiquos eos scriptores numerat Irenæum, qui tamen non "Petro a Nerone interfecto

" Romanam Ecclesiam regendam suscepisse Linum," sed Petrum et Paulum Lino episcopatum tradidisse scribit; et in hac re non Eusebio, sed Irenæo consentire veterem Indiculum certum est, qui Linum mortuum esse tradit Capitone et Rufo coss., hoc est, an. Dom. LXVII. cum Petrus et Paulus passi non sint ante an. Dom. LXVIII. coss. Italico et Turpiliano. Et revera qui, præter Græcos, Linum mortuo Petro successisse volunt, Petrum ipsum passum esse simul tradunt secundo Neronis anno aut circiter, quod ad calculum chronologicum perinde est; nec inde controversia recte institui potest de pontificatu Lini, sed de passione Petri.

III. Secundo, Catalogus Bucherianus notat tempus, quo mortuus est Linus; " Fuit," inquit, " temporibus " Neronis, a consulatu Saturnini et Scipionis usque " Capitone et Rufo:" Capito autem et Rufus coss. fuere an. Dom. LXVII. quo passus esse S. Petrus putatur. Contra hæc disputat Baronius, non ut ex antiquissimo catalogo referuntur, sed ut extant in pontificali, cujus auctor ordinem catalogi pervertit; unde argumentum ejus non contra rem ipsam, sed tantum contra perversionem ordinis in catalogo valet, et Librum Pontificalem ferit, sententiam Eusebii minime confirmat; quod est imprimis observandum. Tertio Eutychius, qui tradit S. Petrum a secundo Caii per XIX. annos sedisse, Linum autem post eum XII. si pro inchoatis non exactis accipiuntur, in idem fere tempus finem pontificatus Lini conjicit: imo Eutychius primo catalogo recte congruit, dum primo ait, وكان لبطرس بعد سيدنا المسيح حين قتل اثنين وعشرين سنة " Occisus est Petrus sub annum XXII. post Domi- " num nostrum Christum." Quippe XXII. annus Eutychii idem plane est cum XXV. catalogi. Tertio enim

ille post consulatum Geminorum anno obiisse Christum ante docuerat, quem passum esse putavit auctor catalogi Geminis coss. Secundo idem Eutychius, وصير بعد بطرس لينوس بطريرك علي رومية اقام اثني عشر سنة ومات "Erat vero post Petrum Linus patriarcha Romæ, "qua functus dignitate duodecim annos obiit." Jam si annos XII. addas annis XXII. Eutychii, sive annis XXV. catalogi, pervenies ad ultimum Neronis annum ineuntem, hoc est, ab an. Dom. LV. quo passum esse S. Petrum uterque credebat, ad an. Dom. LXVII. Capitone et Rufo coss. Quem calculum recte pridem Onuphrius, et nuper Vendelinus, Blondellus, et Heinschenius secuti sunt. Neque eum diu postea superstitem fuisse docet Sixtus Senensis, qui de Lino loquens, "Moritur," inquit[a], "Romæ sub Galba imperatore "anno Christi septuagesimo post expletos pontifica- "tus sui annos undecim, menses tres, dies duodecim." Qui cum esset Onuphrii coætaneus, sine dubio eodem anno cum apostolis sub Nerone obiisse Linum dixisset, nisi prava opinione imbutus fuisset, quod nempe Linus libros duos de agone SS. Petri et Pauli scripserit. Et Chronicon Metense non male, "Nisi tempora pon- "tificatus Lini atque Cleti sub spatio præsulatus "B. Petri comprehenderis, non sibi consone responde- "bunt anni pontificum Romanorum annis imperato- "rum." Hæc observatio de Lino peropportuna est, sed quod ad Cletum spectat, difficultas non aliter recte solvitur, quam ipsum e numero pontificum eliminando, aut in ejus locum Anencletum, a quo male distinguitur, substituendo.

[a] Sixtus Senensis in Biblioth. Sanct. lib. ii. p. 82. ed. Lugd. Scripsit ille A. D. 1566.

CAP. III.

I. Unde ortum habuerit opinio de pluribus Romæ uno tempore sedentibus episcopis.—II. Ita sensere Rufinus et Beda.—III. Plures simul episcopos non agnoverunt vetustiores, Irenæus, Cyprianus, Cornelius, Novatianus, Pacianus.—IV. Nemo ante Rufinum, cui occasionem errandi dedit supposititia Clementis Epistola a se Latine versa.

I. HIC autem observatio quædam ad hæc recte intelligenda, et ab aliorum assertionibus vindicanda prorsus necessaria est. Cum enim tres priores pontifices a morte apostolorum successive in Hieronymiano chronico describerentur, in catalogo autem Romano unus illis tribus additus appareret, et ad breviora tempora quatuor reducerentur in catalogo quam in chronico, (ultimus enim eorum quatuor mortuus est an. Dom. XCV. juxta catalogum, cum trium ultimus vixerit ad annum C. juxta Hieronymum) aliquos ex his quatuor simul ecclesiæ præsedisse nonnulli arbitrabantur; et suas sententias Gestis Pontificum inseruere, ut ex MSS. codd. Libri Pontificalis apparet: in quibus omnibus Cl. Vossius hæc reperiri de Petro testatur: "Hic ordinavit duos episcopos Linum et "Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacer-"dotale in urbe Roma populo supervenienti exhi-"berent; B. autem Petrus ad orationem et prædica-"tionem populum erudiens vacabat." Priora verba aliter ex MSS. refert Blondellus: "Hic ordinavit tres

" episcopos Linum, Cletum et Clementem, ex quibus " Linus et Cletus præsentialiter, &c." pag. 28. Imo Liber ipse Pontificalis, " Clemens ex præcepto B. " Petri suscepit ecclesiæ pontificatum gubernandum, " sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra " tradita vel commissa: tamen in epistola, quæ ad Jaco- " bum scripta est, qualiter ei commissa est a B. Petro " ecclesia, reperias: ideo Linus et Cletus ante eum " conscribuntur, quia ab ipso principe apostolorum ad " ministerium sacerdotale exhibendum sunt episcopi " ordinati." Hæc quidem in Libro Pontificali extant, sed in secundo catalogo non apparent, ut constet non nisi sero addita fuisse.

II. Ille autem qui ista inseruit, occasionem nactus est a Ruffino in Præfatione ad Recognitiones Petri, ubi ait, " Quidam regerunt, quomodo, cum Linus et Cletus " in urbe Roma ante Clementem fuerint episcopi, ipse " Clemens ad Jacobum scribens sibi dicat a Petro " docendi cathedram traditam? cujus rei hanc ac- " cepimus rationem, quod Linus et Cletus fuerint " quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma, sed " superstite Petro, ut illi episcopatus curam gererent, " ipse vero apostolatus impleret officium." Ex his catalogo additis Venerabilis Beda in Vita Abbatum Weremuthensium, duorum abbatum in eodem monasterio præsidentiam hoc argumento approbat: " Nam " et beatissimum Petrum apostolum Romæ pontifices " sub se duos per ordinem ad regendam Ecclesiam " constituisse, causa instante necessaria, tradunt his- " toriæ." Et idem Historiæ Ecclesiasticæ lib. ii. cap. 4. " Successit autem Augustino in episcopatum Lauren- " tius, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne " se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam " pastore destitutus vacillare inciperet. In quo et

" exemplum sequebatur primi pastoris ecclesiæ, hoc est, " beatissimi apostolorum principis Petri, qui fundata " Romæ Ecclesia Christi, Clementem sibi adjutorem " evangelizandi, simul et successorem consecrasse per- " hibetur."

III. Et hæc quidem a posterioribus Latinis excogitata sunt; neque tale quicquam Irenæo notum fuit, ut ex ejus catalogo patet. Imo nec Cyprianus, nec Cornelius, nec Novatianus, duos simul Romæ episcopos ante sua tempora unquam sedisse putarunt. Certe Cyprianus semper unitatem a Petro petit, unitatem autem intelligit sacerdotalem, hoc est, episcopalem, unius scilicet episcopi in una ecclesia præsidentiam. Cornelius, Epistola ad Fabianum, de Novatiano, Ὁ *ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει*, &c. Quod Maximus et reliqui confessores ad Ecclesiam reduces nuper agnoverant his verbis: " Nec enim ignoramus " unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, " quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum " episcopum in catholica Ecclesia esse debere." Cyprianus de Unitate: " Monet Ipse in evangelio suo et " docet dicens, *Et erit unus grex, et unus pastor;* et " esse posse in uno loco aliquis existimat aut multos " pastores, aut multos greges?" Ep. XLI. " Agnoscant " atque intelligant, episcopo semel facto et collegarum " ac plebis testimonio ac judicio comprobato, alium " constitui nullo modo posse." Ep. XLIV. ad Confessores: " Cum vos illic comperissem contra dispositionem Dei, " contra evangelicam legem, contra institutionis ca- " tholicæ unitatem, alium episcopum fieri consensisse, " id est, quod nec fas est, nec licet fieri, ecclesiam " alteram constitui." Ep. LII. ab exemplis Cornelii et Novatiani plene hanc rem explicat: " Nisi si episcopus

" tibi videtur, qui episcopo in ecclesia a sedecim co-
" episcopis facto, adulter atque extraneus episcopus
" fieri a desertoribus per ambitum nititur; et cum sit a
" Christo una Ecclesia per totum mundum in multa
" membra divisa, item episcopatus unus episcoporum
" multorum concordi numerositate diffusus; ille post
" Dei traditionem, post connexam et ubique con-
" junctam catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam
" conetur ecclesiam facere." Inde Pacianus diligens Cypriani lector unum hunc episcopatum " sacerdotium " singulare" vocavit, et Novatiano tanquam principale crimen objecit, quod " sedente jam Romæ episcopo, " adversus fas sacerdotii singularis alterius episcopi sibi " nomen assumserit." Epist. iii. c. 6.

IV. Ita postea cum Constantius tum Felicem, tum Liberium simul Romæ episcopos sedere voluit, populus exclamavit, εἷς Θεὸς, εἷς Χριστὸς, εἷς ἐπίσκοπος, Theodoret. lib. ii. cap. 14. Ita Optatus contra Parmenianum lib. i. " In Africa sicut et in cæteris provinciis, una erat " Ecclesia, antequam divideretur ab ordinatoribus Ma-
" jorini; cujus tu hæreditariam cathedram sedes: vi-
" dendum est, quis in radice cum toto orbe manserit;
" quis foras exierit; quis cathedram sederit alteram,
" quæ ante non fuerat; quis altare contra altare
" erexerit; quis ordinationem fecerit, salvo altero or-
" dinato." Novum igitur erat hoc commentum de duobus aut tribus episcopis simul Romæ præsidentibus, nec veterum cuiquam cognitum; antequam Ruffinus ex Epistola supposititia Clementis, quam uti genuinam verterat, et Romano orbi intulerat, hoc effugium excogitavit, ut merces suas vendibiles faceret. Certe si Linus et Cletus duo episcopi ab initio Romæ simul sedissent, Novatianus nunquam illud argumentum omisisset: nam eadem ratione probare potuerat duos simul

episcopos in eadem urbe admitti posse, qua Beda duos abbates in eodem monasterio; si eo tempore idem tradidissent historiæ. Sed hæc nescivit vera antiquitas. Certe Cl. Salmasius in Apparatu, p. 51. "Ne hunc "quidem Clementem liquet fuisse specialem Romæ "episcopum, ut tota antiquitas credidit." Quod si tota antiquitas Clementem specialem Romæ episcopum fuisse credidit, idem etiam de Lino et Anacleto reliquisque sentiendum est: neque enim quisquam inter antiquos aliter de Clemente quam de reliquis opinatus est. Et nimis jam serum est in rebus Ecclesiæ antiquissimis a tota antiquitate discedere.

CAP. IV.

I. Prædictam de pluribus eandem sedem possidentibus episcopis sententiam in usus suos detorquent episcopalis regiminis adversarii.—II. Commenta Blondelli.—III. Aliter de successione sensit Clemens ipse episcopus Romanus.—IV. Hausit e Libro Pontificali paradoxa sua Blondellus, quem nec ipse tamen bonæ fidei testem agnovit; nec, si agnosceret, causæ suæ favere deprehenderet.—V. Commenta Salmasii ex eodem Libro Pontificali. VI. Mirum est Librum Pontificalem tanti, hac in causa, fecisse utrumque, tam Blondellum quam Salmasium.

I. QUAMVIS hæc de duobus vel tribus episcopis simul Romæ sedentibus tam infirma sint, et nullo veterum testimonio suffulta; multa tamen hinc comminiscuntur viri doctissimi, D. Blondellus et Cl. Salmasius, ad convellendam ordinis episcopalis antiquitatem, quæ hoc loco opportune ad examen revocanda esse duxi. Ac primo quidem Blondellus in Apologiæ Præfatione sententiam suam novam atque singularem de presbyteris πρωτοκληθείσιν, qui reliquis ex ordine et jure præsidebant, tueri et illustrare conatur. Ab initio fere Ecclesiæ antiquioribus in Christo regimen plebis commissum est. Ex illis senioribus, quibus regimen fuerat commissum, ille qui cæteris prior vocatus est, reliquis sui ordinis præfuit quasi presbyterorum præpositus, aut capituli decanus. Penes hunc seniorem presbyterum primæ in presbyteriis cathedræ ac potestatis jus orbe toto fuit. Hanc ille hypothesin ex obscuris quibusdam incerti scriptoris Ambrosiastri

verbis, iisque a mente auctoris aliena expositione detortis, expiscatus est. Et tunc ille, auctori, qui Ecclesiæ tabulas ordinavit primus, " hoc unum propositum" fuisse putat, ut doceret tres primum a Petro, qui Romæ una episcopatu fungerentur, urbicique cleri collegium constituerent, ordinatos fuisse ; hac tamen lege, ut Linum seniorem, ac exinde Clementem proxime adlectum, presbyterii primatus contingeret.

II. Hæc de primi catalogi uno proposito mire philosophatus est, cum illius auctor Linum post obitum Petri sedisse tradiderit. Vult enim Petrum passum esse Nerone et Vetere coss. anno æræ vulgaris LV. Linum sedisse a consulatu Saturnini et Scipionis anno LVI. Hoc tamen uno proposito a mente auctoris Libri illius Pontificalis prorsus alieno animatus Blondellus tandem hanc nobis fabulam proponit : Primo Linus πρωτοχειρηθεὶς, eoque inter collegas senior sedit: proxime ex iis, qui a S. Petro ordinati sunt, adlectus Clemens : Clementi Chersonam deportato successit Cletus a Petro tertio loco ordinatus : Cleto mortuo Anacletus antiquitate proximus successit, post Cletum a Petro ordinatus : Anacleto mortuo, Clemente Chersonæ adhuc hærere jusso, Euaristus ætate proximus ad collegarum προεδρίαν suo loco et ordine evectus est : Euaristi martyrio coronati locum Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus ordine tenuerunt. Hæc Blondellus ex tabulis Ecclesiæ Romanæ hausisse se profitetur, quarum nulla ullam talis prærogativæ prioris ordinationis mentionem facit, aut ullo modo innuit ; cum nemo veterum Linum inter collegas seniorem tradiderit, nemo Clementem aut Cletum aut Anacletum, nemo denique Euaristum suo ordine evectum fuisse dixerit. Putidam illam fabulam de Clemente Chersonæ martyrium passo non tantum amplectitur, sed et amplificat. Vult enim eum an.

LXXVI. Chersonam deportatum esse, et an. XCV. Chersonæ adhuc hærere jussum, ac denique an. Dom. C. Chersonæ passum, atque ita per XXIV. annos in exilio fuisse, quod nemo unquam aut dixit aut cogitavit. Post Clementem reliquos suo ordine promotos esse sine ullo teste, sine ulla verisimilitudine tradit.

III. Hanc quidem ille, sed aliam nobis rationem successionis tradit Clemens Romanus, qui ignorare non potuit quomodo ipse ad episcopatum promotus est, aut qua ratione alii post eum jure successuri erant. Sic enim ille, c. 44. *Καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς· διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν* (MS. *ἐδώκασιν*) *ὅπως, ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης,* &c. "Et apostoli nostri per Jesum Christum "Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de "nomine episcopatus oborituram; ob hanc igitur causam "cum perfecta præscientia præditi essent, constituerunt "prædictos, et deinceps præceperunt, ut cum illi ob- "dormiverint, in eorum munus succederent alii probati "viri. Constitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis "viris celebribus, cum consensu totius Ecclesiæ," &c. Ex his Clementis Romani verbis, non diu post obitum Petri et Pauli, et diu ante mortem Joannis apostoli scriptis, liquido constat ipsos apostolos præscientia futuri ecclesiarum status, et controversiæ de nomine episcopatus orituræ præditos, non tantum episcopos constituisse pro vitæ cujusque spatio ecclesiæ præfuturos, sed insuper in mandatis dedisse, ut quoties ex iis aliquis e vita migraret, alius ei succederet a viris præstantissimis

electus, et a tota Ecclesia cui præfuturus erat comprobatus. Nihil hic de successoris πρωτοκλησίᾳ, nihil de ordine et succedendi jure; de probatione personæ idoneæ et consensu ecclesiæ tantum agitur.

IV. Anacletum post Linum, Clementem et Cletum a Petro ordinatum esse credit, " ex aperto Libro Pontifi- " calis testimonio." Cum nec illius libri testimonium ad fidem in re adeo antiqua satis valeat, nec sit per se satis apertum. Quod non satis valeat illius libri testimonium, habeo mihi ipsum Blondellum consentientem. Cujus hæc verba sunt Apologiæ pag. 221. " Extant sane de Euaristo " hæc in libello pontificali verba, Hic titulos in urbe " Roma divisit presbyteris. Nemo autem nescit longe " post Damasi, cui vulgo adscribitur, tempora, anno " circiter DC. ab Euaristi passione fere D. farraginem " illam ἀδέσποτον, sero natum de re antiquissima tes- " tem, congestam fuisse." Neque vero illius sero nati testis satis apertum est testimonium. Certe locus ille tum in catalogo secundo, tum in Pontificali adeo obscurus est, ut nullum videatur sensum fundere. Scriptor uterque id voluit docere, Anacletum memoriam Petri construxisse; cætera vix intelligas. Primus ita de Anacleto: " Hic memoriam B. Petri construxit et " composuit, dum presbyter factus fuisset B. Petro, " ubi episcopi reconderentur." Recte editores docuerunt, legendum esse " factus certior." Quod ad præsens negotium spectat, unicum illud de quo nunc ago, satis omnes ejus rationes convellit. " Græcos omnes," inquit, " ut et ex Latinis veteribus multos, Cleti et Ana- " cleti nominum affinitas et episcopatuum continuatio " eo compulere, ut ex duobus unum urbis papam con- " flarent." Siccine vero? An nominum affinitas S. Irenæum et Eusebium compulit, ut ex duobus unum papam conflarent? Quis ætate Irenæi, aut etiam Eu-

sebii audivit nomen Cleti tanquam episcopi Romani? Nemo sane. Ex Græcis nemo ante Epiphanium Cletum nominavit, nec post eum Græcorum quispiam. Et fortasse apud ipsum Epiphanium Κλῆτος corrupte legitur, ubi catalogum sic recitat, Πέτρος καὶ Παῦλος, Λῖνος καὶ Κλῆτος, Κλήμης, Εὐάρεστος. Expungendum enim esse καὶ Cotelerius censet; sed fortasse pro καὶ Κλῆτος legendum est Ἀνέγκλητος, ut apud Irenæum et Eusebium, quos Epiphanius sequi solet, scribitur[a]. An continuatio episcopatuum compulit quenquam aut Græcum aut Latinum, ut Cletum et Anacletum pro uno pontifice haberet, cum qui ita senserunt, Eusebium et Hieronymum ejus interpretem sequuti sint? Imo Cleti et Anacleti nominum diversitas sensim introducta compulit Latinorum aliquos ut ex uno duos episcopos facerent, contra vetustissimam successionis tabulam, quam, ut puto, Hegesippus, certe Irenæus habuit. Nec igitur vera sunt, quæ de his quatuor pontificibus tradidit Blondellus; neque si vera essent, novitiam illam de præsidentia et cathedra presbyterorum conjecturam stabilire possent.

V. Ex his primis Romæ pontificibus Cl. Salmasius commentum suum de duobus generibus episcoporum, sive presbyterorum tuetur. "Duum generum," inquit ille de Trapezitico Fœnore pag. 407. "sub apostolis "presbyteri, iidemque episcopi, fuere." Hæc duo genera ita distinguit, ut aliqui essent episcopi sive presbyteri, quorum munus erat orationi et prædicationi vacare; alii, qui sacramenta administrabant, et exhibebant plebi. Hanc distinctionem, omnibus inauditam, auctoritate Damasi, cujus inter episcopos Romanos magnum, nec immerito, nomen fuit, tueri conatur. Sic enim ait, "Damasus in Vita Clementis tradit

[a] Hoc observatum prius, c. i. 3.

" Petrum, cum eum episcopum consecrasset, eique " cathedram et ecclesiam disponendam committeret, " dixisse, Sicut mihi gubernanti tradita est a D. Jesu " Christo potestas ligandi solvendique, ita et ego tibi " committo, ut ordines dispositores diversarum causa- " rum, per quos actus ecclesiasticus profligetur, et tu " minime in curis seculi deditus reperiaris; sed solum- " modo ad orationem et prædicationem populi vacare " stude." Sed quis nescit Damasum nihil horum scripsisse, quæ tanto viro prorsus indigna jam ab omnibus judicantur? " Hæc omnia desunt," inquit Salmasius, " in editione a Sociis Moguntinis procurata, sed le- " guntur in omnibus scriptis codicibus." Fortasse; in codicibus Anastasii, non Damasi. Et nunc quidem in editione Anastasii a Fabroto adornata inter varias lectiones ex MSS. depromptas eadem verba de Clemente extant. Reliqua de Lino et Cleto in Libro Pontificali semper extabant: ut hæc annotatio nihili sit, quamvis a Salmasio sæpe inculcata, ut in Apparatu ad libros de Primatu. Sed et verba ipsa, cujuscunque sunt, neque sensum, quem illis tribuit Salmasius, neque ullum sanum fundunt. An enim potestas ligandi et solvendi ullam similitudinem habet cum potestate ordinandi dispositores diversarum causarum? An unquam memorati sunt dispositores per quos actus ecclesiasticus profligetur? An qui administrabant sacramenta et exhibebant plebi, in curis seculi reperti sunt? Adeo hæc a Salmasii Damaso tradita ab omni ratione remota sunt, ut plura dicere pudeat.

VI. Quæ post argumentum tam infirmum, tam nullum, ex duobus S. Pauli locis, quasi lucem aliquam ab his tenebris accipientibus, affert, ad hoc institutum non pertinent, nisi quia si vera essent, aliquam occasionem sive prætextum inde quispiam formare posset profitendi

similem expositionem Damasi. Nihil enim hic ago, nisi ut ostendam, quam immerito Clementem et Linum et Cletum simul Romæ sedisse dicunt Blondellus et Salmasius, et quam prodigiosas inde conclusiones futiliter eruant. Et sane mirum mihi semper videbatur, quod Blondellus et Salmasius, statim postquam contra episcopos scribere decreverant, in admirationem Damasi prorumperent, et "solis radios" in Libro Pontificali repente perspicerent, et fundamentum sententiæ suæ in illo mustaceo collocarent.

CAP. V.

I. Ad annos trium primorum episcoporum acceditur.—II. Sedem tenuit Linus ab an. Dom. LV. ad LXVII.—III. Corrupta sunt e Platina, hoc in loco, Romana Breviaria recentius edita.—IV. Linum ante apostolos decessisse credidit auctor Constitutionum Apostolicarum.—V. Anencletus ab an. LXVII. ad LXIX.—VI. Non longe inde discedit Heinschenius.—VII. Clemens ad an. LXIX. ad LXXXIII. quo anno Euaristi ingressum ponit Eutychius, cujus inde vestigia premit auctor. Tertius Trajani annus fatalis veterum erroribus. * *

1. HIS prælibatis, et tum presbyterorum *πρωτοκλητῶν* cathedra dejecta, tum duplici presbyterorum genere exploso, tum recto successionis ordine et successorum numero stabilito, anni primorum trium episcoporum Lini, Anencleti, et Clementis, ex sententia Græcorum Eusebio vetustiorum, et Latinorum etiam sic recte mihi digerendi videntur.

II. Cum Petrus et Paulus fundarent Ecclesiam, hoc est, apostolis illis adhuc superstitibus, Linus Romæ episcopus constitutus est, ut docet Irenæus: sedit autem usque ad annum Domini LXVII. jam vergentem, imperii Neroniani XIV. ineuntem, coss. Capitone et et Rufo, ut tradit Catalogus Bucherianus; cui consonant catalogus secundus, Liber Pontificalis, Anastasius et breviaria vetera in quibus hæc verba de Lino conservata erant: "Fuit temporibus Neronis, a consulatu "Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo." Unde Florus Lugdunensis asseruit, "S. Linum tempore

" Neronis martyrio coronatum." Observanda etiam hic sunt quæ Nicephori Chronicon habet ad hanc rem spectantia, Πέτρος ἀπόστολος, ἔτη β'. Λῖνος, ἔτη ιβ'· " Petrus apostolus, annos 2. Linus, annos 12." Cum enim biennium S. Petro, Lino annos 12. tribuit, manifeste respexit imperii Neronis annos 14. et traditionem illam, quæ statuebat Petrum primo Romam venisse circa initium imperii Neronis, ibique sedisse usque ad secundum Neronis annum, coss. Nerone et Vetere. Observandum porro Chronologiam Eutychii primo catalogo exacte congruere, dum primo ait, " Occisus est " Petrus sub annum XXII. post Dominum nostrum " Christum." Quippe XXII. annus Eutychii idem plane est cum XXV. catalogi. Tertio enim ille post consulatum Geminorum anno obiisse Christum ante docuerat, quem passum esse putavit auctor catalogi Geminis coss. Secundo idem Eutychius, " Erat vero post " Petrum Linus patriarcha Romæ, qua functus digni- " tate duodecim annos obiit." Jam si annos XII. addas annis XXII. Eutychii, sive annis XXV. catalogi, pervenies ad ultimum Neronis annum ineuntem, hoc est, ab an. Dom. LV. quo passum esse S. Petrum uterque credebat, ad an. Dom. LXVII. Capitone et Rufo coss. Quare non immerito statui potest, Linum an. Dom. LXVII. exeunte decessisse, anno Neronis XIV. ineunte, quo tempore consules ordinarii erant L. Fonteius Capito et C. Julius Rufus.

III. Cum vero verba illa, quæ modo recitata sunt, in breviariis Romanæ Ecclesiæ antiquis, tam excusis quam manuscriptis legerentur, auctoritate Sixti V. et Gregorii XIII. extrita sunt, fabulis quibusdam ex Platina, et quidem nominato, eorum loco, repositis: cujus nomen proxima correctione authentica pariter extritum est, et quidem prudenter. Nam revera in his Platina toto

cœlo erravit, dum ait, " Linus natione Tuscus patre " Herculaneo, ab ultimo Neronis anno usque ad Vespa- " siani tempora pervenit, a consulatu Saturnini et " Scipionis usque ad Capitonem et Rufum coss." Duo enim hi consulatus sub uno imperio Neronis gesti sunt. Quomodo igitur idem pontifex ab ultimo Neronis anno, et a consulatu Saturnini et Scipionis, qui partim secundo partim tertio Neronis anno consules fuerant, sedere, quomodo idem ad Vespasiani tempora, et ad Capitonem et Rufum, qui ejusdem Neronis partim decimo tertio, partim decimo quarto anno consules erant, pervenire potuit? Hæc sunt ab omni ratione prorsus aliena.

IV. Nimis acerbe Labbeus ad A. C. LXVII. ubi de SS. Petri et Pauli martyrio agit, " Successit S. Linus, " ut quidem doctiores quique chronologi sentiunt, hoc " certe tempore. Nam novatores non moror, qui ut in " cæteris, sic in successione Romanorum pontificum " omnia perturbant." Novatores enim non sunt, nec minus docti, qui veteres tabulas consulunt, et successionem episcoporum cæteraque ad vetustissimorum patrum scripta et ad antiquissimæ historiæ monumenta disponere, simulque errores receptos detegere, et legitimis argumentis refutare conantur. Certe ante apostolos Petrum et Paulum complures, ante Neronem mortuum fuisse Linum omnes pene crediderunt. Constit. Apostol. lib. vii. c. 46. Τῆς δὲ Ῥωμαίων ἐκκλησίας Λῖνος μὲν ὁ Κλαυδίας πρῶτος ὑπὸ Παύλου, Κλήμης δὲ μετὰ τὸν Λίνου θάνατον ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου—κεχειροτόνηται· " Romanorum ecclesiæ primus quidem Linus Claudiæ " filius a Paulo, secundus autem a me Petro post mortem " Lini ordinatus fuit Clemens." Qui dixerunt post mortem Lini a Petro Clementem ordinatum esse, putabant Linum ante apostolorum excessum obiisse.

V. Lino successit Anencletus, ut ostendimus, sedit-

que annos duos. Ita certe Eutychius de Vespasiani imperio agens, " Porro anno imperii ejus tertio patri-" archa Romæ constitutus est Dacletius" (ita Anencletum sive Anacletum nominat) " et cum biennio " sedisset mortuus est." De biennio recte eum scripsisse non dubito; duos enim testes habeo, qui ei in annorum numero diserte consentiunt. Quippe idem tradit vetus auctor Indiculi Nicephoro patriarchæ attributi, quem ita repræsentat prima editio Scaligeri, et secunda editio Parisiensis, Ἀνέγκλητος ἔτη β'. " Anen-" cletus, annos duos;" et utrique editioni consentiunt MSS. codices duo, Oxoniensis et Londinensis. Huic adjungendum est Georgii Syncelli testimonium, cujus hæc verba sunt, Τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος γέγονε μετὰ Πέτρον τὸν κορυφαῖον Ἀνέγκλητος ἔτη δύο. Hoc est, interprete Goaro, " Romanæ Ecclesiæ post Petrum " coryphæum fuit episcopus Anacletus annis duobus." Hæc cum sint ab Eusebianis tantopere diversa atque dissonantia, unde ea habuerit Syncellus nescio, nisi forte ex Africano, cujus brevis Historia a Christo ad sua tempora penitus deperdita est. Cujus nuspiam meminit Eusebius nisi sub imperio Macrini, his verbis in Chronico, " Abgarus vir sanctus regnavit Edessæ, ut " vult Africanus." Unde justa suspicio est fuisse eam brevem Africani Historiam ab Eusebiana valde diversam. Sive autem Africanum, sive anonymum, qui paulo post Africanum scripsit, sive alium aliquem, quem viderunt auctor Indiculi et Eutychius, sequebatur Georgius, eum habemus pro sententia nostra testem locupletem. Quare cum Linus obierit, ut dictum est, an. Dom. LXVII. Capitone et Rufo coss. quod fatetur Heinschenius, sequitur Anencletum mortuum esse an. Dom. LXIX. exeunte, Vespasiani primo, coss. Galba et Rufino.

VI. Mira hæc fortasse videbuntur, iis præsertim qui Cletum et Anacletum duos pontifices faciunt, et Anacletum non statim post Linum, sed demum post Clementem et Cletum sedisse putant. Sed qui Cletum et Anacletum unum pontificem fuisse arbitrantur, et ordinem ab Irenæo positum amplecti volunt, ut certe debent, mirari confestim desinent. Bene Heinschenius, " Si aliqui arbitrentur Cletum præponendum esse Cle- " menti, nolumus funem ea de re contentiosum ducere." Ponatur igitur Cletus, (qui idem est Anacletus, ut probavimus,) post Linum et ante Clementem; cum ipse Heinschenius fateatur Linum obiisse an. Dom. LXVII. et Cleto, quem concedit a S. Petro fuisse ordinatum, anni tantummodo sex in antiquissimo catalogo tribuuntur; sequetur Cletum sive Anacletum an. Dom. LXXIII. obiisse, Vespasiani quinto, solius quadriennii metachronismo.

VII. Anacleto successit Clemens an. Dom. LXIX. exeunte vel LXX. ineunte, seditque ad an. Dom. LXXXIII. Domitiani secundum, Domitiano IX. et Rufo II. coss. Eo certe anno ordinatum esse Euaristum tradit Eutychius, quem jam sequor. Certe Baronii Chronologia hoc maxime confirmatur, quod, ut inquit, " Eusebius ac " cæteri omnes tam Græci quam Latini auctores tes- " tentur Clementem subiisse martyrium tertio anno " Trajani imperatoris," idque " S. Hieronymus firmiter " asseveret, imo et ipse liber de Romanis Pontificibus " aperte doceat." Sed neque Eusebius neque Hieronymus martyrii Clementis meminit[a]; et illa apud Nicephorum Callistum et Martyrologium Bedæ attributum putida fabula est. Auctor Libri Pontificum secutus est Hieronymum, Hieronymus Eusebium, Eu-

[a] Vide quæ adnotavimus in fin. cap. vi.

sebius si forte catalogum aliquem, certissime vitiosum, unde ex sola supputatione tradit Clementem tertio Trajani anno obiisse. Et quidem tertius hic Trajani annus chronologis quasi fatalis fuit; unde errores in historiam varii redundarunt. Scaliger asserit Vitam Josephi ab ipso scriptam esse sub imperio, non Domitiani, sed Trajani: "Nam," inquit, "in ea "Agrippæ regis mentio fit, ut de eo qui adhuc in vivis "non esset. Decessit autem Agrippa anno tertio "Trajani." Certe post mortem Agrippæ Vitam suam scripsit Josephus, sed ante mortem Epaphroditi, cui extremis illius libri verbis Antiquitates suas dedicavit. Occisus est autem Epaphroditus a Domitiano an. Dom. XCV. C. Valente et C. Antistio coss. ut accurate notat Dio. Ante igitur eum annum Agrippa mortuus est. Eusebius ad postremum Domitiani annum in Chronico notavit, eum omnes ex genere David interfici præcepisse, "ut nullus Judæorum regni reliquus foret." Ad quæ verba rursus Scaliger, "Atqui reliquus erat ejus "regni rex Agrippa, quamvis non ex stirpe David, "regnavitque usque ad annum tertium Trajani[b]."

[b] Vidit hoc in loco vir eruditissimus e Photio natam Scaligeri erroris occasionem, cujus proinde verba repetenda duximus atque expendenda. Sic autem ille de Originibus Judaicis a Josephi æmulo Justo Tiberiensi descriptis: *Καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου, ὑστάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασιλεῦσιν. ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ηὐξήθη δὲ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ· τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ, οὗ καὶ ἡ ἱστορία κατέληξεν**. Justo itaque auctore tertio Trajani anno Agrippæ mortem assignavit Scaliger. Nec vidit Criticus alioqui perspicacissimus lectionem illam quæ in Photio hodierno obtinet, a mente Justi esse alienissimam. Quorsum enim attinet tantus ille saltus a Vespasiano ad Trajanum, prætermissis tot intermediis annis atque principibus? Quasi vero si ad Trajanum usque superstes fuisset Agrippa, nullam habuisset in tanta fortuna, seu

* Phot. Bibl. cod. xxxiii.

αὔξησιν, seu ἐλάττωσιν, hic utique commemorandam. Credidit itaque doctissimus pater pro Τραϊανοῦ, reponendum esse τοῦ αὐτοῦ, ut tertio nimirum ejusdem, cujus antea meminerat Justus, Vespasiani anno decesserit Agrippa. Id quod erit sane verissimum si XXIII. annos regni Agrippæ assignemus cum Syncello. Herodem regem Chalcidis VIII. Claudii anno defunctum constat e Josepho sub finem anni, ut videtur, æræ vulgaris XLVIII. vel initium XLIX. In illius locum suffecit Claudius Agrippam, cujus proinde anni ab an. Dom. XLIX. numerandi sunt. DODWELL.

Plura de temporibus Agrippæ huc contulerat Dodwellus. Retinuimus ea quæ videtur vir doctus a Pearsono vivo didicisse. Digressionem bene longam de morte S. Joannis, qui creditur a quibusbam eodem tertio Trajani anno decessisse, lectori consulentes, ne argumenti nos credat oblitos, omittendam duximus.

CAP. VI.

I. Ad Clementis tempora ab Eutychio designata propugnanda propius acceditur.—II. Tria in contrarium argumenta proponuntur. * *

I. SED cum hæc de fine pontificatus Clementis et initio Euaristi a nobis ex Eutychio tradita aliisque testimoniis ad decessores ejus pertinentibus aliquo modo confirmata, non nisi difficillime fidem apud viros doctos inventura prævideam; cumque ea non tantum chronologiæ omni hactenus receptæ adversentur, sed et historiam ecclesiasticam (quam ego sartam tectam hac tota dissertatione conservari maxime cupio) perturbare et convellere haud paucis videantur: paulo latius hic disserendum esse duxi tum de obitu, tum de ordinatione Clementis, tum de iis quæ historice ad ejus pontificatum referuntur, ut vel sic maximum sententiæ nostræ præjudicium tollatur.

II. Tria præcipue sunt quæ ad historiam pertinent, et plerosque si non omnes in eam sententiam deduxerunt, quæ Eutychianæ sive nostræ aperte contradicit. Primum est de Domitilla, cui velamen virginitatis sub extremis Domitiani Clemens dedisse fertur. Secundum de martyrio Clementis, quod Chersonæ anno Trajani tertio sustinuisse dicitur. Tertium de persecutione Domitiani, qua sæviente Epistolam ad Corinthios eum scripsisse volunt.

* * * * *

Summo literarum detrimento periit hujusce Dissertationis pars ista, in qua rationes suas expositurus erat Pearsonus de temporibus Clementis. Habebamus quidem Dodwellum respondentem sigillatim

ad objecta, de Domitilla, de martyrio Clementis et anno martyrii, et de tempore quo scripta sit Epistola ad Corinthios; sed eundem per paginas quadraginta et ultra excurrentem, et argumenti filo vix servato ad alias et incertas quæstiones digredientem. Etenim non possumus aliquando non cogitare de sententia quam protulit J. L. Mosheimius de Dodwello: " Vir ille doctus," ait, " et multæ lectionis, verum præceps et ad extrema semper propendens*." Multa veterum testimonia nimis exquisite tractat; multa concludit, quæ unde sibi comprobata habuerit, nullo indicio constat. Adeo ut Diatriben ejus huic capiti olim annexam in compendium redigere, plura omittere, cætera diverso modo constituere, ne multa a Pearsoni mente aliena immisceamus, plane necessarium arbitrati simus.

I. Flaviam Domitillam, de qua mentionem facit Eusebius in Chronico ad an. Dom. 98, et in Hist. iii. 18. eandem esse ait cum cognomine Domitilla Flavii Clementis uxore, quam Dio, lib. lxvii. 14. testatur, post mariti cædem, a Domitiano in Pandatariam insulam fuisse relegatam. Utrisque vero, et Clementi consulatum tum gerenti, et uxori Domitillæ, atheismi vel Judaismi crimen intentatum, una cum multis aliis, quorum alii vita, alii nummis plectebantur. Hos omnes fuisse Christianos probabile est; atheismi enim nomine atque Judaismi Christianos accusatos fuisse patet ex ipsorum Apologiis. Ita judicat Baronius, ita Dodwellus; ita inter nuperiores Lardnerus, et Reimarus, editor Dionis. Utrum vero Flavia Clementis eadem fuerit cum illa, quam Eusebius, ex auctore Bruttio, diserte vocat Clementis e sorore neptem, licet post Scaligerum affirmaverit Dodwellus, nimis incertum nobis visum est, neque ex identitate nominis determinandum. Quinetiam matronam Flaviam in Pandatariam Dio, juniorem in Pontiam exsulasse ait Eusebius; et post Eusebium Hieronymus, Epist. cviii. 7. qui " cellulas" ibi suo tempore exstantes commemorat, " in quibus illa longum martyrium " duxerat." Sint ergo diversæ, cum possint, sine jactura temporum quæ statuit Pearsonus.

In Martyrologio vero Romano plura habemus de juniore Domitilla, illam " a sancto Clemente sacro velamine consecratam;" deinde " in persecutione Domitiani ob testimonium Christi in ins. Pontiam " deportatam; novissime Tarracinam deductam, cum doctrina et " miraculis plurimos ad fidem Christianam convertisset, jussu judicis " incenso cubiculo, in quo simul cum suis virginibus Euphrosyna et " Theodora morabatur, cursum gloriosi martyrii consummasse."

* De rebus ante Constantin. sec. i. §. 33

Hæc ad Maii vii. Quæ plurima recentioris ævi esse commenta et res ipsa indicat, et inde colligi potest, quod in Venerabilis Bedæ nostri Martyrologio nusquam apparent. Vid. ed. Smith. p. 367. Ipse Beda in Chronico suo Eusebii de Domitilla notitiam exscribit, nihil addit de velamine, nihil de reditu Tarracinam, nihil de martyrio, nihil omnino habet, nisi quæ in Eusebio hodie leguntur. De fontibus vero, unde Beda Martyrologium hauserit, quædam habet H. Valesius in Dissert. de Martyrolog. Romano, et Pearsonus infr. c. vii. 5. Genuinum opus a Flori additamentis summa accuratione discriminat Smithius in edit. sua, Cantab. 1722.

De isto quidem " sacro velamine" multa congessit Baronius; sed inter scriptores ecclesiasticos, quos adhibet, nemo ante S. Ambrosium virgines ab episcopo velatas commemorat. Vid. S. Ambr. de Virg. lib. iii. 1. Exhort. Virg. c. vii. 42. Cætera ex Gelasii P. R. Epist. ad Episc. Lucan. c. 12. ex Hieronymo et Augustino, seriora omnia, quam quæ hanc consuetudinem ex Ecclesiæ primordiis receptam esse convincant. Nondum invaluisse, quum scribebant Tertullianus, Cyprianus, et Origenes, arguit ipsorum silentium, ubi expectanda erat velaminis induendi mentio. Tertull. de Virg. Veland., Cyprian. de Habit. Virg., Origen. contr. Cels. vii. p. 365. Comment. in Rom. lib. x. 17. et 20. Quinetiam ex Tertulliano patet, comarum dispositione et habitu ad matronas converso, non velamine sumpto, illius ævi Deo devotas virgines se distinxisse: velandi se legem docet ille omnibus fœminis fuisse unam; et qui alibi queritur de secularibus, quod aperta fronte " adversus virgines Dei" insurgerent, alibi et virgines sacras reprehendit, quod in ecclesia se " ante Deum " denudarent." (De Virg. Veland. c. 3. De Orat. c. 22. ed. Routh.) Ut vero Tertullianus vultum " obumbrare," ita Clemens Alex. *τὸ πρόσωπον ἐπεσκιάσθαι* ait fœminis Christianis injunctum; quod interpretatur Scholiastes nuper a Klotzio editus; *κεχαλασμένῳ τῷ κεκρυφάλῳ ἐπισκιάζουσι τὸ πρόσωπον, ὡς μὴ προχείρως ὁρᾶσθαι, καὶ ἀνεμποδίστως βαδίζειν ἢ ὁτιοῦν ἄλλο πράττειν, ἃ κατακεκαλυμμένου τοῦ προσώπου οὐκ ἔστι ποιεῖν.* Ubi in posteriore clausula Constantinus Schinas legere proponit *ἐκκεκαλυμμένου* vel *ἀποκεκαλυμμένου*. Sed non intellexit, Scholiasten vetustiorum virginum velamen a recentiorum monialium cucullo distinguere. His enim præceptum erat *τὸ πρόσωπον κατακεκαλυμμένον* gerere, *κάτω νεῦον*, ut videre est apud Auctor. Tract. de Virg. in App. Athanas. i. 1050. b. ed. Colon. Confer Theodoret. de Marana et Cyra. Relig. Hist. c. 29.

At respondeat aliquis, Etiamsi Martyrologium ex serioris ævi

more recepto ritum consecrandi descripserit, non tamen inde sequitur nullam omnino fuisse consecrationem vel professionem. Imo vero, ipsa illa consecratio ex serioris ævi institutis orta est. Concedimus, etiam nascente Ecclesia, complures exstitisse utriusque sexus, qui apostolicum consilium sequuti sanctimoniam in cœlibe vita sibi elegerint; ut patet ex S. Ignatii Epist. ad Polycarp., ex S. Justini Apol. i. c. 15. et ex ipso, de quo hæc quæstio est, S. Clemente, in Epist. ad Cor. c. 38; ut nihil dicamus de Epistolis ad Virgines, proximo seculo a Wetstenio Syriaca Versione editis, quas aliqua ex parte Clementem referre ex Epiphanii et Hieronymi testimoniis credibile est; neque enim satis firmis argumentis eas omnino spurias pronunciavit Lardnerus. Illæ vero canonicæ in primæva Ecclesia virgines, ut ad Cyprian. Epist. iv. notant Rigalt. et Fellius, nullo voto adstrictæ, nulla publica professione facta, animi tantum proposito se Christo dicaverunt; apud parentes plerumque custoditæ remanserunt, aliquando fortasse in collegia viduarum vel inter diaconissas receptæ; nulla enim adhuc fundata erant monasteria, ubi fœminæ sub regula congregarentur. Vid. S. Ignat. ad Smyrn. c. 13. Tertull. de Vel. Virg. c. 9.

Deest igitur omnino ratio, quæ Martyrologio in hac re fidem faciat. Cætera autem ex medio fabularum acervo, de martyrio Domitillæ cum virginibus suis Euphrosyna et Theodora, quarum nomina Hieronymus ne fando quidem audierat, non opus est persequi; cum parum inde profici possit ad tempora S. Clementis determinanda.

2. Quod vero objicitur de martyrio S. Clementis, quod Chersonæ, sive in Chersoneso Taurica exsulanti contigisse referunt Acta Martyrii, id planissime inter fabulas recensendum agnoscunt omnes hodie viri κριτικώτεροι. Clementem martyrem fuisse omnino parum constat, nec credidit Pearsonus; (vid. supr. Dissert. i. c. iv. 2.) cum neque Irenæus, nec Clemens Alexandrinus, qui verba ejus sæpius exscribit, eo nomine appellat; (at veteres, ait Dodwellus, "quoties martyrem testem advocant, id solent notare plerumque "diligentissime;") nec sane Eusebius; quamvis id suspicatur Dodwellus in mente fuisse Eusebio, ut martyrem eum credi voluerit, nulla alia causa, nisi quod tertio isto Trajani anno narrat ille Clementem decessisse. Id vero nihili est. Martyrem primus disertis verbis nominat Rufinus, Apol. Origen. i. 778; deinde Zosimus papa, Epist. ii. 2. "fidem" ait "martyrio consecrasse." (An legend. "consignasse?") Post hos Concil. Vasense I. A. D.

442. Gregorius Turonensis De Glor. Martyr. i. 50. et alii. Verissime autem de Turonensi observat vir in historia ecclesiastica optime versatus, " scriptores, hoc genus, quum Vitas Sanctorum " describunt, eodem vitio laborare, quo imperiti tragœdiarum con- " ditores, qui nihil sibi efficere videntur nisi heroum personas " violenta morte conficiunt *." De testimoniis priorum tenendum quod notavit Rem. Ceillier, martyris appellationem aliquando iis tributam esse, qui aliquid pro Christi passi fuerant, licet cruciatibus interempti non fuissent. Ita, ut modo vidimus, Hieronymus locutus est de exsule Domitilla, quasi " longum martyrium" sustentante. Ita idem intelligendus, ut opinor, in Comment. Isai. lxiv. ubi S. Irenæum inter martyres adnumerat. Ita certe Theodoretus, Hist. i. c. vi. de episcopis ex recenti persecutione ad Concil. Nicænum congregatis, *ἦν ἰδεῖν δῆμον μαρτύρων συνηθροισμένον.* Adhuc latius Clemens Alex. Strom. iv. p. 570. *Πᾶσα ἡ καθαρῶς πολιτευσαμένη ψυχὴ μετ' ἐπιγνώσεως τοῦ Θεοῦ, ἡ ταῖς ἐντολαῖς ἐπακηκουῖα, μάρτυς ἐστὶ καὶ βίῳ καὶ λόγῳ, ὅπως ποτὲ τοῦ σώματος ἀπαλλάττηται.* At satis est si in altero sensu accipimus Rufinum et Zosimum, quemadmodum intellexit Gottfr. Lumper. in Hist. Theol. Crit. i. p. 16: vix enim credendum est Clementem, Pauli adjutorem, qui nullum in evangelio laborem recusabat, persecutionis omnino immunem perstitisse †. Quæ ratio etiam melior est, quam Dodwelli et Gul. Wakii, archiep. Cantuar. quibus visi sunt hi scriptores Clementem consulem cum pontifice confudisse.

3. Restat tertia objectio de tempore quo scripta sit illa ad Corinthios Epistola. Tillemontius et alii plures sub Domitiano arbitrantur scriptam: Pagius, Dodwellus, Grabius, et inter nuperos Gallandius, Neronis persecutione desinente, proxime post apostolorum Petri et Pauli martyrium. Nec multum discrepat judicium Florii, qui refert ad ann. Dom. 69. post motus civiles compositos, et

* R. W. Evans. Biogr. of the Early Church, i. 248.

† Bonifacius, sive Winfridus noster, archiepiscopus Moguntinus, ipse postea martyrio coronatus, nescio quid fama acceperat, seculo octavo, de Clemente. " Ecclesia," ait, " quæ velut navis " magna per mare mundi hujus ena- " vigat, quæ diversis tentationum fluc- " tibus tunditur, non est tamen relin- " quenda, sed regenda. Cujus rei in " exemplo priores habemus, Clemen- " tem, et Cornelium, et cæteros com- " plures, in urbe Roma, Cyprianum in " Carthagine, Athanasium in Alexan- " dria, qui sub paganis imperatoribus " navem Christi, docendo, defendendo, " laborando et patiendo usque ad san- " guinis effusionem, gubernabant." Epist. LXXIII. ad Cuthbertum Cantuar. Parum accurate Athanasium nominat inter episcopos qui sub paganis imperatoribus gubernabant. Deinde, cum neque Cornelius neque Athanasius inter martyres, sed inter confessores locum habent, idem fortasse intelligi voluit de Clemente.

imperium ad Vespasianum recens translatum, stante adhuc templo Hierosolymitano. Et stetisse quidem templum eo usque dum scripserit Clemens, credidit Dodwellus, quod in Epist. c. 40, 41. loquitur " de templi officiis, quasi adhuc in usu essent," et de urbe Hierosolymitana, quasi " nec primis belli initiis agitata." At bene notat Florius, " Tout ce discours n'est qu'une comparaison ; et il " est assez ordinaire dans les comparaisons de proposer les choses " comme présentes, quoique passées." Nobis videtur Clemens ibi ideo tantum loqui de institutis Veteris Testamenti, ut Ecclesiæ Christianæ regimen et cultus ordinem necessarium doceat, neque omnino respicere ad statum Judæorum sub Nerone vel Vespasiano. Nec quidquam certi afferri posse crediderim ex internis Epistolæ notis, unde tempus scriptionis determinetur. Nam quæ ex adverso urgentur, quod in c. 44. innuitur episcopos quosdam jampridem *ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν*, non omnes ab apostolis, constitutos, et quod in c. 47. Corinthiorum Ecclesia vocatur *ἀρχαία*, nihil valent ut credamus hæc sub Domitiano potius quam sub Vespasiano scripta. Bene confert Dodwellus Act. xxi. 16. *Μνάσωνα, ἀρχαῖον μαθητήν*. Et *ἀρχαίαν* certe potuit Clemens vocare Corinthiacam Ecclesiam, ubi erat *domus Stephanæ ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας*, et unde Fortunatum sibi remitti postulat, eundem proculdubio qui D. Paulo una cum Stephana et Achaico ministraverat. c. 59. Illi vero *ἄνδρες ἐλλόγιμοι*, quales erant Timotheus, Sylvanus, Titus, et alii, quibus Paulus adhuc superstes auctoritatem apostolicam delegaverat, potuerunt et alia *quæ deessent corrigere*, et episcopos, ubi opus esset, creare. Nisi ergo validiora sint quæ objiciantur, placet Florii sententia, quam prior protulit Is. Vossius in Epist. ii. ad Blondellum ; qui " uno aut " altero anno ante eversam Hierosolymam scriptam esse," ait, " istam " Clementis Epistolam." Idem censuisse Pearsonum vidimus, supr. c. iv. 3.

Ad summam tamen fatendum est, Irenæus, cujus testimonium præcipue pro antiquitate et viri dignitate respiciendum, videri potest de Clemente locutus, ut qui apostolis diutius mortuis in episcopatu superfuerit. Verba ejus pensitent, quibus curæ sit hanc quæstionem penitius introspicere. Difficultates alias, quæ non solum criticos modernos, sed et veteres torsere, ut patet ex Epiphan. Hær. xxvii. 6. nos quidem, quoniam duce Pearsono destituimur, in medio relinquimus.

CAP. VII.

I. Euaristus sedit ab an. Dom. LXXXIII. ad an. Dom. XCI.—II. Alexander ab an. Dom. XCI. ad an. Dom. CI.—III. Acta Alexandri non sunt sincera;—IV. Neque antiqua:—V. Sed potius nova, nec ante VII. seculum scripta.—VI. Xystus sedit ab an. Dom. CI. ad an. Dom. CXI.—VII. Qui post obitum S. Joannis apostoli pascha *ἀναστάσιμον* instituisse videtur.—VIII. Telesphorus sedit ab an. Dom. CXI. ad an. Dom. CXXII. quando gloriose martyrio coronatus est.

I. SEQUITUR secunda episcoporum tetras, et quidem integra; Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, de quorum numero aut ordine nulla lis. Apud Optatum deest quidem Alexander; sed vitio, ut opinor, librarii; Augustinus enim, qui Optatum sequitur, eum non omittit. Horum tempora eo modo disponenda sentio, quo apud Eutychium digesta reperiuntur. Ille autem de imperio Domitiani agens, في سنتين من ملكه صير اورسطس بطرك علي روصية اقام ثمان سنين ومات "Anno," inquit, "imperii ipsius se-"cundo constitutus est Euaristus patriarcha Romæ; "ubi cum octo annos sedisset, mortuus est." Hæc Eutychius, qui de numero annorum, quibus sedit, a Græco catalogo non dissentit. Sedit igitur Euaristus ab an. Dom. LXXXIII. coss. Domitiano IX. et Rufo II. usque ad an. Dom. XCI. coss. Trajano et Glabrione;

hoc est, ad Domitiani annum decimum. Unde obiter observandum, quanta fides Martyrologio Romano Baronii adhibenda sit, in quo ad XXVI. Octobris scriptum est, " Romæ S. Euaristi papæ et martyris, qui Dei " Ecclesiam sub Hadriano imperatore suo sanguine " purpuravit." Cum Liber Pontificum XI. Trajani, Eusebius XII. catalogus tertius Trajani III. eum decessisse tradat: neque veterum quisquam ad Hadriani tempora pervenisse doceat. Imo Breviaria antiqua, et illud etiam a Sixto V. editum, " Euaristus Græcus, ex Ju- " dæo patre, Domitiano, Nerva, et Trajano impera- " toribus, pontificatum gessit." Sed ex recognitione Clementis VIII. et Urbani VIII. post editos Baronii annales, Domitiani et Nervæ nomina expunguntur; nomen Trajani remanet, Hadriani non adhibetur. Caute satis! quia proximus papa Alexander in Breviario, sub Trajano Ecclesiam gubernasse, etiam post decretum concilii Tridentini, dicebatur. Et Pseudo-Isidorus, qui duas spurias epistolas Euaristo tribuit, primam datam vult Valente et Vetere coss., hoc est, A. D. XCVI. ante mortem Domitiani; alteram, Gallo et Bradua coss., hoc est, A. D. CVIII. Trajani undecimo. Illum scilicet Euaristi primum, hunc ultimum, ex tabulis Romanis hausit, et epistolis, ut solet, tanquam primum, et postremum pontificatus annum affixit. Quæ autem nostrum calculum ex Eutychii annalibus conscriptum proprie confirmant, ad finem hujus tetradis referuntur; ubi ea argumenta ex historiæ monumentis afferentur, quæ aliorum errores circa horum quatuor pontificum tempora clare et abunde refellent.

II. وفي عشر سنين من ملكه صير الاسكندرس بطريرك علي رومبه اقام عشر سنين ومات " Anno imperii Domitiani " decimo patriarcha Romæ factus est Alexander, qui ibi

" decem annos sedit, dein mortuus est," inquit Eutychius. Sedit igitur Alexander ab an. Dom. XCI. Trajano et Glabrione coss. usque ad an. Dom. CI. Trajano VI. et Pæto coss. Et quidem Martyrologium Romanum tradit Alexandrum papam Maii tertio sub Trajano passum esse; sed pro Trajano Hadrianum substituit Baronius, cum tamen ipse liber pontificum sub Trajano eum decessisse tradat, cum Breviario et Martyrologiis, quæ veterem catalogum sequuntur; et catalogus tertius Trajani XIV. In antiquis omnibus MSS. et editionibus Romani Breviarii, teste Heinschenio, et in editione ex decreto Concilii Tridentini et Pii V. jussu facta, anno Domini MDLXXXIV. Alexander sub Trajano gubernasse dicitur. Sed postea ex arbitrio Baronii pro Trajano Hadrianus substitutus est, et nunc ex auctoritate Clementis VII. et Urbani VIII. error ille manifestissimus, etiam a viris Romanæ Ecclesiæ eruditis agnitus et reprehensus, retinetur. Dicit quidem Baronius ibidem se Alexandri martyrium sub Hadriano contigisse in Annalibus pluribus demonstrasse [a]; sed ne unum quidem argumentum illic affert; et Acta quæ id ipsum profiteri ait, contrarium plane profitentur, Alexandrum enim sub Trajano passum esse tradunt: eaque in Annalibus nimia antiquitate mendosa esse fatetur; unde eum castigat Heinschenius, qui errore alio, nec minori, eadem Alexandri acta deprædicat tanquam illustria et ob suam antiquitatem veneranda, et plane sincerissima et integerrima: unde et ex iis chronotaxin decessorum et successorum pontificum stabilire conatur. Neque dubitandum est, quin Acta vetustis catalogis consenti-

[a] Vide Baronii verba in Martyrolog. p. 299. ed. Colon. 1610. Pearsono consentit vir in antiquitate sacra bene versatus, Joann. Smith Dunelmensis, in not. ad Bedæ sui Martyrolog. Maii iii. p. 365.

ant; non tamen puto cum Heinschenio ea sincera esse, quia isti catalogi veri non sunt, et ad eorum normam conformata sunt Acta.

III. Priusquam igitur de tempore pontificatus Xysti quicquam statui recte poterit, de sinceritate et antiquitate horum Actorum disserendum: præcipue cum tantopere iis confidat Heinschenius. Quod ad sinceritatem attinet, an ea Acta sincerissima dici debeant, quæ tradunt episcopum Romanum sub imperio Trajani " senatorum maximam partem convertisse ad Domi- " num?" Nonne hoc tam aperte falsum est, ut qui hoc asserit, fidem mereri in aliis non potuerit? An illa Acta pro sincerissimis haberi debent, quæ sub Trajano nobis repræsentant " præfectum urbi," nescio quem, " Hermen " vel Hermetem, cum servis suis MCCL. cum uxoribus et " filiis eorum, ad fidem conversum, servosque omnes " confestim libertate donatos, imo ingenuos esse fac- " tos?" An illa Acta adeo sincera sunt, quæ Euentium quendam presbyterum proponunt, qui " cum esset " viginti annorum presbyter ordinatus est," (ipsis apostolicis temporibus, secundo vel tertio Neronis anno,) et Alexandrum passum esse dicunt, cum esset annorum XXX. adeoque cathedram Petri occupasse cum fuisset annorum XXII? Quis enim feret, ut Blondellus recte observavit, " venerabili Ecclesiæ toto orbe celeberrimæ " presbyterio juvenculum circa annis XXII. præditum " caput tunc datum fuisse?" An illa Acta pro sincerissimis habenda sunt, quæ docent Xystum Alexandri successorem ipso statim initio imperii Hadriani, in via Numentana in prædio Severinæ " ordinasse episcopum, " qui omni die quæ sunt sancta martyribus celebraret?" An credibile est Trajanum " utriusque militiæ Comi- " tem" (si quis ea dignitate præditus ipsi adfuisset) in Occidentem mittere voluisse "ad interfectionem omnium

" Christianorum," eo ipso tempore quo omnia in Oriente retro relapsa sunt, exercitus fusi, duces occisi, aut a Judæis ubique pressi ? Non hæc vera, non sincera, sed potius ficta et falsa omnia, nec tam " mendosa" quam mendacia esse videantur. Idque nos decet profiteri, qui apud antiquissimos legimus, quid paulo ante ad Plinium, quid paulo post ad relationem Tiberiani rescripserit, feceritque.

IV. Ad antiquitatem horum Actorum quod spectat, quam volunt esse venerandam; certe quicunque antiquitatem ipsam venerandam esse putant, nunquam aut hæc aut his similia antiqua esse largientur. Laudem primævæ antiquitatis ipse Actorum auctor respuit, indicatque ea omnia quæ tum gesta esse narraverat, diu postea a se scripta fuisse: quamdiu postea, non immerito quæritur. Heinschenius ea proponit " ob suam anti- " quitatem veneranda utpote ante persecutionem Deci- " anam seculo tertio conscripta." Sed quo argumento tanta antiquitas iis vindicatur? Nempe quia legitur in Actis, " Ideoque locus ipse habet proprium sacerdotem " usque ad hodiernum diem." Nimirum primo supponit sacerdotem hoc loco significare episcopum, secundo eum fuisse episcopum Nomenti; sed utrumque improbabile est. Primo quia sacerdos qui ad eum remansit, opponitur episcopo, qui primo ordinatus est; nec potuit esse episcopus Nomenti, erat enim tantummodo proprius sacerdos illius loci, hoc est prædii Severinæ. Ratio utcunque sic procedit; " Quandoquidem non est veri- " simile, quod sub S. Sylvestro habuerit locus ille " episcopum, verisimile fit, hæc Acta esse scripta seculo " tertio in ea Ecclesiæ pace quæ Decii persecutionem " præcessit." Nihil hic nisi verisimile præfertur, et hoc verisimile tantummodo ex alio non verisimili deductum. Idque tandem desinit vel in Deciana vel

Diocletianea persecutione. In confesso igitur est, quicquid Alexandro episcopo contigit, id omne centum et viginti aut septuaginta annis factum, antequam hæc Acta scriberentur; unde magna pars venerationis veræ antiquitati debitæ deteritur.

V. Mihi autem alia argumenta suppetunt quibus recte probari puto, Acta hæc non ante Decianam, vel ante Diocletianeam persecutionem esse conscripta. Quirinum tribunum, ut Acta referunt, " Christiani in " via Appia sepelierunt in cœmeterio Prætextati[b]." At hæc Actorum auctor scribere non potuit ante obitum Prætextati. Ille autem non ante Diocletianeam persecutionem, sed in ipsa sub Maximiano passus est. Nominant Acta Aurelianum " Comitem utriusque " militiæ;" quisquis autem ille fuit, eo titulo describi non potuit, antequam talis titulus inventus est, hoc est antequam magna formæ reip. Romanæ mutatio per Constantinum facta est, post quem tandem Comitatus rei militaris mentio sæpe fit. Hanc Comitatus dignitatem durasse notat Heinschenius ad tempora Arcadii et Honorii, quod nemo negat. Sed ad suam sententiam propugnandam ostendere debuerat, summam illam dignitatem sub imperio Trajani, aut saltem ante persecutionem Decianam, in usu fuisse. Denique non tantum post primum catalogum et primævum Martyrologium Romanum, in quibus nulla harum rerum memoria est; sed et post catalogum secundum, nec ante septimum seculum scripta hæc Acta fuisse puto. Scripsit ad Gregorium Magnum sexto seculo exeunte Eulogius patriarcha Alexandrinus, petiitque ut sanctorum mar-

[b] Hæc exstant in Martyrolog. Bedæ secundum ed. Colon. tom. iii. p. 302. Nihil de Quirino genuinus Beda. Vid. Smith. ed. p. 363. Florus aliquid de Quirino episcopo et martyre, non tribuno; Baronius nihil omnino.

tyrum Gesta ab Eusebio collecta ad se transmitteret. Respondit Gregorius lib. vii. Ep. 29. se adhuc nescivisse, an ea ab Eusebio collecta fuerint. " Præter illa enim," inquit, " quæ in ejusdem Eusebii libris de gestis sanc- " torum martyrum continentur, nulla in archivis hujus " nostræ ecclesiæ, vel in Romanæ urbis bibliothecis " esse cognovi, nisi pauca quædam in unius codicis " volumine collecta." Hoc igitur tempore nullum Martyrologium vel sub Eusebii, vel sub Hieronymi nomine Romæ extabat[e]. Interim quale fuerit quo Romani utebantur, sic describit; " Nos autem pene " omnium martyrum distinctis per dies singulos pas- " sionibus collecta in uno codice habemus nomina, " atque quotidianis diebus in eorum veneratione mis- " sarum solennia agimus. Non tamen in eodem volu- " mine, quis qualiter sit passus indicatur, sed tantum- " modo nomen, et locus, et dies passionis ponitur." Cum jam Gregorius codicem Romanum tam diserte explicuisset, in cæteris ecclesiis occidentalibus ad eam amussim conformata sunt Martyrologia, et plerumque sub Eusebii vel Hieronymi nomine edita. In his Martyrologiis, die tertio Maii hæc legebantur; " Alex- " andri, Euentii, et Theodoli; vel, " SS. Alexandri, " Euentii, et Theodoli;" vel, " Romæ natalis Ebenti, " Alexandri, Theodoli." Hæc secundi catalogi auctor sub initio septimi seculi statim arripuit, et ad Alexandrum primum Romæ episcopum retulit. Unde secundus catalogus in Gestis Alexandri papæ hæc habet, " Mar- " tyrio coronatus cum eo Euentius presbyter et Theo- " dolus diaconus." Quæ cum brevissime scripta essent, in secundo catalogo, demum eodem septimo seculo, ex zelo pietatis isti ætati convenientis in Acta hæc omnibus

[e] Confer Valesii Dissert. de Martyrolog. Romano in App. ad Eusebii Version. Latin. Paris. 1677. p. 23.

circumstantiis et loci, et temporis, et personarum vestita prodierunt.

Hanc ego legitimam horum Actorum antiquitatem fuisse sentio, si modo antiquitas potius quam novitas dicenda sit, qua auctor ignotus mira quædam et plane incredibilia de Alexandro, ante quingentos annos denato, tradidit; et simul etiam largior Martyrologiorum confectores ex his Actis sua hausisse, sive Bedam seculo octavo, sive Rabanum et Adonem seculo nono, aut etiam Notkerum. Cum enim constet eorum Actorum exemplaria per occidentem ubique fuisse dispersa, ex illis omnino excerpta fuisse par est credere, quæ hi martyrologi breviter tradiderunt; præsertim cum ea talia sint, qualia aliunde habere nullo modo potuisse videntur. Nec igitur Actorum horum exemplaria ante sexcentos annos scripta, nec Martyrologia ante octingentos aut nongentos forte annos ex antiquioribus exemplaribus desumpta probant horum auctorem ante septimum seculum vixisse. Et quamvis Eutychius post eum scripsit, ea tamen chronologiæ suæ non intexuit quæ sunt ab omni ratione aliena. Sub eodem quidem imperatore Alexandrum obiisse narrat, sed multo maturius, adeoque verius, quod proximo capite demonstrabitur.

Interim omittenda non sunt quæ nuperrime[d] scripsit in nova sua Collectione Conciliorum eruditissimus Baluzius, qui ut operi suo τηλαυγὲς πρόσωπον apponeret, sic incipit,

"CONCILIUM SICULUM
"habitum circa annum Christi CXXV."

[d] Baluzii Nova Collectio primum prodiit A.D. 1683. Videnda sunt quæ exscribit Pearsonus, in tom. i. p. 3. Libellum istum de Hæresibus edidit Sirmondus, Paris. 1643. Exstat in Gallandii Biblioth. tom. x. p. 357.

Hoc concilium celebratum fuisse vult, et an. Dom. CXXV. et sub pontificatu Alexandri. Quæ si vera sint, nostra chronologia admitti nullo modo potest, quæ docet Alexandrum XXIV. annis antea obiisse. Sed hæc aut vera esse aut verisimilia nemo concedet, qui noverit quam inidoneus auctor sit ille, a quo hæc Baluzius hausit, ad fidem de tam antiquo concilio Siculo, cujus nulla apud veteres memoria extat, faciendam; et simul reputaverit, quantum res ipsa ab illo tradita ab omni antiquitate discrepet atque dissentiat. Nam primo unicus hujus inauditi alias concilii conditor et inventor est anonymus nescio quis Libri Categorici de Hæresibus auctor, Hyginus perperam ab Hincmaro dictus, quod ex Hygino nescio quo multa descripsit, (quem forte Hyginum papam credi voluit,) ab aliis Primasius ex inani conjectura cognominatus; qui cum Prædestinatorum Hæresin publicare instituerat, omnium hæreticorum in unum librum sectas collegit, ut scirent Prædestinati ipsum cunctis hæresibus adversari. Secundo, historia ipsa quam narrat plane incredibilis est. Post Ptolemæum, Marcum, et Colarbasum, Augustini methodo usus, Heracleonem nominat decimæ sextæ Hæreseos patrem, eumque sub Alexandro episcopo Romano virus suum sparsisse in Sicilia scribit. At post Alexandrum in Romana cathedra sedit Sixtus, post Sixtum Hyginus, post Hyginum Pius, ante cujus pontificatum non apparuit hæresis Heracleonis, præsertim in occidente. Præterea nominat episcopos Siculos Eustachium Lilybæorum et Panormeorum Theodorum, "qui omnium "per Siciliam episcoporum synodum exorabant[e]," quorum nulla mentio est apud veteres. Neque mirum videri debet hæc ab eo tradita fuisse, qui docere veritus non est Marcum decimæ quartæ Hæreseos patrem ante

[e] Lib. de Hæres. c. xvi.

Alexandrum et Euaristum a Clemente apostolorum discipulo, fuisse "coram omni plebe in Ecclesia detectum et æterna damnatione punitum[f]." De anno quidem CXXV. nihil habet Anonymus ipse, ideoque de eo aliunde judicandum.

VI. وفي اربعة سنين من ملكه صير كسسطس بطريرك علي رومية اقام عشرة سنين ومات "Anno imperii "Trajani quarto Xystus patriarcha Romæ constitutus "annos decem sedit, dein moritur," inquit Eutychius. Sedit igitur Xystus ab an. Dom. CI. Trajano IV. et Pæto coss. usque ad an. Dom. CXI. Pisone et Rustico coss. Hunc obiisse volunt Baronius, Petavius, et Labbeus, sub Antonino Pio an. Dom. CXXXIX. immani metachronismo. Quem Eusebius et Martyrologia omnia obiisse tradunt sub Hadriano, et quidem, secundum vetustissimi catalogi auctorem, Vero et Ambiguo coss. an. Dom. CXXVI. Baronius Martyrologium suum hic manifeste interpolavit, in hunc modum, "Romæ natalis B. Sixti papæ et martyris, qui "temporibus Hadriani imperatoris [regens Ecclesiam, "demum sub Antonino Pio] ut sibi Christum lucrifa-"ceret, libenter mortem sustinuit temporalem." Illa enim verba quæ unculis inclusa sunt, Baronius ipse inseruit, ut suam chronologiam omnibus dissentaneam, auctoritate Martyrologii Romani, hoc est sua, stabiliret. Ego Xystum I. Romæ episcopum, nec Antonini, nec Hadriani tempora vidisse sentio; et Eutychio nostro prorsus adhæreo, qui eundem numerum annorum cum Græcis et Latinis, decem scilicet, pontificatui ejus assignat. Et Heinschenius cum appendiculam mensium et dierum addit, nihil aliud obtinet, quam ut diligentius et accuratius errare videatur. Ex illis enim

[f] Ib. c. xiv.

cum diebus obitus Alexandri et Xysti collatis, statuit Xystum, superstite adhuc Alexandro, " fuisse episco- " pum, circa XIII. diem aut proxime sequentes mensis " Decembris anni CVI. consecratum, et vicarium egisse " S. Alexandri." Immemor sane hic fuit Actorum Alexandri, quæ hunc vicariatum prorsus respuunt. Xystus enim, cum Alexander erat in carcere, et cum passus est, Romæ non fuit, si illis Actis fides habenda sit, sed in Oriente. Nam Severina uxor Aureliani, quæ sepelivit Alexandrum, cum Euentio, " vestivit se " cilicio et tam diu jacuit ante limina sanctorum " quos ipsa sepeliverat, donec venisset ex Oriente " sanctus Sixtus episcopus." Recte fecit Heinschenius quod obitum Alexandri ad tempora Trajani retulerit, et initium pontificatus Xysti sub ejusdem imperio posuerit; sed in anno assignando multum ab Eutychio et veritate dissentit, dum Xystum pontificatum iniisse vult anno vel ultimo, vel penultimo Trajani, quem sedisse diximus ab anno Trajani quarto, an. Dom. CI.

VII. Hæc de Xysto vera esse videntur, quia paulo post mortem S. Joannis eum sedisse verisimile est. Idque inde colligi posse puto, quod eum Irenæus inter episcopos Romanos primum ponit, qui festum Paschatis aliter, quam Asiani, observabant. Illi enim suum observandi modum a S. Joanne recepisse se dicebant; Xystus autem et qui eum sequuti sunt, eum morem non observabant, neque Romanis eo uti permittebant. Xystus igitur primus post S. Joannis obitum Romæ episcopus constitutus Romanæ Ecclesiæ morem stabilivit: quod ante S. Joannis mortem nemo facere ausus est. Hæc ego observanda duxi ex epistola Irenæi ad Victorem, in qua ostendit Anicetum Polycarpo persuadere non potuisse, ut non observaret diem paschatis Judaici, quem acceperat a Joanne aliisque apostolis, quibuscum ver-

satus est, neque Polycarpum Aniceto persuadere potuisse, ut eum diem observaret, λέγοντι τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ὀφείλειν κατέχειν, "dicenti se "morem prædecessorum debere retinere." Nullam ab apostolis in ea re traditionem asserebat Anicetus, sed tantummodo morem apud prædecessores suos obtinentem. Quinam autem illi, et quot prædecessores Aniceti fuerint, apud quos mos iste obtinuit, Irenæus ipse etiam ostendit his verbis, Victorem alloquens, Ἐν οἷς καὶ οἱ πρὸ Σωτῆρος πρεσβύτεροι οἱ προστάντες τῆς ἐκκλησίας, ἧς νῦν ἀφηγῇ, Ἀνίκητον λέγομεν, καὶ Πῖον, Ὑγῖνόν τε, καὶ Τελέσφορον, καὶ Ξύστον, οὔτε αὐτοὶ ἐτήρησαν, οὔτε τοῖς μετ' αὐτοὺς ἐπέτρεπον· "Presbyteri ante Soterem qui "Ecclesiæ, cui tu jam præes, præficiebantur, Anicetum "dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licet "neque ipsi hoc festum eo die quo episcopi Asiæ, "observarent, neque aliis post se ita observare permit-"terent." Sic ego interpretor illa Anatolii verba, quæ in Canone ejus Paschali Latine tantum extant; "Non acquiescentes auctoritati quorundam, id est, "Petri et Pauli successorum, qui omnes ecclesias, in "quibus spiritalia evangelia solennitatem resurrectionis "Domini in die tantum dominica posse celebrari "docuerunt." Clare enim morem Pascha celebrandi die dominico non esse ipsis apostolis Petro et Paulo, sed quibusdam eorum successoribus tribuendum.

VIII. وفي اربعة عشر سنة من ملكه صير طلسفورس بطريركا علي رومية اقام احد عشر سنة ومات "Anno "imperii Trajani decimo quarto Romæ patriarcha "factus est Telesphorus, qui cum annos undecim "sedisset, diem obiit," inquit Eutychius. Sedit igitur Telesphorus ab an. Dom. CXI. Pisone et Rustico coss. usque ad an. Dom. CXXII. Aviola et Pansa coss. Atque hic est, quem primum inter epi-

scopos Romanos "martyrium gloriose subiisse" apud veteres legimus: et quidem, ut videtur, anno Hadriani sexto, quo tempore imperator ille Christianos persecutus est, post famem, pestilentiam, et terræ-motum. "Quarta sub Hadriano persecutio numeratur, quam "tamen post exerceri prohibuit," ut loquitur Severus. "Post Hadrianum, Antonino Pio imperante, pax Eccle-"siæ fuit," ut idem ait[g]. Sub Hadriano igitur Telesphorum obiisse tradit auctor antiquissimi catalogi Cæsare et Balbino coss. an. Dom. CXXXVII. et verba illa "Antonini Macrini" nihili sunt: unde eum obiisse fatetur Heinschenius A. D. CXXXVIII. Tertius catalogus A. D. CXXXI. Prosper CXXII. ut editur, ut Victorius CXXXVIII. Eusebius in Chronico, Antonini Pii secundo an. Dom. CXL. Nuperi Chronologi Antonini XV. an. Dom. CLII. ut diserte Petavius et Labbeus. Hic primo pedem figere placet, et quid quantumque hæc ad historiam præstent considerandum proponere. Non sunt gratis hæc a nobis dicta, aut ex sola auctoritate Eutychii scriptoris ævi sequioris, sed quam vere quamque necessario infra patebit. Certe Telesphorum ultra an. Dom. CXXII. non sedisse liquet ex iis, quæ in historia de ejus successore Hygino traduntur. Nemo enim adhuc Telesphoro Hyginum successisse negavit.

[g] Sulp. Sev. Hist. Sacr. ii. 31.

CAP. VIII.

I. Tempora priorum Romæ episcoporum confirmantur.—II. Ante an. Dom. CLII. quo mortem Telesphori statuunt alii, hæreses suas vulgarunt Valentinus, Cerdo et Marcion.—III. Quod verum esse de Marcione omnium recentissimo concedit ipse etiam Petavius.—IV. Post mortem Hygini hæresin suam primo docuit Marcion.—V. Non vixit Hyginus ad annum CLII. ut existimat Petavius.—VI. Sed nec usque ad annum CXLII. ut putat Blondellus.—VII. Explicatur locus Tertulliani. Epocha Tertulliani, de ortu Marcionis, in initio Pii terminanda est; et quidem Pii imperatoris, non pontificis.—VIII. A Tiberii XII. ær. vulg. XXV. inchoanda—IX. Varia tempora, variique gradus, quibus hæresin suam vulgavit Marcion. * * *

I. AD confirmationem temporum prioribus episcopis attributorum, et alterius cujuscunque chronotaxeos hactenus notæ refutationem, opportunius aliquod aut certius excogitari nequit argumentum, quam quo probari possit B. Telesphorum post an. Dom. CXXII. superstitem non fuisse. Neque hoc probari melius potest quam ostendendo ejus successorem Hyginum eo anno in cathedra Petri sedisse. Nam post initum Hygini pontificatum sedisse adhuc Telesphorum nemo dixerit. Et si tam mature quam volumus Hyginum ordinatum esse etiam aliunde constiterit, Eutychii chronologiæ in priori tetrade disponenda refragari nemo debet. Nulla enim ratio afferri queat, quæ

ullius, ex illis quatuor episcopis proxime prioribus, annos in dubium vocare merito potest. Quare sententiam Eutychii contra aliorum omnium opiniones, a seipsis et a veritate plurimum discrepantes, sic corroboramus.

II. Dicimus Telesphorum martyrio coronatum an. Dom. CXXII. Alii CLII. Ingens discrimen! Nostram sententiam dicimus esse veram, aliorum falsissimam. Falsitas eorum sententiæ plurimis ex historia argumentis, iisque certissimis, convincitur. Primo, si Telesphorus ante an. Dom. CLII. non est mortuus, tum Valentinus ante annum (ut Petavius inde docet) CLIII. Romam non venit, et Cerdo ante annum alterum, et Marcio ante annum CLVI. Romam non vidit. Nam sub Hygino Romam venit Valentinus, et post eum Cerdo ejus discipulus; ac non nisi post mortem Hygini urbem adiit Marcio, cum jam nondum hæreticus, sed adulter tantum esset. Hæc sunt ex historiæ monumentis explorata: hæc Irenæus et Epiphanius diserte tradunt, quæ ab aliis confirmantur. Irenæus lib. iii. cap. 4. Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Ὑγίνου, "Va- " lentinus enim venit Romam sub Hygino." Κέρδων δὲ, ὁ πρὸ Μαρκίωνος, καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, " Cerdon " autem, qui ante Marcionem, et hic sub Hygino." Eusebius hæc ex Irenæo notat. Epiphanius, Anacephalæosi de Cerdone, Ὃς ἀπὸ τῆς Συρίας εἰς Ῥώμην μεταναστὰς τὸ κήρυγμα αὐτοῦ ἐξέθετο ἐν χρόνοις Ὑγίνου ἐπισκόπου, " Qui e Syria Romam profectus dogma suum " Hygini episcopi temporibus exposuit." S. Hieronymus [a], " Sub Hygino Romanæ urbis episcopo Va- " lentinus hæresiarches et Cerdo magister Marcionis " Romam venerunt." S. Cyprianus [b], " Cujus (Mar-

[a] In Chronico ad ann. 140. [b] Epist. lxxiv.

" cionis) magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, " qui in urbe nonus fuit, Romam venit." Nec illa adhuc in dubium vocata sunt, ne ab iis quidem, qui hæc de ætate Telesphori docent. Jam vero Valentinum Romam nonnisi anno demum CLIII. pervenisse, pro monstro haberi debet: diu enim ante eum annum scripsit Justinus contra Valentinianos, quos a Valentino nomen traxisse ait, mortuumque tunc satis Valentinum significat, cum priorem apologiam scripsit, dum Marcionem adhuc vivere testatur. Si igitur Valentinus Romam venerit an. Dom. CLIII. ab inferis excitatus illuc venit. Multo magis mirum est Marcionem non ante annum CLVI. hæresi infectum esse, quem hæresiarcham vidit Polycarpus ille, qui diu ante eum annum mortuus est, ut postea probabimus, et contra cujus hæresin tot libros scripsit ante eum annum Justinus Martyr. Hujus argumenti vis ex ipso Petavio clarius elucescet.

III. Ille enim in libro de Doctrina Temporum decimo tertio, qui chronologiam et usum doctrinæ fructumque continere dicitur, ad an. Dom. CXXXIV. Hadriani imperatoris XVII, XVIII, Sixti papæ quinto, hæc habet, quæ et repetit in Rationario Temporum: " Marcio " per id tempus hæresin suam vulgare cœpit." Et rursus ad an. Dom. CXLVI. Antonini IX. Telesphori VII. " Sub " hoc tempus Marcio Ponticus dogma suum vehe- " mentius propagare cœpit." Ac demum ad an. Dom. CLII. Antonini XV. " In locum Telesphori creatus est " Hyginus." Annis igitur XVIII. ante pontificatum Hygini, secundum Petavium, hæresin suam vulgare cœpit Marcio; quem constat non hæreticum fuisse, cum Hyginus post Sixtum et Telesphorum mortuus est; et dogma suum vehementius propagavit sub Telesphoro, secundum eundem Petavium; cum Irenæus

doceat eum floruisse sub Aniceto. Quis enim credet Marcionem sub Sixto suam hæresin vulgasse, sub Telesphoro vehementius propagasse, sub Hygino, sub Pio etiam perstitisse, et cum per tot annos notissimus hæresiarcha fuisset, demum sub Aniceto floruisse, (ut diserte tradit Irenæus, qui et Marcionem pro ætate et Anicetum noscere potuit) sub Sotere etiam et Eleuthero, si modernis credamus? "Marcionis magister "Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in Urbe nonus "fuit, Romam venit; quem Marcion secutus est," inquit Cyprianus Epistola ad Pompeium. Ita Cyprianus ex Irenæo lib. iii. c. 4. Κέρδων δὲ πρὸ Μαρκίωνος καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, ὃς ἦν ἔνατος ἐπίσκοπος. Quomodo igitur Marcio discipulus Cerdonis sub Sixto papa, ante Hyginum, imo ante Telesphorum hæresin suam vulgare potuit, ut asserit Petavius? Quis crederet virum adeo oculatum in tam manifestum tamque immanem errorem incidere potuisse? Sed hujus erroris fundamentum æque manifestum est.

IV. Initium hæreseos Marcionis ex historia, et quidem certissima, hausit Petavius, et ad annum suum quam proxime redegit; erroremque Baronii optime correxit; sed dum Chronologiam Pontificum vitiosissimam a Baronio acceptam secutus est, plane ἀσύστατα scripsit. Et cum in Animadversionibus ad Epiphanium nonnulla enucleate de Justino scripserat, et ex ipso de Marcione aliqua etiam bene observaverat et modeste protulerat; unum tamen, quod erat falsissimum, asseveranter censuit, "Hygino vero demum mortuo primitus dogma "Cerdonis interpolasse Marcionem, nullo modo censeo." Illud autem omnino censendum fuit: neque enim quicquam aut certius, aut exploratius in historia. Epiphanius Hæresi xlii. de Marcione: Ἀποδιδράσκει τῆς πόλεως τῆς αὐτῆς, καὶ ἄνεισιν εἰς τὴν Ῥώμην αὐτὴν μετὰ τὸ

τελευτῆσαι Ὑγῖνον τὸν ἐπίσκοπον Ῥώμης· " Fugit ex " eadem urbe (Sinope) et ipsam Romam profectus est " post obitum Hygini episcopi Romani." Idem Epiphanius eadem Hæresi, Ἵνα ἐλέγξῃ τὸν Μαρκίωνα τὸν μετὰ τοσαῦτα ἔτη ἥκοντα μετὰ χρόνους τοῦ καλουμένου Ἀνικήτου τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου, τοῦ κατὰ διαδοχὴν ἑνάτου γενομένου ἀπὸ τῆς τῶν ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου τελειώσεως. Hoc est, interprete Petavio, " Ex quo " Marcion refellitur, qui tanto intervallo prodierit, " nimirum post Aniceti Romani pontificis tempus; qui " ab apostolorum Petri ac Pauli passione nonus ordine " numeratur." Mirum est eruditum illum interpretem hæc concoquere potuisse, eademque in Animadversionibus intacta reliquisse. Qui ferre non potuit, ut post Hygini mortem Marcion prodierit; quomodo post Pii, imo post Aniceti, mortem ejusdem hæreseos initium referentem tulit? Sed idem hic docet Epiphanius, quod prius docuerat, et pro Ἀνικήτου legendum est omnino Ὑγίνου, quem hoc loco, ut priori, nonum Romæ episcopum vocat. Quod et in Hæresi xli. fecerat; Οὗτος τοίνυν ὁ Κέρδων ἐν χρόνοις Ὑγίνου γέγονεν ἐπισκόπου τοῦ ἔνατον κλῆρον ἄγοντος ἀπὸ τῆς τῶν περὶ Ἰάκωβον καὶ Πέτρον καὶ Παῦλον ἀποστόλων διαδοχῆς· " Hic igitur Cerdo extitit tempore Hygini episcopi, qui " nonum locum a successione Jacobi et Petri et Pauli " tenuit." Hæc Epiphanius habuit ex Irenæo, cujus verba Græce extant apud Eusebium, quæ Interpres vetus sic expressit, " Cerdon cum venisset Romam sub " Hygino, qui nonum locum episcopatus per succes- " sionem ab apostolis habuit." Hæc Irenæus lib. i. cap. 28. eademque repetit lib. iii. cap. 4. καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, ὃς ἦν ἔνατος ἐπίσκοπος. Ubi minus recte Interpres, " Et hic sub Hygino, qui fuit octavus episcopus."

Unde ad chronologiam nostram confirmandam firmissimum ducitur argumentum.

V. Cum primum Romam venit Marcio, nondum hæreticus aut hæretici cujuspiam discipulus fuit; imo rejectus a presbyterio Romano fuit, priusquam de hæresi cogitavit: extra Ecclesiam positus Cerdoni se adjunxit, et quidem Romæ. Cerdo autem Romam adiit sub Hygino pontifice, et quidem post Valentinum magistrum suum, qui ad urbem sub eodem pontificatu etiam venit. Sub initio Pii pontificis Cerdoni conjunctus hæresin ejus didicit et Cerdonianus fuit: tum vero hæresi Cerdonis in characterem suum translata, extitit Marcio hæresiarcha, et virus suum sparsit, ut Petavius, circa annum CXXXIV. Quis igitur hinc non colligit non vixisse Hyginum usque ad annum CLII. quod tamen idem Petavius statuit, qui quantum esset in Chronologia XXX. fere annorum discrimen, satis novit. Sed perversa de annis pontificum persuasione præoccupatus, quam absurda inde sequerentur perspicere non potuit.

VI. Blondellus quidem negat Telesphorum ultra annum CXXXVIII. vixisse, et recte admittit Marcionem Romam venisse post mortem Hygini et ante pontificatum Pii; et melius quam Baronius et Petavius, Hyginum defunctum esse dicit an. Dom. CXLV; longe tamen etiam adhuc a veritate abest. Tertullianum quidem advocat, chronologiam ejus de initio hæreseos Marcionis usquequaque a vero alienam esse pronunciat; ut autem ad suum propositum trahat, nunc hoc, nunc illud initium, nunc hunc, nunc illum finem, Tertulliani computo assignat; et tandem mentem Tertulliani ad normam Pseudo-Tertulliani exponit, Apologiæ sect. ii. §. 5. Enimvero ipse Tertullianum minime intellexit.

Quoniam autem locus ille, quem adduxit, insignis est, et a nemine, quantum scio, recte explicatus, et ad sententiam nostram non labefactandam, sed confirmandam potius facit, eum haud gravatim hic explicabo.

VII. Verba Tertulliani sunt lib. i. adversus Marcionem, cap. 19. " A Tiberio autem usque ad Antoninum " anni fere CXV. et dimidium anni cum dimidio mensis; " tantundem temporis ponunt inter Christum et Marcio- " nem." Pamelius quidem, diligentissimus scriptor, pro CXV. scribendum putavit CV. sed perperam. Locus ille non correctione, sed interpretatione indiget: unde incipiat, ubi desinat illa computatio, ex mente Tertulliani quærendum est. Illa igitur verba "usque ad Antoninum," non ad hunc aut illum imperii ejus annum; non ad septimum (quod amplexus est Alexander) aut decimum tertium, aut alium quemlibet. Patet hoc primo ex verbis antecedentibus; "Marcionis salutem, qui ita voluit, quoto " quidem anno Antonini majoris de Ponto suo exhalave- " rit aura canicularis, non curavi investigare." Non igitur ad ullum certum annum imperii Antonini computum suum perducere cogitavit. Neque ad præcisum initium hæreseos Marcionis respicere voluit quo primum a Cerdone eam accepit; sed cum constaret eum sub Antonino præcipue virus suum evomuisse, satis esse putavit si tempora ab initio computaret ad initium imperii Antonini. Et hanc fuisse mentem Tertulliani satis aperte ostendunt verba quæ sequuntur: " De quo " tamen constat, Antoninianus hæreticus est, sub Pio " impius. A Tiberio autem ad Antoninum, &c." Et quamvis illa verba, " sub Pio impius," duplicem interpretationem admittant, unam de imperatore, alteram de episcopo, (Marcion enim sub utroque, tum episcopo Romæ Pio, tum imperatore Pio, impius, hoc est hæreticus fuit,) puto tamen Tertullianum ad Antoninum

Pium potius respexisse; quia episcopi Romani sub eo nomine nusquam meminit, Antoninum autem solo Pii vocabulo indigitavit, in Apologetico, cap. 5. "quas "nullus Pius, nullus Verus impressit."

VIII. Secundo, verba illa "dimidium anni cum "dimidio mensis" initium imperii ejus aperte respiciunt. Nam ut Spartianus testatur, Hadrianus, accersito Antonino, in conspectu ejus apud ipsas Baias periit die sexto Iduum Juliarum. Cum igitur mense Julio fere medio, qui est anni Juliani mensis septimus, Antoninus Hadriano successerit; ideo "dimidium anni cum "dimidio mensis" apposuit, ut ad ipsum initium imperii computum deduceret. Quod autem ad epocham, a qua computus incipit, spectat; illa verba "a Tiberio" neque initium neque finem ejus imperii respiciunt; quod primo patet ex verbis sequentibus "tantundem a "Christo," cujus neque nativitas, neque baptismus, neque passio cum initio vel fine Tiberii convenit. A Tiberio igitur ad Antoninum dixit, ut libro adversus Judæos cap. 13. "Ab illis enim incepit infamia et "tempus medium a Tiberio usque ad Vespasianum;" id est, ab illo anno Tiberii, quo passus est Christus, ad primum annum Vespasiani, quo Hierosolymorum excidium alibi posuit; adversus Judæos cap. 8. "Ves- "pasianus anno primo imperii sui debellavit Judæos." Præterea ipse Tertullianus idem indicat, cum docet hanc supputationem ideo a se factam esse, ut probaret Deum Marcionis non fuisse in Christo Jesu revelatum, sed a Marcione computatum. Vulgo quidem putant respexisse Tertullianum XV. annum Tiberii, quia paulo ante dixerat, "anno XV. Tiberii Christus de cœlo "manare dignatus est:" sed his verbis perstrinxit Marcionem, ut ex proxime sequentibus patet, "qui ita "voluit:" nam ab illis verbis apud S. Lucam incepit

ejus evangelium, ut testatur Epiphanius; et sententiam ejus, quod Christus tunc de cœlo emanaverit, late refutat Tertullianus, lib. iv. cap. 7. Incipit igitur ab eo anno, non quo Marcion, sed quo ipse, putavit Christum fuisse revelatum, et evangelii prædicationem inchoasse. Quis autem annus ille fuerit, ipse satis indicat lib. i. cap. 15. "At nunc quale est, ut Dominus XII. Ti- "berii Cæsaris revelatus sit;" quare omnino ab illo anno ad initium imperii Antonini supputatio facta deprehenditur. Jam duodecimus Tiberii in annum vulgaris æræ Christi XXV; initium imperii Antonini in annum CXXXVIII. incidit; intervallum sunt anni fere CXV. si uterque terminus includatur, quod fit sæpissime. Neque mirum est Tertullianum, qui putavit Christum XV. Tiberii passum esse[c], asseruisse XII. Tiberii baptizatum esse: nam sine dubio, cum alios sequeretur in anno passionis, Irenæum tamen secutus est in anno baptismi. Irenæus autem tria paschata diligenter observaverat inter baptismum et passionem Christi; quod qui non animadverterunt, in graves errores inciderunt: verbi gratia, Georgius Syncellus Africanum accusavit, quod ab Adam ad baptismum putaret annos 5530; ad passionem 5531: ad quam observationem Syncelli hæc annotat Scaliger in Prolegomenis. "Recte quidem," inquit, "Georgius Syncellus ab Adam ad baptismum "5530. annos putavit; sed quod erroris de anno uno "inter baptismum et passionem interjecto auctorem "facit Africanum, ostendit se ignorasse non aliter "omnes, qui ante Africanum scripserunt, sensisse; "qui ex illis verbis ἔτος δεκτὸν κηρῦξαι colligebant ἔτος "ἓν μόνον τῆς κηρύξεως Christi fuisse." Sed mire hic Scaliger ut Africanum aliquo modo excusaret aut sugillaret Georgium, omnes qui ante Africanum scrip

[c] Vid. ejus lib. adv. Judæos, c. 8.

sere, idem sensisse affirmabat: cum Irenæus multo senior Africano non tantum idem non senserit, sed etiam eam sententiam accurate refutaverit: erat enim hoc Valentini commentum ad confirmationem Æonum suorum excogitatum tam de speciali XII. Æonum, quam de generali XXX. Æonum numero ex Isaia petitum; quod Irenæus lib. ii. cap. 38, et 39. late et accurate refutat, et שְׁנַת־רָצוֹן ἐνιαυτὸν δεκτὸν Isaiæ melius interpretatur. Sed et Tertullianus cum Irenæo tres annos prædicationis agnoscit, quamvis eos ponat ante annum XV. Tiberii, neque enim ubi poneret, novit; cum Irenæus qui complures annos præter illos tres Christo attribuit, XV. Tiberii annum nusquam observat. Sed neque quisquam inter catholicos, qui ante Africanum scripsit, meminit illius anni acceptabilis eo sensu, quo eum usurpaverat Valentinus, præter Clementem Alexandrinum[d], qui hæreticorum scriptis nimium addictus fuit, eosque sequi nonnunquam solet: restat igitur Tertullianum statuisse Christum XII. Tiberii baptizatum fuisse, et XV. ejusdem imperatoris passum esse. Hæc mens Tertulliani, qui concedit Marcionem ab initio imperii Antonini majoris hæresin suam vulgasse; quod post mortem Hygini factum est. Ita historia Marcionis maxime confirmat Chronologiam Eutychii.

IX. Venit Marcio Romam post mortem Hygini an. Dom. CXXVII. nondum hæreticus, et a presbyteris rejectus se mox adjungit Cerdoni, anno CXXVIII. Pii pontificis primo: qui nunc per exhomologesin in Ecclesiam receptus, nunc hæreseos convictus et abstentus est. Ab hoc Cerdone hæretico suæ doctrinæ principia hauriens, Cerdonista fuit; cum autem illa in suum proprium characterem transtulisset, circa annum CXXXIV. hæresin suam vulgare cœpit, ut recte observat Petavius. Circa

[d] Vid. Strom. l. i. ci. xxi. p. 407. Pott.

annum CXXXVIII. vehementius propagavit, Antonini imperatoris primo, Pii pontificis undecimo. Inde Justinus an. Dom. CXLII. Antonini v. ut vult Eusebius, vel paulo post (puta anno CXLIV. vel CXLV.) cum jam invaluerat Marcio, ac diu virus suum sparserat, adversus eum scripsit, καὶ νῦν ἔτι, inquit, ἔστι διδάσκων, "nunc "usque docet," Apologia prima, pagina 7, et 92[d]. Et Irenæus Marcionem sub Aniceto invaluisse refert, sub quo contra eum scripsit Justinus. Hæc chronologiæ nostræ maxime consentanea sunt, nec aliam ferre possunt. Et hinc satis jam manifeste patet Telesphorum an. Dom. CXXII. et non serius martyrio coronatum esse. Unde ulterius patet, quam imprudenter Baronius Orosii et Zonaræ sententiam, (qui putabant Antoninum Pium Justini Apologia permotum pro Christianis edictum scripsisse) refellere conatus est in Annalibus, hac ratione proposita, quod post eam Apologiam "Romæ religionis "causa patratæ sint cædes, ut Telesphori Romani pon-"tificis et aliorum." Mira hæc sunt de Telesphoro post Apologiam Justini passo; cum etiam ipse ad Martyrologium hæc habeat[e], "Respondemus martyrium "Telesphori contigisse ante scriptam a Justino Apo-"logiam." Quis enim ferre potest Annalistam martyrium Telesphori referentem post Apologiam S. Justini? Ex his, ut opinor, satis elucescit, Telesphorum, qui Hygini decessor fuit, non ad annum Domini CLII. aut CXXXVIII. superstitem fuisse, sed potius CXXII. gloriose martyrium obiisse. Unde ego, qui antiquissimorum lectione diu occupatus fui, non immerito queri mihi videor Telesphorum tam insignem martyrem nullum ab ea ecclesia, cui præfuit, honorem obtinuisse ante pontificatum Clementis VIII. qui primus omnium Romanos B. Telesphori annua solennitate lætificare conatus est, inserta

[d] c. 26, et 58.

[e] Martyrol. ad Jan. v. not. c.

breviario commemoratione hujus martyris ad Vigiliam Epiphaniæ[f].

[f] Ultimam Pearsoni manum huic capiti defuisse prætendit editio Dodwelli. Equidem non video quid addere potuisset Pearsonus; nec quidquam ad rem addidit Dodwellus; sed admodum infeliciter tentavit locum Tertulliani "minus ad mentem," ut ait, "sed magis ad causam Cl. Auc- "toris explicare." Censuit scil. ex errore librarii ortum numerum "xii." in lib. adv. Marc. i. 15. Interim non meminerat ipsum Tertullianum, qui anno Tiberii xv. Christum passum esse credidit, ut notavit Pearsonus, hunc numerum confirmare. "Erratum" ait, "certe ostendunt verba ipsa "sequentia. Sic enim habent, *At* "*nunc quale est ut Dominus a* XII. "*Tiberii Cæsaris revelatus sit,* "*substantia vero ad* XV. *jam Se-* "*veri imperatoris nulla comperta* "*sit, &c.?* Ecquis est quin videat "committi hoc in loco similes "Severi imperatoris annos atque "Tiberii? nec respondere xv. "Severi anno annum Tiberii alium "quam qui fuerit et ipse Tiberii "decimus quintus?" Quasi vero numeros chronologicos sibi invicem respondere oporteat, sicut arbores in quincunce dispositas! Deinde de Pio imperatore concedit Tertullianum "in "eadem, qua fuit Cl. Cestriensis, "sententia fuisse;" ipse tamen et Tertullianum et Cestriensem corrigens, auctorem nescio quem excogitavit vetustiorem de Pio episcopo locutum, quem sequi Tertullianum, nec tamen intellexisse, arbitratur! Nos sane virum doctum refellere superfluum credentes, ne videamur, ut in proverbio est, ἀναπολεῖν τοὺς ὤμους, ὕδωρ πίσσοντες, Tertullianum potius audire volumus revocantem, "ad lineas rursum et in gradum." Hæc tantum monuimus, ne quis suspicetur nos, ultra quod decet, priori Operum Posthumorum editori spatium disserendi resecuisse.

CAP. IX.

I. Proponitur locus Epiphanii de ortu Cataphrygum.—II. Sententia Petavii. Male ille Montanum undevicesimo anno Marci Aurelii ortum existimavit.—III. Episcopus Romanus, quem ait Tertullianus a Praxea in Montanistas fuisse excitatum, erat Eleutherus.

I. AD illustrandam ulterius hanc historiam locus Epiphanii valde notabilis hic explicandus et a Petavii Animadversionibus vindicandus est. Initio Hæreseos XLVIII. sive Cataphrygum, hæc habet Epiphanius ad Chronologiam imprimis spectantia. *Ἀπὸ τούτων ἑτέρα πάλιν αἵρεσις ἀνακύπτει τῶν Φρυγῶν καλουμένη, σύγχρονος γενομένη τούτοις, καὶ αὐτοὺς διαδεχομένη. Οὗτοι γὰρ γεγόνασι περὶ τὸ ἐννεακαιδέκατον ἔτος Ἀντωνίνου τοῦ Εὐσεβοῦς μετὰ Ἀδριανόν. Καὶ ὁ Μαρκίων δὲ, καὶ οἱ περὶ Τατιανὸν, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ διαδεξάμενοι ἐγκράτειαν ἐν χρόνοις Ἀδριανοῦ, καὶ μετὰ Ἀδριανόν.* Interprete Petavio: "Ab "his alia rursum effloresceit hæresis, quæ Phrygum "dicitur, sub idem fere producta tempus, eique succes- "sione proxima. Nam isti sub Antonini Pii, qui post "Adrianum imperavit, annum XIX. emergere cœperunt. "Marcio vero, Tatianus, et Encratitæ horum discipuli "sub Adriano, ac post Adrianum prodierunt."

II. Ex his verbis hanc ego chronologiam eorum temporum recte institutam esse puto. Circa annum Antonini Pii XII. Christi CXLIX. passus est Justinus Martyr. Circa annum Pii XIII. Christi CL. Tatianus hæreticus

factus in Mesopotamiam se contulit. Circa annum Antonini Pii XIX. Christi CLVII. Tatianus aliis hæresibus adhuc infectus cum Priscilla et Maximilla sibi adjunctis Encratita factus est, et circa idem tempus Montanus cœpit evulgare novam hæresin. Hæc ego ex mente Epiphanii dicta puto, quæ et veritati consentanea esse non dubito. Petavius autem profitetur manifestam hic esse temporum perturbationem, idque ex triplici capite se deprehendisse. Primo, quod Justinus, post cujus martyrium Tatianus hæreticus evasit, sub Marco Antonino passus est. Secundo, Cataphryges orti non sunt ante XI. annum Marci secundum Eusebium, aut etiam XIX. secundum Epiphanium. Tertio, Encratitæ post Cataphrygas orti sunt. De priori agimus ex instituto in Vita Justini, ubi probamus eum sub Antonino Pio obiisse. De secundo hic agendum est. Petavius lib. ii. de Doctrina Temporum hæc habet: " A. C. CLXXIX. " Marci Aurelii XIX. Eleutheri III. Montanus cum " Priscilla et Maximilla hæresi *κατὰ Φρύγας* initium " dedere. EPIPHANIUS." Mira hæc mihi primo videbantur, quod tam serum illius hæreseos ortum tradiderit, cum ipse Eusebius octennio ante incepisse dixerit. Illud vero multo magis, quod ex auctoritate Epiphanii ejus initium XIX. Marci tribuit, cum Epiphanius ipse XIX. Pii idem assignet. *Κατὰ τὸ ἐννεακαιδέκατον ἔτος Ἀντωνίνου τοῦ Εὐσεβοῦς μετὰ τὸν Ἀδριανόν·* " Sub An- " tonini Pii, qui post Adrianum imperavit, annum XIX." Utcunque sit, hæc sententia ferri non potest. Primo, quia ipse Petavius an. Dom. CLXXVIII. dicit Irenæum Lugduni episcopum factum esse. Constat autem Montani hæresin extitisse, dum Irenæus adhuc presbyter fuit. Hoc enim ipsæ Lugdunensium literæ testantur. Unde Labbeus Eusebium potius secutus est: sed neuter

persecutionis Lugdunensis in Chronico suo meminit, quia nullum annum habebant cui eam affigerent. Secundo, exortus hæreseos Montani pessime sub pontificatu Eleutheri statuitur. Nam Tertullianus, qui sub Eleuthero vixit, et postea acerrimus Montanista fuit, sic adversus Praxeam loquitur cap. 1. " Nam idem " tunc episcopum Romanum, agnoscentem jam pro- " phetias Montani, Priscæ, Maximillæ, et ex ea ag- " nitione pacem ecclesiis Asiæ et Phrygiæ inferentem, " falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum adseverando, " et præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit " et literas pacis revocare jam emissas, et a proposito " recipiendorum charismatum concessare."

III. Hunc episcopum Romanum putat Baronius Anicetum fuisse ; sed omnino male, ut recte observavit Valesius : qui et Eleutherum hunc episcopum fuisse putat, et quidem recte. Praxeas enim Anicetum vidisse minime putandus est. Et Eleutherum pacem intulisse ecclesiis Asianis quis dubitat, postquam ad eum perlata est Lugdunensium epistola in favorem Montanistarum, sive quod idem est, pro pace ecclesiarum scripta. Orta est enim ea tempestate seditio propter Montanum et Alcibiadem et Theodotum, ut narrat Eusebius. Martyres in Gallia, dum adhuc in carcere erant, plures literas dedere ad fratres in Asia et Phrygia degentes ; et ad Eleutherum pariter pro pace ecclesiarum legatio instituta est. Eleutherus his permotus pacem ecclesiis intulit agnoscendo prophetias Montani, Priscæ et Maximillæ, ut loquitur Tertullianus Montanistarum errore penitus imbutus. Jam vero Tertullianus ostendit, ante hunc episcopum scil. præcessores ejus Montanistas rejecisse ; hi autem erant Anicetus et Soter Anonymus de Cataphrygibus agens, " Scrip-

" sit contra eos," inquit, " librum S. Soter papa urbis[a]." Sub Eleuthero igitur hæresi suæ initium non dedit Montanus, cum Montanistæ non tantum a Sotere, sed et ab Aniceto refutati fuerint; et eodem tempore pontificatus Eleutheri cum Prisca et Maximilla, tum Alcibiades et Theodotus Montano se adjunxerant: quod diu factum est postquam Montanus ipse prophetare cœpit.

[a] Scil. Auctor Prædestinati, de quo supr. c. vii. 5. Lib. de Hær. c. xxvi.

" Vitam Justini" a Pearsono vel scriptam, vel certe inchoatam, discimus supr. p. 500; quam quidem inter deperdita recensendam doleo. Interim chronologiam Justini placet describere, ut quæ huic dissertationis parti lucem aliquam impertiat, ex ipsius Pearsoni notulis in fronte et margine ed. Justini Paris. 1615, quæ hodie in Biblioth. Publ. Cantab. servatur: pp. 1. 41. 53. 99, 100. 217.

Natus videtur, ait Pearsonus, A. D. 118, 119. Christianus factus, A. D. 140; Antonini, 2, 3. Scripsit contra Græcos Ἔλεγχον A. D. 141. Cohort. ad Græcos A. D. 142. Apolog. (quæ in ed. Paris. secunda) in qua extat mentio Lib. adv. Hæreticos, (Vid. Apol. i. c. 26.) A. D. 144, 5; anno ætatis 25, 6; ante Dialog. cum Tryphone. (Vid. Dialog. c. 120. sub f.) Aristidem imitatus est. (Hieron. Ep. ad Magn. LXX. 4.) Nullum rescriptum ediderat Antoninus, cum hæc scripsit Justinus; aliter ejus meminisset, qui meminit rescripti dati ab Adriano: plura autem edidit postea. Eodem anno Tatianum habet Justinus discipulum. Scripsit Dialog. cum Tryph. Ephesi A. D. 146. post Apolog. priorem. (Paullo aliter in Vind. Ign. P. ii. c. 7. p. 78.) Contra Marcion. A. D. 147. Psalten, A. D. 148. Apolog. secundam, ad Antonin. A. D. 149, 150. Eodem anno Tatianum Romæ audit Rhodon.

Patitur, A. D. 150; Antonini 12, 23; ætatis suæ, 31°. Tatianus deinde Mesopotamiam petit, et doctrinam Æonum profitetur.

Epistola ad Diognetum, ait Pearsonus, non videtur esse Justini, sed illo junioris, veteris tamen.

CAP. X.

I. Commentum Blondelli de translato in electitios præpositos, sub Hygino, seniorum primatu.—II. Interpontificii quadriennium, quod renixus argumentum credidit Blondellus, inter Hyginum et Pium, nullum.—III. Falso observavit e Libro Pontificali Blondellus nullos, ante Euaristum, in Ecclesia Romana fuisse diaconos. IV. Varia archontum Atheniensium genera.—V. Nulli Atheniensium archontes similes Christianorum episcopis.—VI. Quo sensu episcopos archontas dixerit Origenes.—VII. Episcopi collegas, quales habebant archontes, in eadem urbe nullos habebant.

I. HIC iterum examinanda est nova Blondelli sententia de presbyteris sive episcopis *πρωτοκληθείσιν*· ut enim consuetudinis illius fictæ initium refutavimus, ita hic finem ab eo assignatum refellemus. Veterem illam consuetudinem seniorem presbyterum in locum defuncti subrogandi durasse ait usque ad Hyginum, sed illo sedente " novum quid" admissum esse docet; et post ejus tempora Romæ episcopum non ulterius ex successione sed electione factum esse. Multa ad hanc rem observat, sed ex libro Pontificali omnia, quem " solis radio scriptum" fuisse autumat. Quid autem est illud " novum quid," quod sub Hygino admissum est? Nempe hic, Pontificali teste, " com- " posuit clerum, et distribuit gradus." Fortasse. Quid autem inde sequitur? audiamus oraculum. " Quæ " verba," inquit ille, (novus Pontificalis interpres,) " in- " auditum antea inter Latinos de seniorum primatu in " electitios præpositos deinceps transferendo decretum

" innuere videntur." Certe si inauditum antea fuit tale decretum, etiam tum inauditum fuit: nullum enim his verbis inest decretum, nihil omnino hic dicitur quod vel successionem vel electionem, vel significet vel innuat. In eodem libro Pontificali sub Hormisda dicitur, " Hic composuit clerum." An igitur ille decretum fecit de seniorum primatu transferendo? Quid Hormisdas fecerit in componendo clero haud satis scio: illud autem quidquid fuit Hygino ascribere veritus non est auctor secundi catalogi. Sic tamen Romæ anno circiter CXL. novam regiminis formam introductam esse vult, cum nulla novæ regiminis formæ, episcopi tunc locum tenente Hygino, mentio fiat. Neque vero eo anno Hyginus episcopus fuit, ut ostendemus. Certe Blondellus, qui hic Hyginum sedisse dixit Camerino et Magno coss.; ad epistolam Pseudo-Isidori eidem papæ attributam, et iisdem coss. signatam, hæc annotavit, " Ad finem notam temporis mendosissimam addidit " plagiarius." Sit autem Pseudo-Isidorus ille plagiarius, sit Baronianus calculus vitiosissimus, quem tum secutus est Blondellus; fiat istius chronologiæ reformatio, et reducatur plagiarius ad Libri Pontificalis auctorem, unde sua haurit, tempora Hygini utriusque tenebrionis auctoritate (quantacunque illa sit) confirmentur; neuter tamen decretum de seniorum primatu in electitios præpositos deinceps transferendo, aut tradere aut innuere videtur.

II. Porro hæc regiminis mutatio, quocunque tandem decreto stabilita fuit, " Sine pertinaciori," inquit, " prisco regimini assuetorum renixu haud obtinuit." Sed unde hic renixus apparet? Unde viro docto innotuit? An hunc etiam ex Pontificali didicit? Imo certe. " Quandoquidem abruptum Romæ successionis " filum obiter insinuat Liber Pontificalis, quadriennii

" solidi interpontificium fuisse notans." Novum etiam hoc est de quadriennii solidi interpontificio, et quomodo illud in Pontificali notatur nondum didici. Sed tradit ille Hyginum fuisse episcopum usque ad Orphitum et Priscum, (annum scilicet CXLII.) et idem docet Pium fuisse a consulatu Clari et Severi, ab anno scilicet CXLVI. Ergo post Hyginum quadriennii solidi interpontificium fuit; idque ideo contigit, quia Romani novæ regiminis formæ renitebantur, et electionem novi pontificis tamdiu impediebant. Fabulosa omnia. Liber quidem Pontificalis refert Hyginum sedisse usque ad Orphitum et Priscum; sed nec illius libri auctor, nec alius quispiam dixit Orphitum et Priscum consulatum gessisse an. Dom. CXLII. Illo enim anno Fasti nobis exhibent Rufinum et Quadratum. Orphitum autem et Priscum septennio postea, an. Dom. CXLIX. Sed de hac re latius postea disserendum est.

III. Expositionem præterea suam sic confirmat, " Nequa compositum ab Hygino clerum gradusque " distributos ob institutos novos clericorum ordines, et " assignatas functiones suspicio sit, diversimode ca- " vetur." Cautus igitur admodum scriptor fuit auctor Libri Pontificalis. Sed unde hæc cautela apparet? Inde nempe, quod " docet constitutos Euaristo sedente " (id est post annum LXXXIII.) in Romano clero " diaconos septem." Quam hoc verum sit nescio: quid inde sequatur haud scio; me doceat novus interpres, qui hinc clare colligit, " veteris Ecclesiæ " Romanæ primordialem formam adeo simplicem fuisse, " ut per annos XXX. diaconis (sub solo presbyterorum " regimine constitutis) caruerit." Ut ecclesia aliqua, præsertim Romana, per tot annos nullum diaconum haberet, mirum haud immerito videatur. Præclare ab Euaristo factum est, ut ordinem ab apostolis institutum

in urbem induxerit. Sed hæc laus Euaristo non debetur. Nam ante Euaristum Anacletus pontifex fuit, de quo Liber Pontificalis hæc habet, " Hic fecit or- " dinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros " quinque, diaconos tres, episcopos per diversa loca " numero sex." Ante Anacletum, ut illi volunt, Clemens pontifex fuit, de quo Liber Pontificalis, " Hic " fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, " presbyteros decem, diaconos duos, episcopos per di- " versa loca quindecim." Solus deinde Cletus, qui, ut ab Anacleto distinguitur, nullus fuit, nullos diaconos fecit. Apage igitur illam primordialem regiminis formam, in qua nullus ordo sacer præter presbyteros fuit. Neque mirum est eum nullos ante Euaristum in Pontificali diaconos vidisse, qui in Epistola Cornelii nullos subdiaconos vidit, quique asserit " de subdiaconorum " creatione vel nullum a Fabiano decretum conditum, " vei si conditum est ullum, necdum an. Dom. CCLI. " executioni mandatum fuisse." Quique hoc constare ait ex Epistola Cornelii, in qua diserte scriptum est de Ecclesia Romana, Ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἓξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτά. Interprete Rufino, " Ubi videbat esse " presbyteros quadraginta et sex, diaconos septem, " subdiaconos septem." Apage igitur totam illam sententiam, quam ex Pontificali collegit mali libri malus interpres. Episcopi aut presbyteri πρωτοκληθέντες non sub Hygino finierunt, qui nunquam incepisse, nusquam durasse, leguntur; si eo nomine viros intelligas singulares qui πρωτοκλησίας jure reliquis omnibus præsiderent in eodem presbyterio constitutis.

IV. Qui nunquam, inquam, fuerunt; nam ut ad originem Blondellianam horum πρωτοκληθέντων redeam, quos archontum Atheniensium similes fuisse statuit, ex

ipsa similitudine facile refutatur. Nam presbyter ille πρωτοκληθεὶς, quem ipso πρωτοτοκίας jure reliquis ejusdem ordinis presbyteris præsedisse vult, ea potestate dum viveret gavisus est; neque illo jure aut loco excidere potuit, quia consortes omnes illo posteriores esse supponuntur, neque potuit quisquam evadere primo prior. Jam quæramus quis huic similis archon apud Athenienses, vereor ne inveniamus nullum. Nam si quis collegas in officio habuit, eo officio, durante vita, functus non est; si quis dum viveret archon fuit, collegas in officio nullos habuit. Nullus igitur archon præsidi Blondelliano similis fuit. Tria archontum genera diversis temporibus Atheniensium rempublicam administrasse legimus; ex quibus intelligere possumus quam verum sit, quod affirmat Blondellus, " unicum " Athenis archontem nunquam fuisse." " Athenienses," inquit S. Augustinus de Civitate Dei lib. xviii. cap. 20. " habere deinde reges post Codri interitum destiterunt, " et magistratus habere cœperunt administrandæ rei- " publicæ." Qui qualesque hi magistratus fuerint sic accepimus. Velleius Paterculus lib. i. cap. 2. " Hujus " (Codri) filius Medon primus archon Athenis fuit. Ab " hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ: sed ii " insequentesque archontes usque ad Charopem, dum " viverent eum honorem usurpabant." Nempe quia " dum viverent" rempublicam administrabant; ideo dicti sunt archontes perpetui, interprete Hieronymo, " quos mors finiebat." Hi Græcis dicti sunt ἄρχοντες διὰ βίου, ut Plato loquitur de Cyro, ἔοικεν ἐκ νέου στρατεύεσθαι διὰ βίου· et vetus auctor apud Suidam, v. Νουμᾶς de virginibus Vestalibus, διὰ βίου τὴν παρθενίαν ἐφύλαττον. Quam phrasin sic explicat Hesychius, Διὰ βίου, διὰ παντὸς, ἀεί. Hi autem tredecim erant qui successive Athenis præerant, quorum nomina, et annos

accurate describit Eusebius in Chronico. Hos perpetuos archontas quorum ultimus erat Alcmæon, sequuti sunt decennales, quorum primus fuit Charops. Velleius lib. i. cap. 8. "Tum Athenis perpetui archontes "esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmæon, cœpe- "runtque in denos annos creari; quæ consuetudo in "annos LXX. mansit." Nam septem erant hi archontes, Græcis δεκαετεῖς dicti, quorum nomina apud Eusebium extant, eorundemque anni in ejus Canone digeruntur. Velleius primi et ultimi meminit: "Ex iis qui denis "annis præfuerunt primus fuit Charops, ultimus Eryx," sive Eryxias. Post hos decennales annui archontes facti sunt Græcis dicti ἐνιαυσιαῖοι. Velleius, "Dein "annuis commissa est magistratibus resp." Annui hi magistratus erant numero novem, quorum unus specialiter in modum præcedentium archontis nomen retinebat, cum reliqui octo aliis nominibus distinguerentur. Et sic nova plane reip. forma instituta est, in qua novem archontes præsidebant. De qua Hesychius, Ἐννέα ἄρχοντες, ἀρχὴ δι' ἐννέα ἀρχόντων. De his Georgius Syncellus, Μετὰ τούτους (δεκαετεῖς) ἄρχοντες ἐνιαύσιοι εὑρέθησαν ἐξ εὐπατριδῶν. Interpres, "His sub- "latis annui magistratus excogitati sunt, et ex pa- "triciis assumpti." Sed pro εὑρέθησαν legendum fuit ἡρέθησαν, vertendumque, non "excogitati," sed "electi "sunt." Pergit Syncellus ex Africano, ἐννέα τε ἀρχόντων Ἀθήνησιν ἀρχὴ κατεστάθη. Ad quæ verba Goar, "Qui novem isti magistratus, incognitum. Planior "lectio ἡ νέα τε ἀρχόντων, nova magistratuum potestas "Athenis instituta." Perperam omnino. Qui fuerint novem illi magistratus, omnibus notum; archon scilicet, et βασιλεὺς, et πολέμαρχος, et sex θεσμοθέται· ἐκ τούτων δὲ οἱ ἐννέα ἄρχοντες συμπληροῦνται, "Ex his autem "novem archontes complentur," inquit Pollux. Eu-

sebius in Canone, " Novem principes ex nobilibus urbis " electi præfuerunt annuo imperio reipub." Ex his novem unus vetus nomen archontis retinuit, et quia quotannis ut reliqui electus, non tantum *ἐνιαύσιος*, sed et signanter *ἐπώνυμος* dictus est, nec eo sensu quo alii apud Athenienses *ἐπώνυμοι* dicebantur, sed restricte *ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμος*, ut loquitur Pollux, qui a Philone Judæo sic describitur, *Ἄρχων Ἀθήνησιν ὁ ἐπώνυμος καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων ἄριστος, ἀφ' οὗ οἱ χρόνοι καταριθμοῦνται.* Cujus nominis ratio sic explicatur in argumento secundo Orationis Demosthenis adversus Androtionem, *εἰς ἐπώνυμος ἐξ οὗ καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἐπωνομάζετο*, cujus nomine annus in Fastis signabatur. Sic sub quo archonte idem Atheniensibus quod quo anno. Clare Æschines contra Ctesiphontem, *Καί μοι ἀνάγνωθι ἐπί τινος ἄρχοντος, καὶ ποίου μηνὸς, καὶ ἐν τινὶ ἡμέρᾳ*, ac si dixisset, " quo anno, quo anni mense, quo mensis die."

V. Hæc ego prolixius explicanda putavi, ut quivis facile judicare possit an episcopi qui unquam in successionum tabulis nominati sunt, his archontibus assimilari debuerint. Ex tribus his generibus archontum unicum amplectitur Blondellus, reliqua duo negat contra omnia veterum testimonia quæ adduximus, quod facere coactus est, ut hypothesin de collegis a se inventam tueretur, quæ tamen contradictionem manifeste involvit. Nam hi archontes annui uno tantum anno magistratum eum tenuerunt, eoque absoluto exierunt, aliisque eligendis locum vacuum reliquerunt, cum rationem officii gesti apud *λογιστὰς* decem reddiderunt, *ὅταν τὰς ἀρχὰς ἀποθῶνται οἱ ἄρχοντες*, " cum præfec- " turas suas deponerent," ut loquitur Harpocration sive Julius Vestinus. Blondelli autem episcopi *πρωτοκληθέντες* ex ipso *πρωτοτοκίας* jure, durante vita, suam auctoritatem qualiscunque illa fuit, necessario retinue-

runt, nec successores ipsis superstitibus habere potuerunt, quia primo prior nemo esse potuit, sed quisque primo posteriorem se agnoscere debuit. Jam si velis episcopum aliquem in Successionis Tabula nominatum fuisse archonti Atheniensi similem, nulli archonti similis dicendus erit nisi archonti perpetuo, sive *διὰ βίου*. Sed hic archon *διὰ βίου* nullos unquam collegas in eo officio habuit, primus enim fuit Medon Codri filius, qui reliquis Codri filiis in alias orbis partes profectis solus eum magistratum tenuit, et qui post eum eundem tenuerunt, erant omnes Μεδοντίδαι, hoc est Medontis posteri. Neque igitur Medon, neque ejus posteri, collegas in officio habuerunt. Sed neque nomen anno certo in Fastis dare potuerunt, quia annuatim non præsidebant, ideoque chronologi, qui ad eorum magistratum actionem aliquam referebant, non inde voluerunt certum aliquem annum designare, nisi quando annum certum illius magistratus nominarunt. Ut in Marmore Arundeliano, . . . *τος Αἰσχύλου Ἀθηνῶν ἔτους εἰκοστοῦ καὶ ἑνὸς*, " Æschyli archontis anno XXI." qui Athenis præfuit annis XXIII. teste Eusebio. Ita de decennalibus archontibus statuendum, quod archonte nominato nihil certi inde colligi potuit, nisi annus *δεκαετίας* indigitaretur, ut Dionys. Hal. l. i. *Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χάροπος ἔτος τῆς δεκαετίας πρῶτον*. Pausanias, *Αἰσιμήδης Ἀθηναῖος ἦρχεν ὁ Αἰσχύλου πέμπτον ἔτος*. Nempe annus Charopis decennii primus, et Æsimedis quintus satis certi habebantur.

VI. Agnosco quidem episcopos dictos fuisse aliquando *ἄρχοντας*, ut loquitur Origenes contra Celsum l. viii. sed qualis *ἄρχων* in Ecclesia fuerit, ipse explicat in Homil. xi. in Jeremiam, ubi describit episcopum tanquam *τὸν πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένον ἀρχὴν αὐτὴν ἐκκλησιαστικήν*. Est igitur *ἀρχὴ* ecclesiastica et *ὁ*

ἄρχων episcopus, ut ex eo loco clare constat. Sed qui episcopum in ecclesia archonti annuo Atheniensium comparaverit, inventus est nemo. Tlesiam quidem comminiscitur Blondellus, tanquam qui cum Creonte uno anno inter reliquos octo collega fuerit, ei postea successerit in loco archontis ἐπωνύμου, sed contra omnem fidem historiæ. Nam omnes archontes annui ad finem anni præfecturam posuerunt. Et Solon postea ex iis qui archontes fuerant, constituit concilium Areopagitarum. Quæ consuetudo postea viguit, neque unquam apparet aut regem aut polemarchum, aut thesmothetam aliquem fuisse archontem ἐπώνυμον. Tales igitur collegæ quorum unus alteri succederet, neque Athenis, neque in Ecclesia, usquam reperti sunt.

VII. Episcopi quidem Romani habuerunt suos collegas, sed non in urbe; in aliis civitatibus, ut in Antiochena, Hierosolymitana, Alexandrina, cæterisque, illorum collegæ extiterunt; hoc est, episcopi ejusdem ordinis in sua urbe collegam habuere neminem. Iniqua igitur postulatio est ut nos ostendamus episcopos, in successionum tabulis nominatos, non fuisse presbyteros πρωτοκληθέντας Atheniensium archontibus annuis similes, cum iis similes esse nullo modo potuerint, quippe qui omnes, qualescunque essent, præfuerint διὰ βίου, nec quisquam successorem admiserit, dum ipse viveret. Proinde illa regiminis forma postea cum Hygino moriente expirare non potuit, quæ neque sub Hygino, neque ante eum vitalis fuit.

CAP. XI.

I. Hygino successit Pius, Pio Anicetus, Aniceto Soter.—II. E vero horum pontificum ordine convincuntur imposturæ Epistolæ Pii ad Justum Viennensem.—III. E commentitia Pii Epistola prodiit Decretum apud Gratianum ipsum quoque commentitium.—IV. Erant etiam e Latinis qui ordinem horum pontificum prædictum sequerentur.

I. SEQUITUR tertius pontificum quaternio, de quorum ordine successionis rursus inter Græcos et Latinos discrepantia est. Apud Græcos omnes hoc ordine recitantur; Hyginus, Pius, Anicetus, Soter: apud Latinos aliter; Hyginus, Anicetus, Pius, Soter: ita Optatus, Augustinus, Liber Pontificum, et Gesta Pontificalia priora nuper ab Heinschenio edita, et fortasse antiquissimus catalogus, qui his omnibus præivit. Nec tamen de successionis ordine dubitandum est; neque eum parvi pendere debuit Heinschenius, cum illius controversiæ determinatio sit ad veram chronologiæ et historiæ ecclesiasticæ intelligentiam imprimis necessaria. Græcorum enim successio, quæ Pium Hygino, Anicetum Pio subjicit, pro certissima haberi debet. Quippe Irenæus, qui sub Pio et Aniceto vixit, et cum Ecclesia Romana magnum sub Eleuthero et Victore commercium habuit, eum successionis ordinem diserte tradit lib. iii. cap. 3. Ἔπειτα Ὑγῖνος, εἶτα Πῖος, μεθ' ὃν Ἀνίκητος, διαδεξαμένου τὸν Ἀνίκητον Σωτῆρος. Vetus Interpres, "Deinceps Hyginus, post Pius, quem "Anicetus: cum autem successisset Aniceto Soter." Idem postea in Epistola ad Victorem papam eandem

successionem ordine retrogrado sic expressit; Ἀνίκητον λέγομεν καὶ Πῖον, Ὑγῖνόν τε, καὶ Τελέσφορον καὶ Ξύστον, "Anicetum dicimus et Pium, Hyginumque et Teles-"phorum et Xystum." Neque dubitari potest, an apud eum successio his locis corrupta sit; cum ipse alibi doceat Valentinum Romam venisse sub Hygino, viguisse sub Pio, et permansisse usque ad Anicetum. Idem etiam Marcellinam Romam venisse ait sub Aniceto, cui addit Epiphanius τοῦ μετὰ τὴν διαδοχὴν Πίου, καὶ τῶν ἀνωτέρω, "qui fuit post successionem Pii, et "superiorum." Pio igitur proxime successit secundum sententiam Epiphanii, cui in catalogo hi tres hoc ordine numerantur; Hyginus, Pius, Anicetus. Præterea Hegesippus, qui sub Aniceto Romam venit, testatur Aniceto non Pium, sed Soterem successisse, καὶ παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτὴρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος, "Post "Anicetum succedit Soter, post quem Eleutherus." Verba sunt Hegesippi apud Euseb. lib. iv. cap. 22. Cum duo scriptores adeo celebres Hegesippus et Irenæus, qui Pii et Aniceti et Soteris temporibus vixere, et sub Eleuthero scripsere, hunc successionis ordinem de industria tradiderint; quos Eusebius secutus est, et eum omnes Græci: "prope stultus habeatur is, qui "horum testimonio non acquiescit." Et tamen Salmasius, "post mortem Hygini," inquit, "Anicetus erat "presbyterorum Romæ primus presbyter, cui Pius in "illo primatu successit." Quibus verbis non tantum primatum presbyterorum post tempora a Blondello designata deducit, sed et contra vetustissimorum et contemporaneorum patrum apertissima testimonia ordinem perturbat.

II. Primus omnium, quos novimus, Optatus Pio Anicetum præposuit, (nisi antiquissimus catalogus ei præiverit) cum nondum Eusebii Chronicon in Latinum

sermonem versum fuit: primus inter Latinos qui Pium suo loco posuit, erat Prosper in Chronico a Labbeo edito, quem secutus est catalogus; tertius Pseudo-Tertullianus, cujus ætas ignota est, lib. iii.

> " Jamque loco nono cathedram suscepit Hyginus,
> " Post hunc deinde Pius,
> " Aque Pio suscepit Anicetus ordine sortem."

Lego enim " aque," non " atque," ut editur. Nihil igitur certius hoc ordine successionis haberi debet, quo Hygino Pius, Pio Anicetus sufficitur; et quicquid alio ordine nititur, vel inde falsum esse deprehenditur. Verbi gratia: In tomo tertio Bibliothecæ Patrum exstant duæ epistolæ Pii papæ ad Justum Viennensem, ut aiunt, episcopum; quas Baronius in Annales suos, Binius in Concilia transtulit, easque miris commentariis uterque illustravit; has constat esse fictas et suppositicias, non plane aureas, ut Baronius. Quod cum multis facile probatu sit, inpræsentiarum hoc tantum dico, fictum illum Pium repræsentari tanquam Aniceti successorem: " Salutant te," inquit, " Soter et Eleuthe-" rus digni presbyteri:" Anicetum non nominat, quasi jam mortuum, Eleutherum nominat quasi sub se presbyterum jam existentem; cum Eleutherus sub Pio presbyter esse non potuit, qui sub Aniceto, Pii indubitato successore, adhuc diaconus erat, ut testatur Hegesippus oculatus testis apud Eusebium lib. iv. cap. 22. *Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος.* Unde etiam in Breviario Romano Maii XXVI. " Eleutherius, Nicopoli in Græcia " natus, Aniceti pontificis diaconus, Commodo impe-" rante præfuit Ecclesiæ." Ab aliquo igitur impostore hæc epistola conficta est, qui vel ex secundo catalogo vel ex Libro Pontificum, solenni illo imposturarum fundo, falso didicerat Pium Aniceto successisse. Et

liber iste "solis radio" scriptus[a] adeo præstrinxit Blondelli oculos, ut perspicere non posset epistolas illas esse plane spurias; sed ex ipsis tanquam authenticis Pii tabulis disputat contra ordinem episcopalem, Apologiæ sect. 2. §. 4. ut et ex Victoris Epistolis ad Dionysium et Paragodam Viennenses episcopos, qui nunquam fuere, conscriptis, pariter disputat §. 10. Etiam Walo Messalinus pag. 155. "Pius in Epistola ad Justum "Viennensem episcopum, senatum Christi apud Ro- "mam constitutum, presbyterium Romanum vocat:" imo pag. 176. mira hinc colligit, eadem in Apparatu repetit. Ex hac Blondelli incuria et Salmasii consensu disputat cardinalis Bona pro antiquitate nominis "missæ:" "Exstat primo loco Epistola Pii ad Justum Viennen- "sem episcopum quam recipiunt orthodoxi, nec audent "omnino reprobare sectarii, scripta, ut Baronio visum "est, anno Christi CLXVI." Certe si a Pio scripta est, largior nomen missæ antiquius esse quam Bona ipse ponit; si enim a Pio data sit illa Epistola ad Justum Viennensem episcopum, scripta est ante annum CXLIII. et vocabulum missæ eo anno antiquius fuisset. Verum illa non est Pii, sed impostoris epistola post Pontificale, ut opinor, certe post quartum seculum aut etiam quintum et catalogum secundum scripta, cujus ætas ex falsa successione episcoporum satis innotescit. Impostor ille cum videret Eleutherum in Rufino Aniceti diaconum, et perspiceret in Pontificali sive secundo catalogo Pium successisse Aniceto, statim eum facit sub Pio presbyterum, et sic imposturam suam prodit, et Pium producit nescium antecessoris sui. Salmasius qui tantam vim in Epistolis Pii ponit, semper Anicetum ante Pium collocat, unde illa apud eum imperitissima

[a] Vid. supra Dissert. i. c. xi. 1. Dissert. ii. c. x. 1.

episcoporum enumeratio, " Episcopi Romani sub duo-
" bus Antoninis Hyginus, Anicetus, Pius, Soter, Eleu-
" therius, Victor." Apparatu pag. 59.

III. Ex eodem fonte et alia non absimilis impostura ; nam cum " missæ" vocabulum in Epistola Pii legeretur, maleferiatus aliquis etiam Decretum condidit, quod a Gratiano distinctioni secundæ de Consecratione insertum est, in quo altare cum omni sua paratura, et cum quatuor linteis proponitur ; sed explicatio illius Decreti, et vocis ipsius " altaris" significatio viros tres doctissimos vehementer torsit, Latinum Latinium, Franciscum Toletum et Franciscum Turrianum, ut patet ex epistolis Latini Latinii. Latinius autem ipse, cum attulisset quidquid potuit ad altaris illius explicationem, satis modeste concludit, " Pii autem pontificis tempore an
" ita usus obtineret, aut qua omnino ratione sacra per-
" ficerentur, in tanta temporum obscuritate non facile
" quisquam affirmarit: ego quidem nihil unquam cer-
" tum de ejusce rei observationibus ritibusque memini
" legere." Cui illud addendum, Certissimum illud commentum est, de quatuor linteis super altare Pii pontificis ætate positis, cum CC. ferme annis postea Sylvester papa constituerit " sacrificium altaris non in
" serico neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum
" in lineo." Præsertim si considerare placeat quid fieri solebat in Africa, etiam post Sylvestri tempora, quod satis indicat Optatus lib. vi. c. 1. his verbis, " Quis
" fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna
" linteamine cooperiri? Inter ipsa sacramenta velamen
" potuit tangi, non lignum. Aut si tactu potuit pene-
" trari velamen, ergo penetrantur et ligna." Nam si plura fuissent linteamina sive velamina, multitudinem eorum non omisisset Optatus, quippe fortius argumentum contra Donatistas præbuisset.

IV. Hæc adeo certa sunt, ut etiam inter Latinos Pseudo-Tertullianus Pio Anicetum substituerit, et multi codices Libri Pontificum MSS. Pium Aniceto præposuerint, quales sunt Regius, Mazarinus, et Thuaneus. Et cum Baronius putet Hieronymum Latinorum sententiæ astipulari, dum post Petrum decimo loco numerat Anicetum, fugit eum ratio. Nam Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis sequitur Eusebium, cujus Chronicon decennio ante verterat; Eusebius autem Pium numerabat post Petrum, nonum; adeoque decimum Anicetum. Denique eundem successionis ordinem cum Græcis secutus est inter Arabas Eutychius. Quare ordo successionis apud Latinos luxatus, nullo modo probandus est.

CAP. XII.

I. Hyginus sedit ab an. Dom. CXXII. ad an. Dom. CXXVI. Non martyr.—II. Vacatio fere annua. Inde Pius ab an. Dom. CXXVII. ad an. Dom. CXLII. Nullum erat, post Hyginum, interpontificii quadriennium, ut credidit Blondellus.—III. Solus, hoc in loco, verisimilia tradit Eutychius.

I. DIXIMUS de successionis ordine; jam de annis quatuor horum pontificum quid statuendum sit, videamus. وفي ست سنين من ملكه صير اوجانيوس بطريركا علي رومية اقام اربع سنين ومات " Anno imperii " Hadriani sexto constitutus est Eugenius (sive Hy- " ginus) patriarcha Romanus, qui cum annos quatuor " sedisset, mortuus est," inquit Eutychius. Sedit igitur ab an. Dom. CXXII. Aviola et Pansa coss. usque ad an. Dom. CXXVI. Vero et Ambiguo coss. Hæc mihi videntur veritati maxime consentanea, et ad veterem Ecclesiæ historiam recte intelligendam optime comparata, ut ante diximus. Decimo Hadriani mortuus est Hyginus. Baronius, Petavius et Labbeus ordinatum esse statuunt Antonini Pii XV. triginta scilicet annis serius quam Eutychius. Qui immanis metachronismus maximam in historia ecclesiastica confusionem peperit, de qua etiam ante diximus. Quantula igitur fides Martyrologio Romano adhibenda; ex quo

legimus ad undecimum Januarii, " Romæ natalis S. " Hygini papæ, qui in persecutione Antonini gloriose " martyrium consummavit." Cujus rei nec vola nec vestigium extat. An martyrium Hygini tacuisset Irenæus, qui Telesphori passionis meminit? An hoc ignorare potuit, qui persecutioni Antonini interfuit? an ille aut episcopus aut presbyter sub Hygino fuit? Hæc nullo modo ferri possunt. Martyrologorum nemo antiquior ista docuit, non Beda, non Florus, non Usuardus, non Ado. Unde Molanus et Onuphrius, qui de ejus martyrio nihil legerant, martyris titulum Hygino dari putant, quod multa pro Christi confessione passus fuerit, ut videtur, scilicet. Baronius ad Martyrologium suum, " Sub persecutione Antonini Hygi- " num coronatum esse martyrio, liber de Romanis " Pontificibus, Eusebius in Chronico, et alii omnes " testantur." Sed illi neque de persecutione Antonini loquuntur, neque de martyrio Hygini quicquam habent aut illi, aut alius quispiam. Paulo modestius Heinschenius; " Forsan melius diceretur martyr, quod quad- " riennio inclusus carceri vitam finierit, quo tempore " S. Pius ejus vicarius Ecclesiam rexit." Sed unde habuit Hyginum toto quadriennio carceri inclusum fuisse? Ex qua historia hausit episcopum Romanum carceri mancipatum tam diu misere vixisse? Unde habuit S. Pium toto eo quadriennio ejus vicarium Ecclesiam rexisse? Certe sperandum non fuit, ut hæc hactenus inaudita, sub uno vocabulo *forsan* ab eruditis admitterentur. Blondellus satis acutus, hæc non vidit, quamvis alias oculatus satis.

II. وفي عشرة سنين من ملكه صير مرقص بطريركا على رومية اقام خمسة عشر سنة ومات " Anno Hadriani decimo " constitutus est Marcus (pro Pio) patriarcha Romanus,

" qui annos quindecim sedit, dein mortuus est," inquit Eutychius. Ubi observandum sedecim revera annos ei tribuere, cum post dicat Anicetum anno Antonini quinto constitutum esse patriarcham ; unde annum vacationis sedis post obitum Hygini hic inserendum esse omnino censeo, astipulante Epiphanio. Anno igitur CXXVI. Hygino denato, per annum fere unum sedes vacat. Ab an. Dom. CXXVII. Hadriani XI. Gallicano et Titiano coss. sedet Pius usque ad an. Dom. CXLII. Antonini quintum, Rufino et Quadrato coss. Blondellus quidem hic quadriennium vacationis statuit, sed ex conjecturis maxime infirmis et minime tolerandis : docet enim Hyginum sedisse ab an. Dom. CXXXVIII. Camerino et Magno coss. usque ad an. Dom. CXLII. Orphito et Prisco coss. Rufino et Quadrato suffectis : sedem vacasse ab anno CXLII. ad anno CXLVI. Pium ordinatum esse an. Dom. CXLVI. Claro et Severo coss. martyrio coronatum an. Dom. CL. Gallicano et Vetere coss. Hæc se hausisse ex veteribus Ecclesiæ Romanæ tabulis indicat, ex Libro scilicet Pontificali. Sed neque illi libro, hoc in loco, ulla fides adhibenda est ; neque ex illo ista, quæ docet Blondellus, ulla arte exculpi possunt. Non animadvertit Librum Pontificum coss. suos ex auctore catalogi multo vetustioris insertos habuisse, qui quid hic scriberet, non habebat. Unde qui Gesta Pontificum scripsit, quid hic diceret, minime novit ; coss. tantum pro more apposuit ; ultimos tamen duos, scilicet, Augustos, omisit. Sedisse Hyginum dicit a consulatu Magni et Camerini usque Orphito et Prisco, quos coss. sine dubio habuit a vetustissimo auctore catalogi, qui Hygino duodecim annos tribuebat, totidem enim a Magno et Camerino orsi in Orphito et Prisco desinunt. Dum autem coss. ab eo acciperet, annos pontificatus in Eusebianos convertit, et cum Hieronymo quatuor tantum

Hygino assignavit, ac proinde plane ἀσύστατα, ut solet, scripsit; ac si dixisset, Hyginum quatuor tantum annis pontificatum administrasse, nempe ab an. Dom. CXXXVIII. ad an. Dom. CXLIX. quod quam absurdum sit, quis non videt? Blondellus, ut Libri Pontificum tueretur auctoritatem, Orphitum et Priscum, (qui consulatum ordinarium an. Dom. CXLIX. gessisse noscuntur,) an. Dom. CXLII. coss. fuisse, Rufino et Quadrato suffectos, docuit, nulla auctoritate fretus, sed pro arbitrio ordinarios consules in suffectos vertens, aliosque ex suo loco longe dimovens. Post hanc importunam conjecturam, Pium cum Libro Pontificum sedisse docet Claro et Severo coss., obiisse autem sub Gallicano et Vetere, contra illius fidem. Auctor enim Libri Pontificalis tradit a Claro et Severo per annos XVIII. cum aliquot mensibus sedisse Pium, usque scilicet duobus Augustis, qui in primo catalogo diserte nominantur, eosdemque spectasse auctorem Libri Pontificum constat, quia Soterem, quem Pio successisse vult, sedisse ait a consulatu Rustici et Aquilini, qui duobus Augustis in consulatu successerunt. Revera illa confusio nulla arte sanari potest. Nam tempus illud a consulatu Gallicani et Veteris usque Præsente et Rufino, quod tribuitur pontificatui Aniceti, intra illud tempus continetur, quod tribuitur Pio. Unde certissime evincitur, quod ante diximus, auctorem catalogi annos priorum pontificum deorsum extendisse, ut cum ad illa tempora perveniret, quid scriberet non haberet.

III. Gratis igitur et sine ullo fundamento vacationis quadriennium hinc exculpsit Blondellus; gratis Heinschenius Hyginum quadriennio integro carceri inclusum vitam finivisse docuit: frustra uterque Librum Pontificum appellavit, qui tum suis, tum catalogi erroribus adeo scatet, ut nulli veritati patrocinium præbere

possit. Quare relinquamus hoc ulcus apud Latinos prorsus insanabile, et sequamur potius Eutychium, qui Pio suum ordinem restituit, et annos XV. pontificatui ejus cum Eusebio tribuit; cujus tempore Valentinum maxime invaluisse tradit Irenæus, quod ad annos pauciores minime restringendum videtur. Quæ autem de vicariatu ad hunc locum nuperrime excogitavit Heinschenius, adeo inaudita sunt, ut refutatione non indigeant, suo indicio statim, ut puto, peritura. Neque simplicem hic adhibet vicariatum Heinschenius, sed duplicem, unum vicariatum alio tegens ne perpluat. Pium enim sub Hygino tanquam ejus vicarium sive chorepiscopum statuit; dein eundem Pium, toto Aniceti pontificatus tempore Aniceti vicarium sive chorepiscopum fuisse vult, ac defuncto demum Aniceto, eum verum et ordinarium pontificem creat.

CAP. XIII.

I. Cœpit Anicetus ab an. Dom. CXLII. sub Pio, aliis etiam suffragantibus præter Eutychium.—II. Tam mature cœpisse in sequentibus probandum.

I. وفي خمس سنين من ملكه صير انكيطوس بطريرك علي رومية "Anno imperii Antonini quinto factus est "Anicetus patriarcha Romanus," inquit Eutychius. Ordinatus igitur est an. Dom. CXLII. Rufino et Quadrato coss. Hucusque Eutychium sequor: neque enim dubito quin Anicetus tam mature pontificatum inierit, ex scriptoribus ecclesiasticis, qui ejus ætate vixerunt, decessoribus suis multo nobis notior. Baronius quidem ingressum ejus deprimit ad an. Dom. CLXVII. Marci Antonini quintum, et eundem annum imperatoris agnoscit Petavius, immani metachronismo; quem tamen hujus ætatis chronologi fere sequuntur, ut Labbeus et Ricciolus. Hæc a me nunquam probata sunt, ut in Vindiciis nostris obiter subinnui his verbis, "Scripsit "autem ille [Justinus Martyr] ante Eleutherium, ante "Soterem, imo ante Anicetum, ut nunc Aniceti tem-"pora a chronologis ex Eusebio disponuntur[a]." Quem autem illi quinto Antonini junioris anno ordinatum volunt, hunc ego Antonini senioris quinto sedisse arbitror, XXIII. fere annorum intervallo. Et habeo quidem ego quem sequor Eutychium, illi vero neminem.

[a] Part. ii. c. 7.

Ante Baronium Onuphrius statuit Anicetum sub Antonino Pio an. Dom. CLIII. pontificatum iniisse, mortuum autem esse Rustico et Aquilino coss. triennio antequam eum ordinatum putavit Baronius: ita inter Onuphrianum et Baronianum calculum XIII. fere annorum discrepantia est. Neque veterum quisquam Aniceti initium sub Marci imperio collocavit. Eusebius in Chronico, anno Antonini Pii XVI. Anicetum episcopatum tenuisse dicit. Hieronymus in Catalogo de Polycarpo scribens Eusebio suffragatur; "Hic," inquit, "propter quasdam super die paschæ quæstiones sub "imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in urbe regente "Aniceto, Romam venit." Latini quidem Anicetum Pio male præposuerunt; neutrius autem infra consulatum vel Clari et Severi, hoc est, Antonini Pii IX. vel Gallicani et Veteris, hoc est, Antonini Pii XIII. initium ponunt.

II. Pro certo igitur haberi debet Anicetum sub Antonino Pio pontificatum iniisse; quoto autem ejus imperii anno inierit, quæri potest, et quidem non inutiliter: interim tam mature eum sedisse ex certissimis ecclesiasticæ historiæ monumentis probatum dabimus.

CAP. XIV.

I. Romam venit sub Aniceto Polycarpus, et quidem imperante Pio, quo etiam imperante passus est.—II. Scripsit Irenæus adversus Hæreses circa an. Dom. CLXXX. post aliquas tamen a Polycarpo in sede Smyrnea successiones.—III. Vidit Irenæus Polycarpum, sed puer ipse admodum senem.—IV. Multis proinde, antequam scriberet, annis.

I. HÆC autem quæstio de pontificatu Aniceti diu mihi visa est ex ætate S. Polycarpi optime determinari posse, et multo antequam Eutychii chronologiam consideratione dignam putaveram; et nunc rationes nostras afferam, rem ipsam, ut puto, certissime confecturas. Constat enim Polycarpum Romæ fuisse sub Aniceti pontificatu: hoc asserit Irenæus, qui Polycarpi discipulus fuit, et sub Aniceto vixit, lib. iii. cap. 3. Ὃς καὶ ἐπὶ Ἀνικήτου ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ πολλοὺς ἀπὸ τῶν προειρημένων αἱρετικῶν ἐπέστρεψεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Vet. Interp. "Is enim est, qui sub Aniceto cum "advenisset in urbem, multos ex his quos prædiximus "hæreticos convertit in Ecclesiam Dei." Idem etiam affirmavit in Epistola ad Victorem papam Romanum scripta, Καὶ τοῦ μακαρίου Πολυκάρπου ἐπιδημήσαντος τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Ἀνικήτου, καὶ περὶ ἄλλων τινῶν μικρὰ σχόντες πρὸς ἀλλήλους εὐθὺς εἰρήνευσαν· "Et cum beatus Poly-"carpus sub Aniceto Romam venisset, atque inter "illos de quibusdam aliis rebus modica esset contro-"versia, statim inter se pacem fecerunt," apud Euseb. lib. v. cap. 24. Adventum hunc sub Antonino Pio

collocat Eusebius lib. iv. cap. 14. quem sequitur Hieronymus (ut diximus) in Catalogo. Et Fasti Siculi ponunt sub Tertullo et Sacerdote, qui an. Dom. CLVIII. hoc est, Pii XX. consulatum gessere. Hieronymus in Catalogo, " Romanæ Ecclesiæ episcopatum tenet Ani-
" cetus annos XI. sub quo Polycarpus Romam veniens
" multos ab hæretico errore correxit." Unde et Halloixius et Valesius et Heinschenius merito Baronium reprehendunt, quod Aniceti initia tam sero, ad Marci quintum referat. Verum non adventum hunc tantum, sed et martyrium Polycarpi sub Antonino Pio contigisse memoratur. Certe apud Chronographum veterem MS. quem mihi commodavit vir eruditissimus Isaacus Vossius, hæc legi, *Μετὰ δὲ Ἀδριανὸν ἐβασίλευσεν Ἀντωνῖνος ἔτη κβ', ἐφ' οὗ Πολύκαρπος ὁ μαθητὴς Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ, καὶ Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος ἐμαρτύρησαν*·
" Post Hadrianum autem imperavit Antoninus annos
" XXII. sub quo Polycarpus Joannis evangelistæ disci-
" pulus, et Justinus philosophus martyrium subierunt."

II. Vera hæc esse de Justino putat doctissimus Valesius; ego etiam de Polycarpo, ut ex sequentibus patebit. Irenæus scripsit libros contra Hæreses circa an. Dom. CLXXX. extremis Marci temporibus et sub initio Commodi; neque enim omnes simul scripsit. Priores quidem duos primo exaravit, et ad amicum transmisit, dein tertium, et ad eundem misit; postea quartum addidit transmisitque; denique quintum quatuor prius editis subjecit, ut ex Prologis patet. Tertium autem librum sub pontificatu Eleutheri scripsit, ut ipse ostendit cap. 3. *Διαδεξαμένου δὲ Ἀνίκητον Σωτῆρος, νῦν δωδεκάτῳ τόπῳ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κατέχει κλῆρον Ἐλεύθερος.* Vet. Interp. " Cum autem
" successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco
" episcopatum ab apostolis habet Eleutherius." Eleu-

therus autem an. Dom. CLXXXV. coss. Materno et Bradua obiit. Unde verissima mihi videtur sententia Feuardentii; et Marca longe aberrat, qui putat eum scripsisse an. Dom. CXC; ante quem annum defunctum fuisse Eleutherum satis certum est. Vixit enim tantum usque Materno et Bradua, hoc est, usque ad an. Dom. CLXXXV. ut ex antiquissimo catalogo constat. Quibus observatis vulgaris sententia de anno obitus S. Polycarpi facile refutatur. Vel enim statuunt viri docti cum Eusebii Chronico anno Marci Aurelii VII. an. Dom. CLXVII. vel anno Marci IX. an. Dom. CLXIX. S. Polycarpum martyrio coronatum esse; ut Bucherius et Usserius voluerunt; vel denique an. Dom. CLXXV. ut probare nititur Samuel Petitus Var. Lect. lib. iv. cap. 7. At tam sero passum esse Polycarpum ut putemus vetat Irenæus ejus discipulus. Ipse enim lib. iii. cap. 3. de Polycarpo sic scribit, *Ταῦτα διδάξας ἀεὶ, ἃ καὶ παρὰ τῶν ἀποστόλων ἔμαθεν, ἃ καὶ ἡ ἐκκλησία παραδίδωσιν, ἃ καὶ μόνα ἔστιν ἀληθῆ· μαρτυροῦσι δὲ τούτοις αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν Πολύκαρπον*, ut habet editio Valesii, ut autem prior Roberti Stephani, *τὸν τοῦ Πολυκάρπου θρόνον*. Vetus Interpres, " Hæc docuit semper, " quæ ab apostolis didicerat, quæ et Ecclesia tradidit, " et sola sunt vera: testimonium his perhibent, quæ " sunt in Asia, Ecclesiæ omnes, et qui usque adhuc " successerunt Polycarpo." Plures igitur novit Irenæus successores Polycarpi, qui ab obitu Polycarpi usque ad illud tempus, quo ipse scripsit, in cathedra Smyrnensi sederant, et quorum auctoritas magnum doctrinæ catholicæ contra hæreticos patrocinium præbuit. Qui quidem erant, opinor, Papias Camerius aliique fortasse inter Camerium et ætatem, qua scripsit Irenæus.

III. Hæc ad arctum quinquennii aut duodecennii spatium nulla verisimilitudine restringi possunt; sed ad triginta minimum extendi et possunt et debent. Quod ex iis, quæ ab Irenæo eodem capite et alibi dicuntur, facile intelligitur; Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ ἀποστόλων μαθητευθεὶς καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ· ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε καὶ πάνυ γηραλέος ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας ἐξῆλθε τοῦ βίου. Vet. Interp. "Et Poly-"carpus autem non solum ab apostolis edoctus et "conservatus cum multis ex iis, qui Dominum nostrum "viderunt, sed etiam ab apostolis in Asia, in ea quæ "est Smyrnæ Ecclesia, constitutus episcopus; quem et "nos vidimus in prima nostra ætate; multum enim "perseveraverat et valde senex gloriosissime et no-"bilissime martyrium faciens, exivit de hac vita." Duo hic dicit Irenæus, Polycarpum fuisse apostolorum discipulum, se autem eum vidisse, et ea quæ docuit novisse. In libro, quem scripsit de Octonario, referente Eusebio, lib. v. cap. 20. ἐπισημαίνεται τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων κατειληφέναι ἑαυτὸν διαδοχήν. Rufinus Interpres, "In quo significat consecutum se esse quosdam "ex successoribus apostolorum:" multo cautius Valesius; "primam se apostolorum successionem conti-"gisse significat." Quod ad unum fortasse Polycarpum pertinebat. Solebat quidem Irenæus sæpius presbyterorum, quibuscum conversatus fuerat, testimonia proferre; "sed eorum, qui audierant ab illis, qui "apostolos viderant." Ut autem doctrinam aliquam ab eo, qui ab apostolis ipsis edoctus et episcopus factus est, ipse suis auribus hauriret, non potuit non ea ætate, qua scripsit, mirum videri: ut igitur id verum

esse, quod dixerat, apparere posset; duo iterum dixit, tum se "puerum" fuisse, tum Polycarpum "diu per-"mansisse," cum eum videret. Quis hæc unquam dixisset, qui quinquennio aut duodecennio circiter post tam clarum tanti viri martyrium scripserit? Polycarpum senem audivit Irenæus puer, nunquam postea. Agnoscit Halloixius, "Irenæum fuisse quidem discipulum "Polycarpi, et (ut ipse scribit) admodum juvenem "valde senis." Sed vulgari chronologia misere deceptus eundem a Polycarpo primo diaconum, dein presbyterum ordinatum esse asserit; cum Irenæus nunquam Polycarpum vidit, postquam ad ephebos transierat ipse.

IV. Patet hoc, tum ex iis, quæ diximus, tum præcipue ex Epistola ad Florinum scripta, cujus fragmentum exstat apud Euseb. lib. v. cap. 20. In qua docet hæreticum illum non ab aliquo apostolorum discipulo sua hausisse, non certe a Polycarpo, quem aliquando audiverat: Εἶδον γάρ σε παῖς ὢν ἔτι ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ τῷ Πολυκάρπῳ, "Vidi enim te, cum puer adhuc essem, "in inferiore Asia apud Polycarpum." Et ne quis dubitaret, an et intelligere doctrinam ejus et retinere posset, statim subjungit, μᾶλλον γὰρ τὰ τότε διαμνημονεύω τῶν ἔναγχος γενομένων, "Etenim ea, quæ tunc "temporis gesta sunt, melius memoria teneo, quam ea, "quæ nuper acciderunt." Cujus effati philosophicam reddit rationem. Tum vero profitetur posse se adhuc dicere, quomodo Polycarpus in eo conventu se gesserit, quales sermones ad populum habuerit, qualem consuetudinem se cum Joanne habuisse dixerit, et cum aliis, qui Dominum viderant; ac tandem hæc addit, Ταῦτα καὶ τότε διὰ τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ τὸ ἐπ' ἐμοὶ γεγονὸς σπουδαίως ἤκουον, ὑπομνηματιζόμενος αὐτὰ οὐκ ἐν χάρτῃ, ἀλλ' ἐν τῇ ἐμῇ καρδίᾳ, καὶ ἀεὶ διὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ

γνησίως αὐτὰ ἀναμαρυκῶμαι· " Hæc ego per Dei erga me " misericordiam studiose tunc audiebam, non in charta, " sed in corde audita describens, eademque per Dei " gratiam assidue repeto ac revolvo." Notanda obiter ea verba sunt σπουδαίως ἤκουον, " studiose audiebam ;" hinc enim Eusebius Historiæ lib. v. cap. 5. hæc de Irenæo scripsit ; Πολυκάρπου δὲ τοῦτον ἀκουστὴν γενέσθαι κατὰ τὴν νέαν ἐμανθάνομεν ἡλικίαν· Rufinus Interpres, " Quem Irenæum Polycarpi auditorem in pueritia com- " perimus." Idem etiam vel ex iis colligi posse videtur, quæ habet Irenæus lib. v. cap. 33. " Hæc autem " et Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contu- " bernalis, vetus homo, per scripturam testimonium per- " hibet ;" quæ Græce exstant apud Eusebium. Male igitur vir eruditus nuper asseruit Irenæum ipsum dixisse, " vidisse se modo Polycarpum," cum multa se ab eo audivisse tam diligenter tradat. An Irenæus hæc dixisset, si adultior factus Polycarpum audiisset, si ab eo diaconus et presbyter ordinatus in Galliam missus fuisset ? An misericordiæ Dei, quod eum puer adhuc studiose audiverit, et gratiæ etiam imputasset, quod quæ ab eo tunc audierat, assidue recoluerit, si ejus doctrina et institutis per multos annos postea fuisset imbutus ? Ferri hæc non possunt. Irenæus Polycarpum audivit adhuc puer et in prima ætate ; admiratione tam venerandi viri captus, ejus personam gestus et verba in animo semper habuit, ejusque auctoritatem omnibus hæreticis opposuit. Sive [a]. . . . .

* * * * * *

[a] Desunt hoc in loco nonnulla, sed nec multa illa, nec novum, ut videtur, argumentum præbentia. Moneo itaque deinceps lectorem ne in istiusmodi locis nostras additiones expectet. DODWELL.

CAP. XV.

I. Polycarpi martyrium maturius suadet ætas, LXXXVI. vitæ annum, cum pateretur, agentis.—II. Annos illos de professione Christiana, aut ministerio, intelligunt qui martyrium ejus recentius existimant. —III. Qui annum egerit, cum pateretur, LXXXVI. recte dici potuit *πάνυ γηραλέος*.

I. DENIQUE ego censeo S. Polycarpum non XV. vel IX. vel VII. Marci Antonini, sed diu ante, IX. scilicet Antonini Pii anno, Per. Jul. 4860. Cyclo Lunæ 15. Solis 16. L. Dominicali B. passum esse; idque ex ipsis Actis Passionis demonstrari posse contendo. Viri hujus ætatis sane doctissimi aliter senserunt: nos igitur sententiam et rationes nostras cum eorum sententia et rationibus conferemus, unde veritas clarius elucescat. Optimus Usserius constare ait ultra LXX. annos episcopatum Smyrnensem obtinuisse Polycarpum; et in Appendice Ignatiana asserit "inter "Polycarpum et Clementis Alexandrini excessum non "multo plures quam triginta annos intercessisse:" quod veterum quisquam nunquam asseruit. Imo auctor Fastorum Siculorum diserte asserit S. Polycarpum LXXXVII. ætatis anno, (ita enim ille, *ἑκάη ζῶν ὢν ἐτῶν πζ'*, "vivus "combustus est, cum esset annorum LXXXVII,") passum esse: ipsa Passionis Acta ita interpretatur, *Ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη ἔχω δουλεύων αὐτῷ*. Vet. Interp. "Octogesi-"mum jam et sextum annum ingredior nomini ejus "probatus et serviens semper." Sed auctor Chronici, *Περὶ δὲ τῶν αὐτοῦ εἶπε τῷ ἀνθυπάτῳ εἰπόντι, Βλασφήμησον*

τὸν Χριστὸν, ὁ δὲ εἶπε, πς' ἔτη δουλεύω τῷ Χριστῷ καὶ οὐδέν με ἠδίκησε, "De annis autem suis, proconsuli "dicenti, Blasphema Christum, dixit, Per octoginta "sex annos servio Christo, et nunquam mihi injurius "fuit." Ita Græci veteres de ætate Polycarpi, cum pateretur, ex ipsa passionis historia judicabant. Ita etiam Latini, ut Gregorius Turonensis lib. i. Hist. Franc. cap. 28. "Octogesimo sexto ætatis suæ anno, "velut holocaustum purissimum per ignem Domino "consecratur." Plane ut Polycrates in Epistola ad Victorem apud Eusebium lib. v. cap. 24. Ἐγὼ οὖν, ἀδελφοὶ, ἑξήκοντα πέντε ἔτη ἔχων ἐν Κυρίῳ. Rufinus, "Unde, fratres charissimi, sexaginta et quinque annos "ætatis gerens in nomine Domini." Et ante Rufinum Hieronymus, "Sexaginta quinque annos ætatis meæ "natus in Domino." Certe hæc de annis ætatis, quos jam moriturus egerat Polycarpus, intelligebant veteres. Jam vero si anno ætatis suæ octogesimo septimo passus est, sub Marco Antonino pati non potuit. Cum enim constet eum ab apostolis edoctum, et a S. Joanne episcopum ordinatum esse; si plures quam septuaginta annos post S. Joannis mortem vixisset, ut illi volunt, ante annum ætatis decimum sextum "totius "Asiæ princeps fuisset," ut loquitur Hieronymus. Imo si sententiam Petiti admittamus, vix decennis esse potuit, cum episcopus fuit.

II. Primus omnium, cum videret hæc cum vulgari stare non posse sententia, Halloixius locum hunc interpretatus est non de annis ætatis, sed Christianæ professionis; et exemplum Hilarionis adducit, sed minus idoneum: constat enim Hilarionem habuisse "paren-"tes idolis deditos," et Alexandriæ in schola grammatica ad annum vitæ decimum quintum gentilem plane fuisse, quale nihil de Polycarpo traditur. Archi-

episcopus Armachanus Halloixium hic secutus "con-"stare" ait "ultra LXX. annos episcopatum Smyrnen-"sem obtinuisse Polycarpum;" quod veterum quisquam nunquam asseruit, quodque tantummodo ex sententia, quam de tempore martyrii ejus defendunt viri eruditi, gratis dicitur. De suo quidem adducit exempla eorum quos a Christo sanatos, aut ex mortuis suscitatos, ad sua usque tempora vixisse in Apologia Hadriano imperatori oblata Quadratus testatur. Sed hæc nihil omnino probant. Nam Quadratus ille apostolorum discipulus ab Eusebio dicitur X. Hadriani, hoc est Christi CXXVII. anno eam Apologiam obtulisse, et ex iis verbis antiquitatem suam ostendisse: quare diu ante imperium Hadriani, imo diu ante obitum S. Joannis eos videre præ ætate potuit. Neque necesse est eorum quempiam ultra annos LXXXVII. vixisse, ut ad Quadrati tempora durasse dicantur. Blondellus vero et Halloixium et Armachanum longe superat, et Polycarpum "exactis in sacro ministerio annis LXXXVI. "anno Christi CLXVII." passum esse tradit, quasi an. Dom. LXXXI. presbyter sive episcopus factus sit. Ad has angustias viri docti redacti sunt, qui Polycarpum tam sero passum esse crediderunt: neque alium suæ sententiæ fundum habent, quam quod Irenæus eum valde senem vocat, et Acta debilem fuisse, cum pateretur, referunt.

III. Sed neque quia Irenæus eum *πάνυ γηραλέον*, "valde senem" appellavit, inde concludi potest ultra annum LXXXVII. vixisse. Ita Dionysius Halicarnasseus, scriptor accuratus, de Dinarcho rhetore in ejus Vita, *Τίθεμεν δὲ αὐτὸν ἑβδομηκοστὸν ἔχοντα ἔτος ἀπὸ τῆς φυγῆς κατεληλυθέναι, ὡς καὶ αὐτός φησι, γέροντα αὐτὸν ἐπικαλῶν, ἀφ' οὗ χρόνου καὶ καλεῖν τοὺς ἐν ἡλικίᾳ ταύτῃ μάλιστα εἰώθαμεν.* Adiit Josephum quendam Epiphanius ex

Judæo Christianum factum, *τῇ γηραλέᾳ αὐτοῦ ἡλικίᾳ, ὡς περί που ἐτῶν ἑβδομήκοντα γεγονότος αὐτοῦ ἢ καὶ πλειόνων*, "in senili ejus ætate, utpote qui natus esset annos "LXXVII. aut etiam plures." Si autem septuagenarius *γηραλέος* recte dicatur, certe qui annum octogesimum sextum transegit, recte dicetur *πάνυ γηραλέος*, "valde "senex." Ipse Epiphanius in extrema senectute dicitur Hieronymo, an. Dom. CCCXCII. cum octogenarius esset. Doctissimus Valesius hic hærebat, ad Euseb. lib. v. cap. 24. "Mortuus est," inquit, "Polycarpus, cum "sextum et octogesimum ætatis annum jam exegisset; "ita enim scribitur in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis, "*ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ*· quod si annos "illos non a primo statim ortu, sed a pueritia ordiri "lubet, quando primum homines ratiocinari incipiunt; "sequetur omnino Polycarpum centenario majorem aut "proximum e vivis abiisse." Ætatem martyris vir perspicacissimus secundum veteres libenter amplexus est; sed cum martyrium ejus septimo Marci anno alligaverat, novam expositionem superaddere coactus est, quam alibi tueri noluit. Nam cum Publium Athenarum episcopum secundum sub Marco Antonino passum esse male putaret, contendit eum contra communem sententiam, Dionysio Areopagitæ haud proxime successisse, quia plusquam LXX. annis in episcopatu eum vixisse dicendum esset. Nos veteri expositioni adhæremus, quam omnia, quæ sequentur, ex iisdem Actis desumta confirmabunt. Reliqui autem temporis characteres ad martyrium Polycarpi pertinentes summa cum cura et diligentia examinandi et explicandi sunt; quia vir maximus Henricus Valesius omnia hic nobis adversa amplectitur, et characteres omnes magna industria aliorsum trahit.

CAP. XVI.

I. Idem colligitur ex ætate Nicetæ, et L. Statii Qradrati proconsulis.

I. PROXIMUS autem temporis character in nota proconsulis Asiæ continetur. Nam Herodis irenarchæ Niceta pater ibi nominatur valde senex, ut videtur, et in curru sedens; et de Niceta Smyrnæo legimus apud Philostratum, qui sub Nerva floruit; potest ipse esse, si nostros calculos quis sequatur; si communes, minime. Sed huic haud insistendum reor. Cum proconsularis annuus magistratus sit, quanta certitudo erit proconsulis in Actis nominati, tanta erit et anni, quo Polycarpus mortuus est. Erat autem eo anno Asiæ proconsul Statius Quadratus, ut Acta testantur. Nequis dubitationi locus sit, sententiam nostram verbis exprimere statui H. Valesii, quia melioribus uti non possum. Sic enim ille ad hæc Eusebii lib. iv. cap. 15. *ἀνηρώτα ὁ ἀνθύπατος.* " Hic proconsul " Asiæ vocabatur Statius Quadratus; sic enim recte " scribitur in veteri interpretatione Latina hujus Epi- " stolæ, quam primus edidit Jac. Usserius Armachanus: " male in Græco textu *Στράτιος*, nec rectius in Chronico " Alexandrino *Τάτιος* exaratur. Is est, ut opinor, " L. Statius Quadratus, qui consul fuit principatu " Antonini Pii, anno urbis conditæ 895. ut legitur in " Fastis Onuphrii." Certe ex ipsis Actis statuendum est ipsum Statium Quadratum et non alium, eo anno Asiæ proconsulem fuisse, quo passus est S. Polycarpus: Statius Quadratus Romæ consul fuit cum Cuspio

Rufino, quinto Antonini Pii, anno Domini CXLII. Quorum consulum mentio facta est in antiqua inscriptione, tum apud Panvinium, tum apud Gruterum MLXXXII. 18.

DEDICATVM . K . OCTOBR.
L . CVSPIO . RVFINO
L . STATIO . QVADRATO COSS.

Et hi fuere ante Torquatum et Herodem coss. ut Fasti referunt: sed paulo serius, si ante eos Bellicius et Herodes consulatum gesserint: quod Falconerius vir eruditus demonstrasse se nuper putavit, de qua re nos alibi egimus[a]. Interim pro certo haberi debet Torquatum et Herodem immediate ante Avitum et Maximum coss. fuisse: id enim constat ex inscriptione apud Gruterum p. CCCI. ubi hæc duo paria consulum sæpius repetuntur. At post Avitum et Maximum, nemo Rufinum et Quadratum numerabit. Statuendum igitur est secundum ordinem Fastorum Statium Quadratum consulatum gessisse an. Dom. CXLII. consules autem ex jure ad quinquennium proconsulatum sortiti sunt: non immerito igitur statuendum censeo Statium Quadratum proconsulatum Asiæ gessisse an. Dom. CXLVII.

[a] Annal. Cypr. Præf. §. 7.

CAP. XVII.

I. Titum Quadratum in Chronico Alexandrino scriptum fingit Petitus, et de T. Numidio Quadrato Asiæ proconsule intelligit; Titum Numid. Quadratum intelligit etiam Blondellus, sed non Asiæ procos. sed Romæ cos. cum L. Vero Aug. III. cos. De eodem Veri imp. collega intellexerunt Bucherius etiam et Usserius. Perperam.—II. Quadratus Vari magister erat Numidius Quadratus. Incertum est quod e peste collegit Valesius, Quadrati rhetoris proconsulatum in VII. Marci incidisse.—III. Numidius Quadratus, cujus meminit Aristides, erat Asiæ proconsul anno CLXX. Pollio an. CLXXI. Severus an. CLXXII.—IV. Recapitulatio.

I. MULTA hic, et viris doctis prorsus indigna, comminiscuntur illi, qui sub Marco passum esse Polycarpum volunt. Samuel Petitus Chronicon Alexandrinum Titum Quadratum scripsisse fingit, et secure de Numidio Quadrato interpretatur, quem proconsulem Asiæ post quinquennium exactum an. Dom. CLXXV. fuisse et martyrii coronam Polycarpo imposuisse statuit. Blondellus verba agnoscit, sed mira correctione utitur, Apologiæ sect. ii. §. 8. " Tatii seu " verius Lucii Statii Quadrati, qui an Dom. CXLII. " Antonini Pii quinto, L. Cuspium Rufinum collegam " habuit, proconsulatus in annum CLXIII. a consulatu " vicesimum primum, nulla ratione differtur." Recte hæc quidem et admodum apposite, dum contra Chronici Alexandrini auctorem disputat, qui Polycarpum et sub Statio Quadrato proconsule et sub imperio Marci Antonini passum esse statuebat: quæ autem inde elicit,

pessimi commatis sunt. " Non igitur," inquit, " quo " mortalitatem exuit Polycarpus tempore Quadratus " ullus Asiano proconsulatu functus est" (mira hæc sunt) " sed Titus Numidius Quadratus cum L. Vero Augusto " tertium consulatum administravit, adeoque in Fastis " non ἐπὶ ἀνθυπάτου Τατίου, sed ἐπὶ ὑπατείας Τίτου Ko- " δράτου scribendum fuit." Primo pro Tatio vel Statio Titum legit, ut Petitus; secundo pro ἀνθυπάτου, ὑπατείας. Docet igitur veterem auctorem quid scribere debuerit; docet eum, qui ipsa Acta viderat, quomodo ea interpolare oportuit; docet denique ea scribere, quæ nemo unquam scripsit; scilicet ne nomine proconsulis illa quæ gesta erant in provincia proconsulari signaret, quod solenne est; sed nomine unius eorum, qui Romæ consules tunc temporis fuerunt, quod insolens est. Ægidius Bucherius qui primus ad an. Dom. CLXIX. passionem Polycarpi deduxit, multo modestius, sed nihilo verius, Acta correxit: " Proconsul," inquit, " sub quo passus " dicitur, Tatius Quadratus, poterit esse T. Numidius " Quadratus biennio ante consul, L. Aurelio collega, " qui peracto consulatu proconsul Asiæ administrandæ " commode mitti potuerit." Reverendus Usserius Statium Quadratum in Actis agnoscit, " Est autem," inquit, " idem quem suo tempore Asiæ præfecturam " suscepisse memorat Aristides, idemque ut videtur, " qui ante biennium cum L. Aurelio Vero Aug. Romæ " ordinarium gesserat consulatum." Est autem ille, qui cum L. Aurelio Vero Aug. consulatum gessit T. Numidius Quadratus; et ut idem et L. Statius Quadratus et Titus Numidius Quadratus esset, mirum videbatur.

II. Quare H. Valesius paulo cautius Statium Quadratum, ut Acta referunt, proconsulem Asiæ tunc fuisse statuit, cum Polycarpus passus est, eundemque esse, qui consul fuit cum Rufino an. Dom. CXLII, et cujus

meminit Aristides: sed ex Aristide probare conatur eum proconsulatum Asiæ gessisse an. Dom. CLXVII. Hæc quidem ad mentem Eusebii, qui eo anno passum esse Polycarpum tradit, optime excogitata sunt, sed nulla ratione constant. Nam proconsulatus, ut recte aiebat Blondellus, " in annum CLXIII. a consulatu vice-" simum primum" male differtur, pejus vero in annum CLXVII. a consulatu vicesimum quintum. Præterea Quadratus, cujus meminit Aristides, Statius Quadratus non dicitur. Rhetorem eum vocat Aristides, et ideo eundem esse putat Valesius cum eo, quem Vari magistrum dixit Philostratus; sed nec ille Statius appellatur, et revera Numidius esse videtur. Varus enim ille Philostrati Pergæus, juvenis mortuus est; audivit autem Quadratum jam consulem, et Alexandro junior fuit, qui erat Marco ab epistolis in bello Marcomannico, quod susceptum est post consulatum Numidii Quadrati. Multis probare nititur Valesius Quadratum illum Asiæ proconsulem fuisse an. Dom. CLXVII. quo anno Numidius Quadratus Romæ consul fuit, atque inde concludit Polycarpi mortem in eum annum necessario conferendam esse. Sed nimis debili fundamento hoc argumentum nititur; sic enim procedit: Severus fuit proconsul Asiæ anno post pestem, quæ ibi grassata est; Quadratus proconsul fuit biennio ante; Eusebius eam pestem confert in annum octavum Marci (annum scilicet, qui intercessit proconsulatum Quadrati et Severi) ergo Quadratus proconsul Asiæ fuit anno Marci septimo. Sed hoc argumentum prorsus invalidum est; nam illa pestis per multos annos grassata est; Romæ maxime invaluit XII. Marci, eodem Eusebio teste: in Oriente cœpit, et per provincias grassata est; quando circa Æsepum sæviit, nescitur: nullius igitur anni character certus ex ista lue deduci potest.

III. Cum autem Valesius rursus colligit Severum nono Marci proconsulatum Asiæ administrasse, quia eo proconsule Aristides literas accepit ab Augusto et ejus filio, hoc mihi minime probatur. Verba Aristidis sunt Sermonum Sacrorum quinto, Ἡμέραις οὐ πολλαῖς ὕστερον ἐξ Ἰταλίας ἀφικνοῦνται ἐπιστολαὶ παρὰ τῶν βασιλέων, τοῦ τε αὐτοκράτορος αὐτοῦ, καὶ τοῦ παιδός· " Post paucos " dies venerunt ad me ex Italia literæ a regibus, tum " imperatore ipso, tum ejus filio." Quibus satis clare indicatur duos tunc temporis tantum reges Romam tenuisse, Augustum unum, alterum Cæsarem. Imperatorem et Cæsarem duos reges vocat, ut Libanius in Panegyrico Juliani de Constantio Augusto et Gallo Cæsare, Μέσος δυοῖν βασιλέοιν ἰδιώτης ἐν ἀστασίᾳ καθήμενος, ἔνθεν μὲν ἀνεψιοῦ τοῦ τὸ πᾶν κράτος ἔχοντος, ἑτέρωθεν δὲ ἀδελφοῦ δευτέραν τάξιν εἰληφότος. At anno nono Marci duo Augusti fuere: Lucius enim mortuus est anno imperii nono exeunte, medio hyemis (i. e.) mense —— post cujus mortem aliquamdiu duo Cæsares fuere Commodus et Verus; et post mortem Veri Marcus in Pannonia fuit, mansitque Sirmii anno imperii XI. Non igitur anno X. Marci Severus Asiæ proconsul fuit, sed neque XI. tunc enim ipse consul iterum erat. Verisimillimum igitur mihi videtur Severum XII. Marci proconsulem Asiæ factum esse an. Dom. CLXXII. cum fuisset secundum consul anno priori; Pollionem eum præcessisse in consulatu anno Marci undecimo, cum consul fuisset anno Marci sexto; Quadratum præcessisse Pollionem in proconsulatu anno Marci decimo, qui consul fuerat (ut Valesius putavit) anno Marci septimo. Quadratus igitur Aristidis anno Dom. CLXX. proconsul Asiæ fuit; proinde L. Statius Quadratus ille non erat, qui consul fuit ordinarius an. Dom. CXLII. annis prius duodetriginta: sed potius

T. Numidius Quadratus, qui consul ordinarius fuit an. Dom. CLXVII. Nam si, ut observat Bucherius, " T. Nu- " midius Quadratus biennio ante consul peracto con- " sulatu proconsul Asiæ administrandæ commode mitti " potuerit, an. CLXIX.;" certe triennio ante consul mitti an. CLXX. Hæc cum sermonibus Aristidis maxime cohærent, qui tradit Severum anno morbi decimo proconsulem fuisse, ipsum vero ab ipso morbi sui initio multa de Vologeso somniasse, quod illi maxime tempori congruit, quo Lucius in Vologesum exercitum duxit, decennio fere ante Marci duodecimum. Quare nihil obstare deprehenditur, quin Statius Quadratus, sub quo passus est Polycarpus ex veteri jure proconsul Asiæ fuerit an. Dom. CXLVII.

IV. Cum igitur argumentum a peste deductum nihil probet, nostrum autem a certo morbi Aristidis anno sit certissimum, ...

CAP. XVIII.

I. Σάββατον μέγα Sabbatum illud quod diem paschatis proxime præcedebat.—II. Sic etiam e sententia Judæorum —III. Incidit hoc Sabbatum in VII. Kal. April. quo anno passus est Polycarpus. Aliæ lectiones exploduntur.—IV. Incidit etiam in secundum Xanthici.—V. Secundus Xanthici non incidit in Februarium, contra Valesium.—VI. Emendatur fortasse locus Epiphanii.—VII. Cum æquarentur mensibus Julianis menses Macedonici, ad eum mensem Julianum accommodatus est totus mensis Macedonicus quem longe maxima ejus parte antea occupabat. Aprili autem non Martio respondebat æquatus Xanthicus.

I. DENIQUE illi ipsi anno Domini CXLVII. optime congruit diei, quo passus est S. Polycarpus, in ipsis ejus Actis descriptio: dies enim ille triplici charactere insignitur, Μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλίων, Σαββάτῳ μεγάλῳ· "Xanthici "mensis die secundo, septimo calendas Apriles, Sab- "bato magno." Hi autem characteres primo explicandi, dein cum opinionibus aliorum, et cum nostra sententia conferendi sunt. Incipiam a Sabbato magno, qui temporis character in ipso Actorum corpore diligenter expressus est, τῆς ὥρας ἐλθούσης τοῦ ἐξιέναι, ὄνῳ καθίσαντες αὐτὸν ἦγον εἰς τὴν πόλιν, ὄντος Σαββάτου μεγάλου· "Cum jam hora adesset exeundi, asino eum "imponentes in civitatem deduxerunt, die magni Sab- "bati." Perperam omnino Blondellus, "Magnum Sab- "batum est festum quodcunque in feriam septimam "incidens." Nam ea phrasi nihil indicassent Smyrnæi

de die, quo passus est Polycarpus, si sic intelligi deberet. Scripta est epistola a Smyrnæis aliquanto tempore post martyrium S. Polycarpi, sed ante anni finem. Cum igitur significant eum Sabbato magno passum esse, unum aliquem illius anni diem, illumque omnibus notissimum indicabant. Hujus igitur Sabbati magni vera notio hic necessario indaganda: Sabbatum autem magnum semper dicebatur Sabbatum illud, quod diem paschatis proxime præcedebat, neque ullus alius dies Sabbati eo nomine insignitus est. Constitutiones Apost. lib. v. cap. 19. Περὶ τῆς παννυχίδος τοῦ μεγάλου Σαββάτου, καὶ περὶ τῆς ἀναστασίμου ἡμέρας· "De pervigilio "magni Sabbati, et de die resurrectionis." Canon Apostolicus LXVI. Sabbato, præter unum solum, jejunare vetat; ita hunc Canonem explicat Aristenus: Καθαιρεῖται ὁ ἐκτὸς τοῦ μεγάλου Σαββάτου ἕτερον, ἢ κυριακὴν νηστεύων· "Deponitur qui aliud præter magnum Sabba-"tum, aut Dominicam jejunat." Et Balsamon, κατὰ μόνον τὸ μέγα Σάββατον, pariter interpretatur "secun-"dum solum magnum Sabbatum." Unum igitur tantum et solum magnum Sabbatum. Quod et hodierni Græci τὸ ἅγιον καὶ μέγα Σάββατον, "sanctum et mag-"num Sabbatum" vocant. Et vetustiores τὸ ὑπερευλογημένον Σάββατον· in Nomo-canone nuper per Cotelerium edito, Νηστεύοντες ἑκατοντριάκοντα ἡμέρας τὰ ἐκτὸς τοῦ ἑνὸς μεγάλου Σαββάτου, ἤγουν τὸ ὑπερευλογημένον Σάββατον μιμοῦνται Λατίνους, p. 137. et S. Chrysostomus Oratione de magna Hebdomade tom. v. Orat. 78. Ὥσπερ αὕτη κεφάλαιον τῶν ἑβδομάδων, οὕτω ταύτης κεφαλὴ τὸ Σάββατον τὸ μέγα. Et in vita S. Chrysostomi, nuper Græce edita, p. 82. Ἐν τούτοις ἐπέστη ἡ τοῦ μεγάλου Σαββάτου ἡμέρα ἐν ᾗ ὁ Σωτὴρ σταυρωθεὶς ἐσκύλευσε τὸν ᾅδην. Cum de eadem re pag. 18. ita locutus esset, ἀθρόον στρατιωτῶν πλῆθος αὐτῷ τῷ μεγάλῳ Σαββάτῳ

πρὸς ἑσπέραν λοιπὸν τῆς ἡμέρας ἐπειγομένης ταῖς ἐκκλησίαις ἐπεισῆλθον. Recte igitur Josephus Scaliger hoc loco magnum Sabbatum προεόρτιον τοῦ πάσχα dixit, male autem ad pascha ἀναστάσιμον restrinxit; maleque argumentatus est, "Si Sabbatum fuit 7. kal. ergo pascha 6. "kal. in litera B." Nam ubi pascha non semper, imo raro die Dominico celebrabatur, Sabbatum sive feria septima, quæ diem paschatis proxime præcessit, "Sab- "batum magnum" dicebatur.

II. Ita hodierni Judæi, ita veteres illud Sabbatum, "quod quartamdecimam mensis Nisan præcedit, שבת הגדול "Sabbatum magnum" vocant in libro Schulchan Aruk, Tractatu Orach Chajim שבת שלפני הפסח קרים אותו שבת הגדול "Sabbatum quod ante pascha vocant "ipsum Sabbatum magnum," מיפני הנס שנעשה בו "propter miraculum quod in eo factum est." Hæc excerpta sunt ex Baal Hatturim, ubi ratio hujus nominis aperte traditur: "Pascha, quo egressi sunt ex "Ægypto Israelitæ, die quinto hebdomadis contigit, "ut testatur Seder Olam Rabba: decimus igitur mensis "dies erat tunc Sabbatum. Eo die sumpsit Israelita "quisque agnum sibi; quod cum intelligerent Ægyptii "factum esse, ut agni illi omnes mactarentur, dentes "eorum obstupuerunt, adeo ut Israelitis nihil regerere "potuerint. ועל שם הנס קורין אותו שבת הגדול Et ob "hoc miraculum vocant hunc diem Sabbatum mag- "num." Idem etiam traditur in libro Lebush, et in libro Col Bo. At cum epistola Smyrnensium scripta est, illi cum Judæis pascha celebrabant, ut notissimum est. Illud igitur Sabbatum hic intelligendum, quod proxime præcessit pascha Judaicum, quod festum paschale tunc cum Judæis observabat Ecclesia Smyrnensis.

III. Secundus autem temporis character plane osten-

dit quis dies in anno Juliano illud Sabbatum Antepaschale fuit; nempe πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλίων, hoc est, "VII. cal. Apriles." Septimus autem cal. Apriles est vicesimus sextus dies Martii. Et cum vicesimus sextus Martii dies Sabbatum fuit, necesse est, ut vicesimus septimus fuerit dies Dominicus, adeoque litera Dominicalis ejus anni B. Quod magnam nobis lucem in anno indagando præfert. Sed hic nobis objicitur, in Actis Polycarpi non legi πρὸ ζ′ καλανδῶν Ἀπριλίων, ut in Fastis Siculis, sed πρὸ ζ′ καλανδῶν Μαΐων, "VII. cal. "Maii." Et præterea H. Valesius legendum censet πρὸ ζ′ καλανδῶν Μαρτίων. Sed sine dubio Chronici Alexandrini auctor sua habuit ex correctiori Actorum codice; cum neque vulgati codicis Græca lectio, neque Valesii emendatio admitti ullo modo possit. Nam VII. cal. Maii esset XXV. Aprilis; VII. autem cal. Martii esset XXIII. Februarii. At Sabbatum magnum, quod pascha Judaicum proxime præcedit, nunquam tam mature potuit contingere, ut in XXIII. Februarii incideret, nunquam tam sero, ut cum XXV. Aprilis concurreret. Valesius quidem pro nova sua lectione hactenus inaudita auctoritatem affert Veteris Interpretis Latini: sic enim ille, "In Epistola Smyrnæorum diserte scribitur "Polycarpum passum esse die secundo mensis Xanthici, "id est, ante diem VII. cal. Martias, ut recte vertit Vetus "Interpres." Et rursus, "In Epistola Smyrnæorum de "Martyrio Polycarpi scribendum est πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν "Μαρτίων, ut legit Vetus Interpres." Sed hoc merum est maximi viri παρόραμα. Nam vetus Versio ex tribus veteribus Latinis MSS. a Bollando adornata habet "VII. cal. Maias," ut Græca. Eadem etiam Versio ex codicibus Sarisburiensi et Cottoniano ab Usserio edita habet pariter "VII. cal. Maii." Nullibi aut in Græcis aut

in Latinis calendarum Martiarum mentio fit. Cum igitur lectio Valesii ex errore manifesto orta sit; et cum lectio tum Græca, tum Latina de die VII. cal. Maias a nemine jam defendatur, aut defendi possit; tutissime lectioni Fastorum Siculorum acquiescimus, et Polycarpum passum esse die VII. cal. Apriles, hoc est, XXVI. Martii affirmanus.

IV. Tertium addo characterem, qui in iisdem Actis exprimitur, et tum rem ipsam, tum lectionem Fastorum Siculorum maxime confirmat. Ille enim dies, qui et Sabbatum magnum et VII. cal. Apriles dicitur, a Smyrnæis etiam *μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρα ἱσταμένου*, "dies secundus mensis Xanthici" appellatur. Vetus Interpres "mense Aprilio" male transtulit, et post eum Halloixius, "secundo mensis Aprilis," perperam et pejus adhuc, "hæc ab ignaro quopiam ad calcem "Epistolæ Martyrii adjecta censeri debere" asseruit; cum hæc potius explicanda quam rejicienda fuerint. Xanthicus autem mensis tunc incepit die Martii vicesimo quinto: secundus ergo Xanthici dies fuit Martii vicesimus sextus; qui eo anno erat magnum Sabbatum, quo passus est S. Polycarpus. Hoc ab Usserio primo assertum, mox a Gulielmo Lango confirmatum, et a Beveregio nostro explicatum, ac tandem ab Acciolio in Chronologia Reformata laudatum atque confirmatum est. Sed doctissimus Valesius secundum Xanthici diem, non in septimum cal. Apriles, sed in septimum cal. Martias, Februarii vicesimum tertium incidisse contendit: pro sententia sua nihil affert, præter auctoritatem Veteris Latini Interpretis, quam nullam esse jam ostendimus, et passionem Pionii, de qua mox disputabimus. Interim sententia nostra duplici argumento confirmatur, quorum primum ab iis petitur, qui

nomina mensium Macedonicorum usurpabant, mensibus Julianis inæqualium; secundum ab iis, qui eosdem menses postea Julianis æquabant.

V. Primo si secundus mensis Xanthici dies incidisset in aliquem Februarii diem, tum vicesimus tertius Xanthici incidisset in Martium: non incidit in Martium, sed in Aprilem, ut testatur Marcus in Vita Porphyrii. Certissimum est in Laterculo mensium Macedonicorum Xanthico Artemisium proxime successisse. Quare si Xanthicus inceperit VII. cal. Martias, Artemisius incepit VII. cal. Apriles: sed Artemisius non incepit ante VII. aut VIII. cal. Maias. Epiphanius Libro de Ponderibus et Mensuris, obitum Valentiniani junioris contigisse tradit idibus Maiis; diem proximum ita describit, ut fuerit, *καθ' Ἕλληνας Ἀρτεμισίου μηνὸς τρίτη καὶ εἰκὰς, κατὰ Ῥωμαίους δὲ πρὸ δεκαεπτὰ καλανδῶν Ἰουνίων*, "secundum "Græcos Artemisii mensis XXIII.; secundum Romanos "XVII. kal. Junias," hoc est, XVI. Maii: ergo Artemisius non incepit ante VIII. cal. Maias, et proinde nec Xanthicus ante VII. cal. Apriles. Petavius quidem hoc Epiphanii loco pro *τρίτη καὶ εἰκὰς* legi vult *ἕκτη καὶ δεκάτη*, cum ante eum Scaliger legendum esse monuisset *πέμπτη καὶ δεκάς*. Voluit enim ille Artemisium apud omnes tunc fuisse purum putum Maium Julianum. Quod falsum esse deprehenditur. Ipse Scaliger ibidem vidit Epiphanium docuisse Apellæum Macedonicum non fuisse purum putum mensem Julianum Hæresi li. ubi VI. id. Novembris dicit fuisse diem Apellæi XVI. Unde hæc verba statim subjungit, "Nam hic decem "dies supra formam Julianam sunt, ut supra septem. "Quare non intelligo." Ubi maximum virum hallucinatum esse clare perspicitur. Nam VI. idus est VIII. dies Novembris: XVI. igitur Apellæi VIII. tantum diebus formam Julianam superat. Ideo autem nihil

hic intellexit Scaliger, quia menses Macedonicos et Syro-Macedonicos semper fuisse vere Julianos putavit. Hic enim primus dies Apellæi Macedonici idem est cum XXIV. Octobris Juliani. Rursum Artemisio Dæsius, Dæsio proximus mensis erit Panemus, ut omnes norunt: si igitur Xanthicus inceperit VII. cal. Martias, Panemus incepit VII. cal. Junias: non incepit ante VII. cal. Julias, ut apparet. Nam extat martyrium S. Pauli Oecumenii Commentariis præfixum, quo traditur apostolum passum esse *πέμπτῃ ἡμέρᾳ κατὰ Συρομακεδόνας Πανέμου μηνὸς, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν Ἰουλίων, μηνὶ Ἰουνίῳ κθ'*, " quinto die Panemi mensis " secundum Syromacedonas, apud Romanos autem III. " cal. Julias, mensis Junii vicesimo nono." Quod si quintus Panemi dies fuit III. cal. Julias, primus erat VII. cal. easdem, sive Junii dies XXV. Scriptum est hoc Martyrium an. Dom. CCCXCVI. Arcadio IV. Honorio III. coss. CCCXXX. anno, ut inquit, post passionem S. Pauli. Ubi obiter observanda est magna Scaligeri hallucinatio, qui male excusum esse tradit *τριακόσια τριάκοντα* pro *τριακόσια ἑξήκοντα*. Nam auctor ille diserte tradit apostolum passum esse an. Dom. LXIX. a quo tempore post annos CCCXXX. Arcadii et Honorii consulatus contigit, hoc est, an. Dom. CCCXCIX. Quod si pro triginta legas cum Scaligero sexaginta, jam illi non erunt consules ante an. Dom. CCCCXXIX. quos consulatum gessisse ipse Scaliger agnoscit anno CCCXCVI. Atque hæc certissima est numerandi methodus apud eos Græcos, qui veteres menses Macedonicos unius mensis spatio sequebantur, neque eos alio modo mutabant.

VI. Rursus si Xanthicus inceperit VII. cal. Martias, Audynæus incepisset VII. cal. Decembres: nam inter Xanthicum et Audynæum duo erant menses Macedonici. Non incepit VII. vel VI. cal. Decembres, sed VI.

cal. Januarias. Marcus in Vita Porphyrii Gazensis episcopi apud Bollandum, " Pluit autem Dominus nos-
" ter assidue ab octavo Audynæi usque ad decimum.
" Est autem Audynæus apud Romanos Januarius. Præ-
" cedunt autem quinque diebus eorum menses Ro-
" manos. Undecimo vero die peregimus diem Theo-
" phaniorum." Unde nostra emendatio Epiphanii, quam ex conjectura aliquando fecimus, manifesto confirmatur. Sic enim ille Hæresi li. de Nativitate Christi. *Γεννηθέντος γὰρ αὐτοῦ περὶ τὸν Ἰανουαρίον μῆνα, τουτέστι πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίων ἤτις ἐστι κατὰ Ῥωμαίους πέμπτη τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, κατὰ Αἰγυπταίους Τυβὶ ἑνδεκάτη, κατὰ Σύρους εἴτουν Ἕλληνας, Αὐδυναίου ἕκτη.* In quo loco ut viri docti pro *πέμπτη* legunt *ἕκτη*, ita ego pro *ἕκτη* legendum putavi *ἑνδεκάτη*. " Cum enim Januario mense
" natus esset VIII. Id. Jan. qui est apud Romanos
" Januarii dies VI. Ægyptiis Tybi XI. Syris sive Græcis
" Audynæi XI." Sed dubito. Nam postea VIII. Dii secundum Græcos est VIII. Nov. Idem rursus in eadem Vita, " Navigavimus Gazam vicesimo tertio Xanthici,
" qui est apud Romanos octavus decimus Aprilis."

VII. Secundo idem probatur ex iis, qui menses Macedonicos mensibus Julianis æquabant, et initia utrorumque eadem fecere. Nam ubi hæc æquatio facta est, mensis Macedonicus, qui aliqua sui parte menses duos Julianos attingebat, ad eum mensem totus accommodatus est, quem longe maxima ejus pars ante occupabat. Quare si Xanthicus inceperit VII. cal. Martias, post hanc æquationem incepisset ab ipsis calendis Martiis, et Xanthicus mensis Macedonicus idem omnino fuisset cum Martio Juliano. Verum non idem fuit cum Martio, sed cum Aprili. Ante igitur non VII. cal. Martii, sed VII. cal. Aprilis incepit, et maximam tum partem Aprilis occupabat. De mensibus Mace-

donicis, postquam Julianis æquati sunt, res est explorata. De his mensibus Græcorum Macedonicis optime disserit Venerabilis Beda, lib. de Temporum Ratione cap. 12. ubi laterculus mensium Macedonicorum et Romanorum valde corruptus, sed a cl. Seldeno ex codice Cottoniano MS. bene restitutus est. Vocatur autem apud eos ipse December Apileos (id est Ἀπελλαῖος) Januarius Eudynios, (id est Αὐδυναῖος) Februarius Peritios, Martius Dustros, Aprilis Xanthicus, Maius Artemisius, Junius Desios, Julius Panemus, Augustus Lous, September Gorpiæus, October Hyperberetæos, November Dios. Hæc ad mentem Bedæ reformata esse constat ex ipsius Ephemeride, in qua unicuique mensi Romano sigillatim mensis Græcorum iisdem plane verbis apponitur; eademque prorsus apud Rabanum libro de Computo nuper cura Baluzii edito repræsentabantur. Ordo et conspiratio horum mensium innumeris locis ex antiquorum scriptis confirmari possunt. Ex his duo ad hanc controversiam præcipue spectant, Δύστρος, qui et Martius, et Xanthicus, qui Aprilis. Sic Aetius Amidenus, Μηνὶ Δύστρῳ, ὅ ἐστι Μαρτίῳ· et Μηνὶ Ξανθικῷ, τουτέστιν Ἀπριλίῳ. Suidas, Ξανθικὸς, ὄνομα μηνὸς παρὰ Μακεδόσιν, ὁ Ἀπρίλιος. Et Δύστρος, ὁ Μάρτιος μὴν παρὰ Μακεδόσιν. Sic vicesimus secundus Dystri concurrit undecimo cal. Apriles, sive vicesimo secundo Martii apud Euseb. Hist. lib. vii. cap. 32. ex Canone Paschali Anatolii. Et apud ipsum Eusebium lib. de Martyribus Palæstinæ cap. 3. pariter XXIV. mensis Dystri idem est cum IX. cal. Apriles; et cap. 11. quintus Dystri cum tertio Nonas Martii, et septimus Dystri cum ipsis Nonis Martii. S. Chrysost. Hom. in Diem Nat. Ἔστιν οὖν ὁ πρῶτος μὴν τῆς συλλήψεως τοῦ δεσπότου Ἀπρίλιος, ὅς ἐστι Ξανθικός. Sic apud Evagrium legas lib. iv. cap. 9. Τῇ πρώτῃ τοῦ Ξανθικοῦ, ἤγουν Ἀπριλίου

μηνός. Eusebius in Proœmio libri de Martyribus Palæstinæ. Ἔτος τοῦτο ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας, Ξανθικὸς μὴν, ὃς λέγοιτ' ἂν Ἀπρίλιος κατὰ Ῥωμαίους· "Annus hic erat imperii Diocletiani "decimus nonus: mensis Xanthicus, qui dicatur Aprilis "secundum Romanos." Quando igitur menses pares erant, Dystrus cum Martio, Xanthicus cum Aprili idem plane. Ante æquationem, aut ubi æquatio illa nondum recepta est, Dystrus Martii, Xanthicus Aprilis maximam partem occupabat; quorum prior VII. cal. Martias, posterior VII. cal. Apriles incepit. Duplici ergo argumentorum genere demonstratum est diem secundum mensis Xanthici in Actis Polycarpi memoratum, Martii vicesimum sextum diem fuisse.

CAP. XIX

I. Pionius eadem, qua Polycarpus, persecutione passus est, non sub Decio.—II. Acta Pionii, quæ vidit Eusebius, periisse videntur ante Metaphrastem.—III. Recentiorem faciunt Polycarpum recentiores quam revera fuerit.—IV. Idem de Carpo et Papylo statuendum quod de Pionio.

I. UNICUM restat Valesii argumentum ab Actis Pionii petitum, quod nimis serio his verbis urget: " Cum paulo ante Pionii martyrium, principatu " Decii Augusti, id est, octoginta circiter annis a " passione B. Polycarpi constet Smyrnæos natalem B. " Polycarpi celebrasse VII. cal. Martias, nefas jam esse " existimo de die passionis ejus amplius dubitare." Ego interim de passione Pionii sub principatu Decii Augusti dubitare nefas esse non puto. In qua re licet ab Usserio nostro destituamur, tamen illo argumento nihil sententiæ nostræ derogatum iri veremur. Pionium beatissimum martyrem fuisse indubitanter asserendum est; sed an Acta martyrii ejus, quæ nunc exstant, vera et sincera sint, dubitari non immerito potest. Baronius hæc Acta aliquando Aristarchi statera expenderat et contemserat, sed postea sincerissima judicavit, et Annalibus suis inseruit, sed prius a se " diligenti studio emen- " data," hoc est, resectis iis quæ putavit eorum suppositionem nimis manifeste indicare. Sed eadem Acta contemsit etiam postea Aristarchus melior Petavius, et ante eum Aristarchus alter Josephus Scaliger. Admisit

quidem Usserius, Valesius autem adeo amplectitur, ut asserat Eusebium a nemine excusari posse, qui Pionium non sub Decio, sed sub Antonino, passum esse docet. Sic se res habet. Primo in Chronicis Eusebii Latinis hæc ad septimum annum Marci annotantur, " Perse- " cutione orta in Asia Polycarpus et Pionius fecere " martyrium." Idem Hist. lib. iv. cap. 15. agens de martyrio Polycarpi et aliorum, Τῶν γε μὴν τότε περιβόητος μάρτυς εἷς τις ἐγνωρίζετο Πιόνιος. Rufinus interpres, " Inter cæteros autem, qui per idem tempus martyres " extiterunt, famosissimus inibi refertur quidam Pionius " nomine." Ejusdem igitur temporis martyr erat Pionius, cujus et Polycarpus; sed cum hoc discrimine, ὑπὸ τὴν αὐτὴν περίοδον τοῦ χρόνου, hoc est, " intra eundem " circuitum anni;" ita Nicephorus Callistus Eusebium interpretatur, qui τοῦ αὐτοῦ ἔτους, " eodem anno," Carpum et Papylum passos esse docet. Eusebium sic intellexerunt et secuti sunt Pseudo-Dexter et Ado archiepiscopus Treverensis. Plurima igitur martyrologia Latina sub Antonino passum esse Pionium tradunt, quæ apud Bollandum videri possunt. Imo idem in Latinis omnibus martyrologiis positum esse ipse fatetur Baronius.

II. Verum enimvero deceptum fuisse Eusebium et exinde omnes, qui eum secuti sunt, asserunt viri docti. Neque enim eodem anno, aut sub eodem imperatore passos esse volunt, sed unum sub Marco, alterum sub Decio. Cum tamen nemo unquam dixerit eos sub diversis imperatoribus passos esse. Qui dicunt Polycarpum sub Marco passum, tradunt et Pionium sub eodem principe martyrio coronatum esse. Qui tradunt Pionium sub Decio passum, sub eodem Decio et Polycarpum passum esse volunt. Cum igitur Polycarpum, aut sub Marco, aut ante, passum esse constet, quæcun-

que de passione sub Decio traduntur, certissime falsa sunt, tum quod ad Polycarpum, tum quod ad Pionium, tum quod ad Carpum et Papylum, spectat. Volunt illi Eusebium, qui Acta Pionii et vidit et apud se habuit, et suis commentariis inseruit, deceptum; Simeonem autem Metaphrastem post sexcentos fere annos, eadem Pionii Acta habuisse et rectius repræsentasse; quod nec verum, nec verisimile est. Nam illa Eusebii scripta tamdiu durasse, et in manibus eruditorum fuisse nihil est quod fidem faciat. Liber ejus de Martyribus Palæstinæ exstat; sed librum eum De Martyriis Veterum qui legerit aut vidisse se dixerit, post Hieronymum novi neminem. Imo an eum Hieronymus viderit nescio; nomen enim libri ex ejus Historia, in qua sæpius memoratur, habere potuit. Cum singula Acta in aliquorum manibus essent, et tot tamque prolixa Excerpta ex iis Historiæ Eusebii insererentur, credibile est collectionem haud diu durasse. Ante Simeonem sine dubio Acta aliqua Pionii Latina prostabant; ex quibus ille, utpote Metaphrastes, sua concinnavit. Bene hæc Bollandus, de his Actis Pionii: "Eadem "jam olim, ante ipsius etiam fortassis Metaphrastæ "ætatem apud Latinos extitere S. Pionii Acta." Actorum ille Latinorum consarcinator, qui ante Metaphrastem vixit, ad Decium omnia retulit, ut solebant mediæ ætatis Latini, quod sæpius a nobis observatum est.

III. Neque mirum videri debet posteriores aut Græcos aut Latinos eo erroris delapsos esse, ut Polycarpum sub Decio passum esse putarent. Nam post martyrium Irenæi in vivis eum fuisse refert Chronicon S. Benigni. Cum Victore Romano episcopo eum vixisse tradit Sozomenus, lib. vii. cap. 19. *Σοφώτατα δέ πως οἶμαι καταλῦσαι τὴν συμβᾶσαν πάλαι περὶ ταύτης φιλονεικίαν*

τοὺς ἀμφὶ Βίκτωρα τὸν τότε τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, καὶ Πολύκαρπον τὸν Σμυρναῖον· " Exortam autem olim de " hoc festo paschatis controversiam sapientissime dis- " solvisse mihi videntur Victor tunc temporis Romæ " episcopus, et Polycarpus Smyrnæus." Marca quidem pro Polycarpo illic legit Polycratem ; sed quis Polycratem dixit Smyrnæum, qui fuit episcopus Ephesinus? Frustra hæc omnino tentantur in Sozomeno, cum Socrates Polycarpum usque ad imperium Gordiani vixisse tradit lib. v. cap. 22. Ὅτι Πολύκαρπος ὁ τῆς Σμύρνης ἐπίσκοπος ὁ ὕστερον ἐπὶ Γορδιανοῦ μαρτυρήσας· " Quod Polycarpus Smyrnæ episcopus, qui postea sub " Gordiano martyrium perpessus est." A Gordiano mitissimo principe facilis ad Decii crudelissimi Christianorum hostis tempora lapsus seu descensus est ; unde Menæa de Polycarpo, Ἐν δὲ τῷ κατὰ Δέκιον διωγμῷ συλληφθεὶς προσήχθη τῷ ἀνθυπάτῳ, καὶ διὰ πυρὸς τὸν ἀγῶνα διήνυσε· " Polycarpus in persecutione Deciana " comprehensus ad proconsulem ductus est, et igne " agonem consummavit." Hanc sententiam secutus est, qui Acta Pionii Latine scripsit, tradiditque eum C. Messio Q. Trajano Decio, Vicio Grato coss. martyrio coronatum : quod ex Actis primævis Græce scriptis habere non potuit ; quæ proconsulem, non autem consules, in provinciis nominare solebant. Neque mirum est, si aliqui scriptores, martyres eos qui diu ante Decium passi sunt, sub eo obiisse tradant, cum ii etiam qui diu post Valerianum, ipsa decima persecutione, passi sunt, ab aliquibus sub Decio et Valeriano obiisse putentur. De S. Methodio Hieronymus in Catalogo, " Ad extremum novissimæ persecutionis, sive, ut alii " affirmant, sub Decio et Valeriano in Chalcide Græciæ " martyrio coronatus est." Scripsit multa Methodius, non tantum contra Origenem diu post Adamantii mortem, sed et contra Porphyrium sub Diocletiani

imperio; et tamen nonnulli etiam ætate Hieronymi, non verebantur passionem ejus Decii et Valeriani persecutioni ascribere. Et Suidas cum reliqua omnia e Sophronio exscripsisset, eam sententiam, quæ certissime falsa esse deprehenditur, amplexus est, Ὃς περὶ τὰ τελευταῖα τοῦ διωγμοῦ ἐπὶ Δεκίου καὶ Οὐαλεριανοῦ ἐν Χαλκίδι τῆς ἀνατολῆς μαρτυρίου ἐστέφθη, extritis illis apud Sophronium, ἢ καθώς τινες διαβεβαιοῦνται.

IV. Idem de Carpo et Papylo sentiendum est, de quibus post epitomen Martyrii Pionii hæc statim addit Eusebius, Ἐξῆς δὲ καὶ ἄλλων ἐν Περγάμῳ πόλει τῆς Ἀσίας ὑπομνήματα μεμαρτυρηκότων φέρεται, Κάρπου καὶ Παπύλου, καὶ γυναικὸς Ἀγαθονίκης, μετὰ πλείστας καὶ διαπρεπεῖς ὁμολογίας ἐπιδόξως τετελειωμένων. Hæc verba male primum a Rufino versa sunt, "Post hæc etiam "aliorum apud Pergamum Asiæ urbem martyrum gesta "referuntur, Carpi cujusdam et Papyrii et Agathonicæ "optimæ fœminæ aliarumque multarum, quæ pro beatis "confessionibus martyrio coronatæ sunt." Ubi pro Papylo habes Papyrium, et pro "multis eorundem "confessionibus," multas alias fœminas martyres. Et hanc versionem Rufini secuti sunt martyrologi Latini, qui etiam eos sub Marco Antonino passos esse putabant. Græci autem sub Decio et hos et Pionium et Polycarpum martyrio coronatos esse tradebant. Et certe prodigii loco habendum est, quod Menæa docent, Polycarpum sub finem primi seculi fuisse S. Joannis discipulum (imo et episcopum) ac demum sub medio tertii seculi tulisse martyrium: centum annorum, ut ego puto, metachronismo. Tanta autem fuit apud posteriores temporum confusio, ut hi Polycarpum, illi Methodium sub una Decii persecutione obiisse tradiderint, ut diximus; inter quorum martyria CLX. annorum distantia fuit.

CAP. XX.

I. Anni martyrii Polycarpiani lit. Dom. B. primis Marci annis non convenit.—II. Paschatis character non convenit anno CLXIX. convenit autem anno CXLVII. accuratissime, seu per tabulas fiat supputatio, seu per phasin.—III. Convenit quidem anno CLVIII. paschatis character; sed non conveniunt reliquæ anni notæ quo passus est Polycarpus. Colligitur itaque ante annum CXLVII. recte ab Eutychio constitutum esse initium Aniceti.

I. HÆC adeo clare et prolixe de anno et die martyrii S. Polycarpi disputata tandem ad propositum nostrum de pontificatu Aniceti applicanda sunt. Ac primo cum ex ipsis Actis S. Polycarpi maxime genuinis constet beatissimum martyrem passum esse die vicesimo sexto Martii, et quidem Sabbato magno, constat pariter eo anno quo passus est literam Dominicalem fuisse B. quæ vicesimo septimo Aprilis semper adhærere cognoscitur. Inde autem necessaria consequentia deducitur eum passum non esse septimo anno imperii Marci Antonini, quod voluit Eusebius, quem nunc plerique viri docti male sequuntur. Septimus enim Marci est annus Domini CLXVII. ut ipse fatentur; quo anno non B, sed E litera Dominicalis fuit, ut notum est. Unde Calvisius, cum recte Acta intelligeret de Sabbato pascha præcedente, vicesimum secundum diem Martii pro vicesimo sexto ex arbitrio posuit, neque aliter anno CLXVII. aptare potuit, cujus litera Dominicalis E vicesimo tertio die Martii est affixa. Sed neque martyrium Polycarpi ulli anno imperii Marci ante

septimum competere potest, ob eandem rationem, quia eorum nullus mense Aprili vel Martio habuit literam Dominicalem B.

II. Quare Ægidius Bucherius omnium primus passionem Polycarpi ad annum Marci IX. Domini CLXIX. depressit, tum ob literam Dominicalem B. tum ad suam periodum confirmandam; sed infeliciter: periodus enim ab ipso confecta exhibet an. Dom. CLXIX. primum diem mensis Nisan duodecimum Martii; decimus quartus igitur dies Nisan quo pascha cum Judæis celebrabant Smyrnenses, erat Martii vicesimus quintus, qui eo anno fuit feria sexta; unde sequitur Sabbatum magnum eodem anno secundum periodum Bucherianam fuisse diem Martii decimum nonum. Optimus Usserius, qui in anno assignato ob literam Dominicalem Bucherium secutus est, de Tabularum ejus fide dubitat, (quod ipsi necessarium erat,) nullum autem alium initii Nisan diem assignat, quod ad rem ipsam conficiendam prorsus necessarium fuit. E contra periodus Bucheriana an. Dom. CXLVII. quo nos Polycarpum passum esse statuimus, optime convenit: in qua eo anno primus dies Nisan est Martii decimus sextus, decimus quartus Nisan Martii vicesimus nonus, feria tertia: ac proinde Sabbatum magnum eum diem proxime præcedens vicesimus sextus Martii, VII. cal. Apriles, ut Acta referunt. Neque hæc tantum per Tabulas recte procedunt; sed etiam si Lunæ phasin computemus, eodem res recidit. Nam an. Dom. CXLVII. primus dies Nisan erat Martii vicesimus,

	Gr.	Min.
Longitudo solis 34	28	32
Longitudo lunæ ♈	15	01
Distantia lunæ a sole occid.	16	19

Quare decimus quartus Nisan, sive pascha Judaicum

fuit secundus dies Aprilis, quem cum Judæis celebrabant Smyrnenses feria septima; proinde Sabbatum magnum illud pascha Judaicum proxime præcedens fuit vicesimus sextus dies Martii, VII. cal. Apriles, ut Acta referunt. Et hæc supputatio inde confirmatur, quod eodem anno CXLVII. tertius dies Aprilis fuit pascha ἑορτάσιμον in Occidente celebratum. Nam eo anno Cyclus Lunæ fuit XV. Hic aureus numerus respondet in Calendario Juliano, diei Martii XIX. Ille igitur decimus nonus Martii fuit eo anno Novilunium paschale; ejus enim quarta decima, Martii XXI. seu quodcunque aliud æquinoctium ea ætate concipias, sequitur et incidit in Aprilis secundum. Litera Dominicalis eodem anno fuit B. quæ ad Aprilis tertium apponitur. Ergo tertia Aprilis fuit Dominica paschalis, quam celebrabant Romani.

III. Fateor equidem characteres diei omnes in Actis Polycarpianis etiam optime convenire an. Dom. CLVIII. Lunæ VII. Lit. Dom. B. Antonini Pii XXII. Eo enim anno etiam Sabbatum magnum incidit in XXVI. Martii. Sed annus non tam bene convenit proconsulatui Statii Quadrati, minus etiam successoribus Polycarpi, quos memorat Irenæus, et multo adhuc minus ætati Irenæi quæ vidit Polycarpum senem. Quare cum characteres diei et anni optime conveniunt anno Domini CXLVII. cumque annus ille apprime congruat proconsulatui Statii Quadrati, qui consul ordinarius fuerat an. Dom. CXLII. atque etiam cum temporis illius spatio amice concordet, quod tum ex successoribus Polycarpi in episcopatu Smyrnensi, tum ex prima sua ætate cum Polycarpi extrema senectute, satis manifeste indicat Irenæus; cumque anni illi, qui vel chronologis vetustioribus, vel a viris doctis hujus seculi tam illustri martyrio hactenus assignati sunt, nimium quantum ab his characteribus,

quos Acta præferunt, et observationibus ex historia depromptis, discrepent atque dissentiant; asserere non dubito S. Polycarpum ipso an. Dom. CXLVII. martyrio esse coronatum. Et cum sine omni controversia idem Polycarpus Romæ fuerit sub pontificatu Aniceti, inde clare et certo deducitur Anicetum aliquanto tempore ante annum Domini CXLVII. pontificatum iniisse; quod quinquennii fere spatium fuisse haud immerito statuatur, cum jam Polycarpus ætatis ageret annum octogesimum secundum: neque post eum annum Polycarpum ad urbem iter instituisse verisimile est, quem adeo debilem fuisse antequam passus est, ex ipsis Actis constat. Certe auctor Fastorum Siculorum sexennium posuit inter tempus quo Romæ Polycarpus fuit, et quo passus est. Quare tandem concludo, Chronologiam Eutychii, qui statuit Anicetum anno imperii Antonini quinto, hoc est, an. Dom. CXLII. eo ipso anno quo Statius Quadratus consul fuit, ordinatum fuisse, reliquis omnibus anteferendam et omnino recipiendam esse.

CAP. XXI.

I. In Aniceto ab Eutychio disceditur, cui tribuit annos XVIII. integros.—II. Aniceti tempus confirmatur ex historia.—III. Mortuus Anicetus initio anni CLXI.

I. HUCUSQUE Eutychii chronologiæ consentio; de fine pontificatus Aniceti, et Soteris initio non item. Aniceto enim ille undecim tantum annos tribuit; Soterem autem patriarcham factum esse docet anno Antonini Pii decimo sexto, an. Dom. CLIII. unde in manifestos errores postea incidit, et historiæ repugnantes. Quis enim ferre potest Soterem decimo sexto Pii anno ordinatum esse, Eleutherum vero Marci secundo, Victorem decimo septimo? Quod si septennium reddatur quod a pontificatu Aniceti abstulit, satis bene omnia decurrunt. Ego igitur non XI. tantum annos cum Eutychio, sed XVIII. integros pontificatui Aniceti tribuendos esse plane censeo. Neque hoc ex meo arbitrio permotus, sed rationibus, quæ mihi satis idoneæ videntur, adductus statuo. Nam auctor vetustissimi catalogi totidem annos ei pontifici, qui Soterem proxime præcessit, satis diserte tribuit, ut ex consulatibus eidem assignatis patet. Quippe de proximo Soteris decessore intelligenda sunt illa verba, " Fuit " temporibus Antonini Pii a consulatu Clari et Severi " usque duobus Augustis." Quæ sententia in secundo catalogo et Pontificali truncata legitur, " a consulatu " Clari et Severi . . . ." et consules omissi sunt certissime

duo Augusti; quia iidem docent Soterem sedisse " a " consulatu Rustici et Aquilini," qui duobus Augustis in consulatu successere. Liquet igitur decessorem Soteris usque duobus Augustis pontificatum tenuisse. Nihil enim ex historia certius afferri potest, quam eum qui in pontificatu proxime Soterem præcessit, fuisse ipsum Anicetum, ut est ante a nobis abunde demonstratum. Anicetus autem an. Dom. CXLII. exeunte ordinatus est, et defunctus duobus Augustis coss. an. Dom. CLXI. ineunte. Quare sedit annos XVIII. et menses aliquot. Quod et adhuc magis confirmatur. Nam qui ordinem pontificum immutabant, annos mutare non solebant; ideo quot Pio tribuuntur, tot Aniceto assignandi sunt. Catalogi autem duo, secundus et tertius, Pio tribuunt annos XVIII. menses IV. dies III[a]. Pontificale annos XIX. menses IV. dies III. Quod qui non observabant, antiqui breviarii confectores, utrique, Pio et Aniceto, eundem annorum numerum tribuebant, undecim nempe. Reformatores Baroniani Pio octo, Aniceto novem pro arbitrio substituebant. Prudenter Onuphrius, cum in has angustias incidisset, Hygino nullos, Pio alios consules assignavit; sed Anicetum decessisse ait duobus Augustis coss. Sub iisdem etiam Heinschenius obiisse vult decessorem Soteris, sive eum Pium, sive Anicetum putes. Hic igitur auctori antiquissimi catalogi recte explicato assentior; quem, si opportune ubi hiulcus est suppleatur, et ubi depravatus est emendetur, in pontificibus, qui sequuntur, tutissime sequendum esse existimo.

[a] " Fefellit patrem optimum," ait Dodwellus, " quod crediderit " auctorem catalogi *vetustissimi* " annos XVIII. Pio assignasse:" qui ipse de temporibus Aniceti rationem diversam omnino proponit. At Pearsonum hic et alibi non repræsentat, qui non vetustissimum et primum, sed catalogos duos diversos, " secundum et " tertium," citat.

II. Est præterea aliquid in historia nobis relictum, quod huic chronologiæ suffragari videatur. Irenæus qui sub Pio et Aniceto vixit, lib. iii. cap. 4. observat Valentinum Romam venisse sub Hygino, increvisse sub Pio et permansisse usque ad Anicetum. Cerdonem venisse pariter Romam sub Hygino. " Marcion autem," inquit, " illi succedens invaluit sub Aniceto." Unde ego colligo Marcionem sub extremo Aniceti pontificatu periisse; quia non dicit eum usque ad Soterem permansisse, ut de Valentino dixerat, increvisse eum sub Pio et permansisse usque ad Anicetum. Colligo etiam Pio et Aniceto præsertim plures annos tribuendos esse, quam vulgo tribuuntur, quia post obitum Hygini Marcion nondum hæreticus fuit; sub Aniceto mortuus est, et tamen diu in hæresi vixit. Et hæc etiam inde confirmari videntur, quod Marcion ad annum Domini centesimum sexagesimum minime vixisse videatur. Certe Tertullianus agens de Valentino et Marcione libro de Præscriptionibus ad finem secundi seculi scripto, c. 30. " Adhuc in seculo supersunt," inquit, " qui meminerint eorum, etiam proprii discentes, et " successores ipsorum, ne se posteriores negare possint." Sic enim loqui solebant de iis qui ultra XL. imo L. aut plures annos ante mortui sunt. Ita Hieronymus adversus Luciferianos, c. 20. " Supersunt adhuc homines, " qui illi synodo [Nicænæ] interfuerunt. Et si hoc " parum est, quia propter temporis antiquitatem rari " admodum sunt." Hæc ille scripsisse videtur circa annum CCCLXXX, LV. annis post concilium Nicænum. Ita Cyrillus Catechesi, vi. 20. Καὶ *μίσει μὲν πάντας αἱρετικοὺς, ἐξαιρέτως δὲ τὸν τῆς μανίας ἐπώνυμον*[b], *τὴν πρώην*

[b] Notum est, Græcos patres pro genio linguæ in nomen hæresiarchæ illudentes, Manetem *αὐτῆς τῆς μανίας ἐπώνυμον*, ut loquitur Titus Bostrensis, vocasse. Sectatores ejus, ut ictum declinarent,

ἐπὶ Πρόβου βασιλέως ἀρξάμενον· πρὸ γὰρ ὅλων ἑβδομήκοντα ἐτῶν ἡ πλάνη, καὶ εἰσὶ μέχρι τοῦ νῦν ἄνθρωποι αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς θεωρήσαντες ἐκεῖνον· " Odio habe omnes hæreticos, " eum præcipue qui a mania nomen habet, qui sub " Probo imperatore exorsus est. Nam septuaginta " annos integros error ille incepit: et hucusque super- " sunt homines, qui hæreticum illum suis oculis con- " spexerunt." Cum Probum nominat, sine dubio secundum ejus imperii annum innuit, quem tot characteribus insignem fecerat Eusebius in Chronico; erat autem an. Dom. CCLXXVII.; unde sequitur Cyrillum hanc Catechesin scripsisse circa annum CCCXLVII. ut non immerito dixerit Hieronymus eum Catecheses in adolescentia composuisse; siquidem sub Theodosio principe octo annis inconcussum episcopatum tenuerit usque ad an. Dom. CCCLXXXVI. Catecheses autem intelligo tum Illuminatorum, tum Mystagogicas; mihi enim videntur omnes eodem anno a Cyrillo nondum episcopo scriptæ. Et pene sexaginta anni a nece Manichæi effluxisse videntur, quando illa scripsit Cyrillus, et etiam tum testatus est aliquos superfuisse, qui ipsum hæresiarcham viderant. Sic omnino intelligendus est Tertullianus, aliquos in seculo tum fuisse, qui non tantum Marcionem, ante XL. sed et Valentinum, ante plures quam L. annos defunctum suis oculis conspexerant.

III. Non igitur immerito concludo, Anicetum, cujus pontificatus toties in historia ecclesiastica obiter commemoratur, Romæ sedisse per annos octodecim et menses complures, ab an. Dom. CXLII. ad annum CLXI. ineuntem, et tum demum defunctum esse, Antonini Pii XXIII. coss. duobus Augustis, cum jam expirasset Marcion hæreticus Antoninianus, sub Pio impius.

Manichæum appellari voluerunt, sive, ut doctiores quidam, Manni- chæum, quasi manna fundentem. Vid. S. Augustin. Hær. xlvi.

CAP. XXII.

I. Soter tenuit annis IX. ab anno CLXI. ad CLXX.—II. Numeri ordinationum, in primis hisce pontificibus, nec fidem merentur, nec solent annis quibus sederint pontifices, respondere.—III. Soterem nemo unquam veterum martyrem agnovit.—IV. Conclusio.

I. A NICETO succedit Soter, ut superius dictum est, ordinatus anno CLXI. seditque annos novem usque ad annum CLXX. coss. Cethego et Claro. Ita catalogus secundus de Sotere, " Fuit temporibus Se-" veri, a consulatu Rustici et Aquilini usque Cethego " et Claro." Per Severum intelligendus Verus imperator, qui sæpe Severus appellatus est, ut alibi ostendimus; et in Pontificali etiam legitur, " Fuit " temporibus Veri et Marci." Hæc ex primo catalogo, qui nunc hoc loco mutilus est, sine dubio desumpta sunt, ut ex antecedentibus et sequentibus consulibus liquido apparet. Unde Pseudo-Isidorus primam Soteris epistolam a se confictam datam esse ait, " Nonis Maii Rustico et Aquilino viris clariss. coss." Ad quæ verba censor Blondellus, " Epistolam datam " fingit, an. XI. antequam Aniceto succedit Soter." Quod falsissimum est. Tempus satis bene ejus pontificatus convenit, quamvis Epistola Pontifici minime conveniat. Idem impostor more suo secundam Soteris Epistolam datam scribit, " Cethego et Claro coss."

ultimo scilicet illius pontificis anno. Ubi iterum censor, " Ad finem addita consulum nomenclatura tem-
" pori, quo sedit Anicetus, congruit, non Soteris pon-
" tificatui." Quod perabsurdum est. De eodem catalogus tertius a Schelstratio editus, " Soter sedit annos
" IX. menses VI. dies XVII." Annos eidem VIII. integros in Chronico et in Historia tribuit Eusebius, VIII. etiam Eutychius, IX. Indiculus Nicephoro tributus, et Syncellus, et Ado. Cum hæc tanto omnium chronologorum tum Græcorum tum Latinorum consensu firmarentur; nihilominus Baronius pontificatum Soteris mira licentia amputavit, eique assignavit annos tantum quatuor minus diebus duodecim, resectis plane quinque annis. Et Petavius in Rationario Temporum, sola ejus auctoritate permotus, " Soter post Anicetum cum se-
" disset annos quatuor, agonem implevit." Labbeus etiam sequax paulo accuratius, ut putavit, " S. Soter
" papa martyrium subiit, die XXII. Aprilis, cum se-
" disset annis III. mensibus XI. et diebus XXI." quem secutus est in Chronico magno Acciolius. Neque mirum. Tanta enim auctoritas Ill. Cardinalis, ob causas minime ignotas apud Ecclesiam, vel saltem curiam, Romanam fuit, ut omnia Breviaria, quæ apud eos adeo sacra sunt, statim corrigerentur, vel potius ad ejus mentem corrumperentur. Nam cum Pius V. ex decreto concilii Tridentini Breviarium Romanum an. Dom. MDLXVIII. restituisset, libri omnes editi an. Dom. MDLXIX. ut observat Halloixius, ad XXII. Aprilis hæc de Sotere habuerunt, " Sedit in pontificatu annos no-
" vem, menses tres." Eadem etiam legebantur in aliis editionibus post aliquot annos factis, quæ mihi visæ sunt, ut in illa Parisiis an. Dom. MDLXXXIII. Antverpiæ MDLXXXVIII. Salmanticæ MDLXXXIX. Quæ verba ex Libro Pontificum, sive Pontificali Damasi, ut in ipso

Breviario notabatur, sumpta sunt. Sed postquam Baronius fidem Pontificalis elevasset, et Annales suos Sixto V. dedicasset, in eorum verborum locum, extrito Pontificalis Damasi titulo, hæc irrepserunt, " Sedit in " pontificatu annos tres, menses undecim, dies decem et " octo ;" scilicet ex arbitrio Ill. Cardinalis et mandato Clementis VIII.

II. In Annalibus quidem rationes aliquot hujusce mutilationis, sed tam parce et tam timide referuntur ; ut se ipsas prodere videantur. " Quod tres tantum," inquit, " ordinationes fecisse reperiatur, haud longiori " tempore sedisse possumus opinari." Plane ficulneum est hoc argumentum. Nam numerus ordinationum sexto seculo excogitatus, gratis tantummodo et sine ullo fundamento prioribus Romæ pontificibus assignatus est. Ac præterea, si daremus hunc numerum trium ordinationum Soteri recte tributum fuisse, nullo modo sequitur eum vix quatuor annis sedisse. Nam ipse secundi catalogi auctor, qui tres tantum ordinationes Soteri attribuit, annos eidem novem assignavit ; adeoque ex numero ordinationum de duratione pontificatus judicandum esse voluit. Et si anni Soteris, aliorum etiam pontificum, ob eandem rationem amputandi erunt. Verbi gratia, Alexander tres ordinationes fecisse dicitur, sedisse autem annos decem, et idem traditur de Sixto. Eleutherus dicitur sedisse annos quindecim, ordinationes autem fecisse tantummodo tres. Hæc igitur nihili sunt. Sed necessitas Annalistam compulit ut pontificatum Soteris amputaret ; nempe quia constat ex historia sub persecutione Lugdunensium Romæ sedisse papam Eleutherum. Ergo ante eam persecutionem Soter mortuus est. Et quidem hujusmodi necessitas sæpe corrupit Annales Ecclesiasticos ; ut æra Diocletiani, et annus primus Valentiniani Ba-

ronium duos annos absorbere coegerunt. Sed hæc necessitas de pontificatu Eleutheri ex antecedentibus erroribus, et quidem pluribus, nata est; nec intercidendo aliquot Soteris annos removeri debuit.

III. Quamvis etiam hinc subdole Baronius martyrium Soteris expiscatus est. Statuit enim hac persecutione, qua Lugdunenses passi sunt, sublatum fuisse Soterem papam; ut illud ex falsa sua chronologia obtineret, quod aliunde haurire non potuit. Quis enim unquam ante auctorem Breviarii sive correctorem Soterem papam martyrium subiisse legit? In Breviario quidem ex decreto concilii Tridentini restituto, et jussu Pii V. edito, ad diem XXII. Aprilis extat lectio ex pontificali Damasi et Gratiano desumpta, in qua Soter diserte dicitur martyrio coronatus. Sed neque apud Gratianum, neque in Libro Pontificali, qui illic Damaso tribuitur, martyrii Soteris ulla mentio facta est. Sed postquam ipse cum aliis viris doctis Martyrologium Romanum, ut vocant, restituisset, et ex jussione Sixti V. recognitum, et notis suis illustratum, edidisset; tum demum sine ulla dubitatione lectum est, " Romæ via " Appia natalis S. Soteris papæ et martyris."

IV. Hæc habui quæ dicerem de annis veterum Romæ episcoporum, ac præcipue Hygini, Pii, et Aniceti, ad quorum tempora multa quæ ad historiam ecclesiasticam pertinent, a scriptoribus coævis aut supparibus diserte referuntur. Unde constat Annales Ecclesiasticos maximæ secundi seculi partis immanibus et fœdis metachronismis scatere, nec sine hac similive nova pontificum Romanorum chronologia a tanta labe liberari et redintegrari posse. Et quamvis Heinschenius novam nobis pontificum Chronologiam nuperrime excuserit, multosque ill. Annalistæ errores libere detexerit, non tamen veræ historiæ satisfacit. Neque

cum illa scriberet, historiæ ecclesiasticæ monumenta in consilium adhibuisse videtur; sed tantummodo veterum tabularum ab alumnis Ecclesiæ Romanæ sero delineatarum naufragia compingere, et ubi inconstantes sunt conciliare, ubi manifesto falsæ aut corruptæ aut mutilæ apparent, supplere atque dealbare, maxima supputationis habita ratione, veritatis aut etiam verisimilitudinis minima.

TABULA CHRONOLOGICA

PRIMORUM ROMÆ EPISCOPORUM

SECUNDUM RATIONES PEARSONI.

Hanc Tabulam partim ex Dodwelli Dissertatione, c. 15. exscripsimus, partim ad Pearsoni verba reformavimus, et in fine supplevimus.

---

1. S. PETRUS. Passus est A. D. LXVIII.	1. Nihil certi statuisse videtur Pearsonus de tempore quo putandus est S. Petrus Romæ sedisse. Vid. Diss. I. c. viii. 10. Diss. II. c. ii. 2.
2. LINUS: consecratus fortasse A. D. LV. mortuus ante S. Petri martyrium, A. D. LXVII.	2. Diss. II. c. ii. c. v. 2. 4.
3. ANENCLETUS: sedit annos duos. Mortuus est A. D. LXIX. exeunte.	3. Diss. II. c. v. 5.
4. CLEMENS: sedit ad A. D. LXXXIII. Domitiani secundum.	4. Diss. II. c. v. 7.
5. EUARISTUS: sedit ab A. D. LXXXIII. ad A. D. XCI. coss. Trajano et Glabrione.	5. Diss. II. c. vii. 1.
6. ALEXANDER: ab A. D. XCI. ad CI.	6. Diss. II. c. vii. 2. sqq.
7. XYSTUS: ab A. D. CI. ad. CXI.	7. Diss. II. c. vii. 6, 7.
8. TELESPHORUS: martyrio coronatus est, A. D. CXXII. Hadriani sexto.	8. Diss. II. c. vii. 8. c. viii. Hunc primum post Petrum inter præsules Romanos martyrem fuisse credidit Pearsonus. Diss. I. c. iv. 2.
9. HYGINUS: ab A. D. CXXII. ad A. D. CXXVI.	9. Diss. II. c. viii. 9. c. xii. 1, 2.

Intervallum unius fere anni, scil. A. D. CXXVII. quo primum Romam venit Marcio.

10. PIUS: ab A. D. CXXVII. ad CXLII. — 10. Diss. II. c. xii. 2, 3.

11. ANICETUS: ab A. D. CXLII. ad CLXI. — 11. Diss. II. c. xiii. Sub Aniceto Romam venit Polycarpus. ib. c. xiv. passus est A. D. CXLVII. c. xv.—xx. Eadem persecutione passus est Pionius; c. xix. Passus est Justinus Martyr. A. D. CXLIX; c. ix. 2. xiv. 1. 2.

12. SOTER: ab A. D. CLXI. ad CLXX. — 12. Diss. II. c. xxii.

" Hucusque in hoc opere: reliqua, " ut suppleverit, habemus e doc- " tissimi Patris Adversariis." DODWELL.

13. ELEUTHERIUS: ab A. D. CLXX. ad CLXXXV. — 13. Hoc tempore scripsit Irenæus, circa A. D. CLXXX. Diss. II. c. xiv. 2.

14. VICTOR: ab A. D. CLXXXV. ad CXCVII.

15. ZEPHYRINUS: ab A. D. CXCVII. ad CCXVII.

16. CALLISTUS: ab A. D. CCXVII. ad CCXXII.

17. URBANUS: ab A. D. CCXXII. ad CCXXX.

18. PONTIANUS: ab A. D. CCXXX. ad CCXXXV. — 18. Vid. Diss. I. c. iv. 2. 4. 5. Annal. Cyprian. ad A. D. 250. §. 3. Mortuus est exul in Sardinia.

19. ANTEROS: sedit A. D. CCXXXV. et CCXXXVI; et eodem anno, quo Fabianus ordinationem suam accepit, martyrio coronatus est. — 19. " Anteros sedit mense uno, die- " bus duodecim; dormiit A. D. " CCXXXVI., tert. Non. Jan." Annal. Cyprian. ib. Diss. I. c. iv.

20. FABIANUS: ab A. D. CCXXXVI. ad CCL. — 20. Fabianus martyrio coronatus est die vicesimo Januarii A. D. CCL. Annal. Cypr. ib.

Post obitum Fabiani sedes vacat per unius anni, mensium IV. et dierum XV. spatium.

21. CORNELIUS: mortuus est A. D. CCLII. — 21. 22. Vid. Annal. Cypr. ad A. D. 252. §. 12, 13. A. D. 253. §. 4.

22. LUCIUS: sedit A. D. CCLII. et CCLIII.

23. STEPHANUS: ordinatus est A. D. CCLIII. mortuus A. D. CCLVII.	23. Annal. Cypr. ad A. D. 257. §. 5.
24. XYSTUS II. undecim menses præfuit, et eodem anno, quo S. Cyprianus, martyrio coronatus est, A. D. CCLVIII.	24. Annal. Cypr. et Dissert. I. c. x. 3.
25. DIONYSIUS, cum sedes anno fere uno vacaverat, electus est die XI. vel XII. cal. Augusti A. D. CCLIX. Mortuus est X. mensibus ante initium imperii Aureliani, A. D. CCLXIX.	25. Dissert. I. c. x. 7. Annal. Cypr. App. A. D. 259. §. 4.

APPENDIX

CONTINENS PEARSONI QUÆDAM SUBSECIVA.

PROLEGOMENA

IN

HIEROCLEM,

DE EDITIONE, AUCTORE, ET OPERE[a].

CUM hæc opuscula, nunquam antehac simul excusa, nunc eodem volumine impressa prodeant, operæ pretium fore videbatur, si ab eo qui edenda curavit, et editionis, et auctoris, et operis ratio aliqua lectori redderetur. Quamobrem, ne vel novitate sua displiceant, vel sub Fragmentorum titulo minus ambitioso vilescant, quod de horum unoquoque scitu necessarium judicavimus, breviter fideliterque trademus.

Cum typographus Pythagoræ Fragmenta hinc inde collecta, et in Aurea ejus Carmina Hieroclis Philosophi Commentarium vel auro pretiosiorem prelo subjecisset, monui eum exstare etiamnum alia Hieroclis Opuscula, neque ea adeo vulgo nota; addidique, nihil a tanti nominis philosopho, magis magisque indies inclarescente, scriptum esse, quod omnibus in hoc literarum genere versatis non foret gratissimum exoptatissimumque. Quo monito, licet Facetiarum libellum priori imprudentius affixisset, cœpit tamen de secundo volumine imprimendo cogitare.

Primum igitur, Compendium de Providentia et Fato Parisiis a Frederico Morello editum ut quæreret suasi; quod in Bibliopoliis omnibus, et nonnullis eruditorum hominum Bibliothecis frustra quæ-

[a] These Prolegomena were first printed as a preface to "Hierocles de Providentia et Fato, una cum Fragmentis ejusdem, cum notis Merici Casaubon ad Commentarium in Aurea Carmina." Lond. 1655. 12mo. They were reprinted with an edition in 8vo. Cantab. 1673; and again by Needham, in his edition of Hierocles, Cantab. 1709. 8vo. some of whose notes are here subjoined.

situm, tandem vir doctissimus, harumque rerum callentissimus, et, si addere liceat, nostri amicissimus, Mericus Casaubonus, communicavit; quod non solum a Morello primo editore, sed ab Hugone Grotio, qui in hac ipsa quæstione plurimum desudaverat, versum habes. Huic tractatus duos ex iisdem libris a Photio excerptos, et in Myriobiblo, stupendo eruditionis opere exstantes, adjiciendos curavi. Et ne quid, quod a tanto viro scriptum est, licet temporis injuria mutilatum, lateret, ejusdem auctoris fragmenta omnia inter Stobæi *Eclogas* sparsa, et vel sic ab interitu vindicata, ut adjungeret consilium dedi. Præterea, etiamsi paucissima ex iis quæ Hierocles ille adversus Religionis nostræ cultores scripserat, superessent, eaque sint, quorum a lectione Christianos omnes potius arcendos crediderint forsitan nonnulli; tamen, quoniam apud Eusebium Cæsariensem et edita jampridem et refutata sunt, censui sine ullo religionis dispendio edi posse, et, ne quid deesset, omnino edenda[b]. Denique, cum in priori libro inter reliqua Fragmenta etiam Symbola Pythagoræ ex Iamblicho delineata conspicerem, et præclarum Lilii Gyraldi Commentarium in magno et ingentis pretii operum volumine quasi latitantem cogitarem, iterum hortatus sum ut non omitteret libellum tam paucis cognitum, a tanto philologo scriptum, summique viri Isaaci Casauboni elogio commendatissimum; quem in Notis ad Diogenem Laertium hæc verba habuisse diu est ex quo primum observavimus: "De Symbolis Pythagoricis multa multi scripsere, ad quos lectorem "rejicimus; imprimis ad Lilium Gyraldum, virum solide doctum, et "in scribendo accuratum." Hæcque omnia eo lubentius ardentiusque ut fierent urgere visum est, quod Annotationes Casauboni Filii in Commentarium Hieroclis prius impressum, imo evulgatum, non sine alio volumine edendæ viderentur. Hanc editionis rationem habeant, qui requirunt breviusculam; auctoris aliquanto ampliorem habituri.

Nam cum in omni fere literarum genere, a quo quisque liber, quaque ætate, scriptus sit, intelligere plurimum intersit, ne scriptorem plane alienum pro nostro substituamus, neu pro mediæ ætatis Philosopho vel recentiorem aliquem vel antiquiorem venditemus; veniam postulare visum est, ut de iis omnibus, qui sub Hieroclis nomine inter literatos hactenus innotuerunt, et hæc commentanti præsto sunt, paulo diligentius disseramus.

[b] Hæc excerpta Eusebiana ex Hieroclis Nicomediensis Λόγῳ φιλαλήθει, qui toto seculo philosopho nostro major erat, ut in Præfatione ostendimus, &c. omittenda duxi. NEEDHAM.

Primus, quantum memoria teneo, qui Hieroclis nomine inter Græcos doctrina celebres insignitus est, fuit Meneclis frater, e regione Caria, ex urbe Alabandis[c], ubi Cicerone puero floruit, et oratoriam professus est. Aliter quidem docere nos voluit vir doctissimus Gerardus Joannes Vossius, Libro de Historicis Græcis Tertio; qui Hieroclem quidem hunc patria quidem Alabandensem fatetur, sed Rhodum commigrasse tradit, testemque migrationis Strabonem laudat. Quod an veritati consentaneum sit, videamus. Verba Strabonis, Lib. xiv. in codicibus editis hæc sunt: *Ἄνδρες δὲ ἐγένοντο λόγου ἄξιοι δύο ῥήτορες ἀδελφοὶ Ἀλαβανδεῖς, Μενεκλῆς τε, οὗ ἐμνήσθημεν μικρὸν ἐπάνω, καὶ Ἱεροκλῆς, οἱ μετοικήσαντες εἰς τὴν Ῥόδον, ὅ τε Ἀπολλώνιος καὶ ὁ Μόλων.* "Viri memorabiles Alabandenses fuerunt oratores duo "fratres, Menecles, de quo paullo ante diximus, et Hierocles, qui in "Rhodum commigraverunt; item Apollonius et Molo." Ita interpres, et hæc Vossio favent. Sed monuit Criticorum Princeps Isaacus Casaubonus locum esse mutilum, et deesse particulam *καὶ*, legendumque omnino *καὶ Ἱεροκλῆς, καὶ οἱ μετοικήσαντες εἰς τὴν Ῥόδον*· ut illud *μετοικήσαντες* non ad Meneclem et Hieroclem qui præcedunt, sed ad eos qui sequuntur, Apollonium scil. et Molonem, referatur. Quam ego correctionem minime contemnendam, potius corroborandam sentio. Nam, primo, Apollonium et Molonem Alabandenses fuisse, et Rhodum postea commigrasse, fatentur omnes: deinde cum Geographus ipse paullo ante eos qui, alibi nati, Rhodi oratoriam professi sunt, commemorasset, horum quidem diserte meminit, Meneclis autem vel Hieroclis ibidem docentis mentionem nullam facit, oratores adeo celebres loco tam opportuno nequaquam omissurus, si in eadem urbe cum Apollonio et Molone unquam docuissent.

Ceterum Joannes Meursius, vir diligens et harum rerum præcipue callens, correctionem Casauboni emendatione alia plane evertere in Apollonio suo conatur. Ubi enim nos legimus *ὅ τε Ἀπολλώνιος καὶ ὁ Μόλων*, ac si duo essent, ut revera sunt, ille levi transpositione in hunc modum restituit, *ὅ τε Ἀπολλώνιος, ὁ καὶ Μόλων*, atque ita ex duobus unum facit, qui et Apollonius et Molo diceretur. Sed fugit eum ratio, cum diligentissimum Geographum sic emendaret, vel potius corrumperet. Quis enim putabit Strabonem, dum Alabandenses ora-

[c] Ita hic et alibi inferius rescripsit Needhamus, pro eo quod Pearsonus dederat, *Alabanda*, fœmininum singulare. Quod licet Lexica exhibeant, et scripserit nuperrime V. D. Schweighæuser. in Indice Polybiano, tamen alterum, cum usitatius sit, et certissimis auctoribus firmatum, Liv. xxxiii. 18. Strab. xiv. p. 659. et alibi, in textum recepi. Eadem diversitas est in v. *Abdera*, *Medama*, *Thurii*, sive *Thuriæ*, &c.

tores enumerat, Molonem nominare, Apollonium omittere; et cum ante utriusque ut Alabandis nati, ut Rhodi profitentis, simul meminisset, nunc in ipsa patriæ descriptione unius tantum mentionem facere voluisse? Quid quod, quicquid alii de Apollonio Molonis, ut Plutarchus et Porphyrius, aut de Apollonio Molone, ut Josephus, Suetonius, et Quintilianus scribunt, Strabo semper Molonem diserte distinguit ab Apollonio? Καθάπερ καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Μαλακὸς, καὶ Μόλων· ἦσαν γὰρ Ἀλαβανδεῖς· "Quemadmodum Apollonius cogno-" mento Mollis, et Molo; erant enim Alabandenses," Meneclis Rhetoris discipuli. Non dicit ὁ Μαλακὸς καὶ ὁ Μόλων· quod certe debuit, si utrumque Apollonium, unum Malacum, alterum Molonem dicere voluisset. Rursus, ἐπεδήμησε δὲ πρότερον Ἀπολλώνιος· ὀψὲ δὲ ἦκεν ὁ Μόλων· "Prior Rhodum se contulit Apollonius; postea autem venit "Molo." Si uterque fuisset nomine Apollonius, nunquam scripsisset πρότερον Ἀπολλώνιος, sed πρότερον ὁ Μαλακὸς, ὀψὲ δὲ ὁ Μόλων. Certissimum est igitur distingui apud Strabonem Apollonium et Molonem, et correctionem Casauboni emendationi Meursii præferendam.

Quare καὶ οἱ μετοικήσαντες εἰς τὴν Ῥόδον, ὅ τε Ἀπολλώνιος καὶ ὁ Μόλων, ita apud Strabonem verterem: "Memorabiles quidem "Alabandenses Menecles et Hierocles, *item Apollonius et Molo, qui* "ex Alabandis patria sua, ubi Meneclem audiverant, *Rhodum commi-*" *grarunt.*" Habemus igitur tandem Hieroclem Alabandis natum, ibidemque oratoriam professum. Et scripsisse eum Orationes ex Cicerone constat. Ita enim ille in Bruto: "Genera Asiaticæ dic-" tionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, qualis in historia "Timæus, in dicendo autem, pueris nobis, Hierocles Alabandeus, "magis etiam Menecles frater ejus fuit; quorum utriusque Ora-" tiones sunt imprimis, ut in Asiatico genere, laudabiles." Quod fuerit judicium hominum de hoc Hierocle, cognoscere licet ex Cicerone, lib. ii. De Oratore. "Intelligemus, ut hodie Alabandensem "illum Meneclem et ejus fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota "imitetur Asia; sic semper fuisse aliquem, cujus se similes plerique "esse vellent." Quæ sententia Ciceronis, docet ipse in Oratore ad Brutum: "Tertium est, in quo fuerunt fratres illi, Asiaticorum "rhetorum principes, Hierocles et Menecles, minime mea sententia "contemnendi. Etsi enim a forma veritatis, et ab Atticorum "regula absunt; tamen hoc vitium compensant vel facultate vel "copia." Atque hæc de Alabandensi rhetore, quem nostrum esse non posse certissimum est, utpote qui pene quadringentis annis philosopho antiquior fuerit.

Meminit et Hieroclis cujusdam Scholiastes ad Pindari Pythia, Ode iv. *Ἱεροκλῆς δέ φησι τοὺς ἐκ Λακεδαίμονος ἀποικίσαντας Ἀπόλλωνι αὐτὴν (Θήραν) ἀνιερῶσαι.* Et paullo post: *Ἱεροκλῆς δέ φησι κεῖσθαι τὴν πόλιν ἐπὶ λόφου μαστοειδοῦς λευκογείου.* Hunc Hieroclem eundem fuisse cum Alabandensi, unico hoc argumento, nimis fortasse levi, non tamen reticendo, conjicio. Menecles et Hierocles fratres erant in eodem dicendi genere versati: Scholiastes autem utrumque simul laudat. Nam cum Meneclem prius ideo nominasset, quod probabiliorem ceteris rationem reddidisset, cur Battus oraculum consuleret, seditionem nempe in insula Thera ortam: statim subjungit verbis modo prolatis, Hieroclem docuisse, "Eos qui ex Lacedæmone "coloniam in Theram deduxerant, eandem Apollini consecrasse; "et urbem Cyrenem in colle uberis formam referente collocatam "fuisse." Hinc mihi quidem verisimile videtur, fratrem utrumque historiam illam de adventu Batti in Cyrenaicam oratorio more pertexuisse. Aut si conjectura hæc minus cuiquam arrideat, potiusque ad aliquem, quem historica scripsisse certum est, referenda hæc esse autumaverit; sit nobis *secundus* Hierocles ille, cujus Stephanus Ethnicographus meminit, qui libros scripsit, quos Φιλίστορας nominavit. Ita enim ille in *Ταρκυνία· Καὶ Ταρκυναῖοι ἔθνος Ὑπερβορέων, παρ' οἷς οἱ γρύπες τὸν χρυσὸν φυλάσσουσιν, ὡς Ἱεροκλῆς ἐν τοῖς Φιλίστορσιν·* "Etiam Tarcynæi gens quædam inter Hyperboreos, apud quos "gryphes aurum custodiunt; ut Hierocles in Philhistoricis." Insigne fragmentum ex eodem opere excerptum apud eundem Stephanum exstat in Βραχμᾶνες. *Ἱεροκλῆς ἐν τοῖς Φιλίστορσί φησι· Μετὰ ταῦτα σπουδῆς ἄξιον ἐνομίσθη τὸ Βραχμάνων ἰδεῖν φῦλον, ἀνδρῶν φιλοσόφων καὶ θεοῖς φίλων, Ἡλίῳ δὲ μάλιστα καθωσιωμένων. Ἀπέχονται δὲ σαρκοφαγίας πασῆς, καὶ ὑπαίθριοι τὸν ἀεὶ χρόνον βιοτεύουσι, καὶ ἀλήθειαν τιμῶσι. Χρῶνται δὲ ἐσθῆτι λινῇ, τῇ ἐκ πετρῶν λίθων τὰ μηρύματα μαλακὰ καὶ δέρματα ὃ δὴ συνυφαίνουσιν· ἐξ ὧν ὑφάσματα γίγνεται μήτε πυρὶ καιόμενα, μήτε ὕδατι καθαιρόμενα, ἀλλ' ἐπειδὰν ῥύπου καὶ κηλῖδος ἐμπλησθῇ, ἐμβληθέντα εἰς φλόγα λευκὰ καὶ διαφανῆ γίγνεται·* "Postea operæ "pretium videbatur Brachmanas visere, homines philosophiæ de-"ditos, et Diis charos, Soli vero præcipue dedicatos. Cæterum ab "esu carnium prorsus abstinent; sub dio totam ætatem degunt, et "veritatem colunt." Quæ autem sequuntur cum corrupta sint, prius ut emaculentur, quam vertantur, opus est. Corrigo itaque et lego: *Χρῶνται δὲ ἐσθῆτι λινῇ τῇ ἐκ πετρῶν· λίθων γὰρ μηρύματα μαλακὰ καὶ δερματώδη συνυφαίνουσιν.* Correctionem confirmant illa Plutarchi, Libro de Oraculorum Defectu, p. 434. *Τῆς δ' ἐν Καρύστῳ πέτρας,*

χρόνος οὐ πολὺς ἀφ' οὗ πέπαυται μηρύματα λίθων μαλακὰ νηματώδη συνεκφέρουσα. Vides ex petra Carystia λίθων μηρύματα, eaque μαλακὰ καὶ νηματώδη, ut apud Stephanum δερματώδη reposuimus, νηματώδη etiam reposituri, nisi quod nimis a veteri lectione recedat, et δερματώδη ferri possit. Quod autem de lino vivo, sive asbestino, loquatur Plutarchus, certum est: ex eo enim mantilia, retia, et capitis involucra confecta esse dicit, ab ignis injuria tuta, iisdem pene cum Hierocle verbis tradens, οὔτε περικαιομένους, ἀλλ' ὅσ' ἂν ῥυπανθῇ χρωμένων ἐμβαλόντες εἰς φλόγα, λαμπρὰ καὶ διαφανῆ κομίζονται. Atque ita tandem reliqua apud Stephanum vertimus: " Utuntur autem veste " linea, ex petris facta; lapidum enim filamenta quædam mollia et " quasi cutanea contexunt; ex quibus vestimenta fiunt, neque igne " comburenda, neque aqua purganda; sed cum sordibus scatiant, in " flammam conjecta, pura et splendida evadunt."

Aliud Hieroclis ejusdem fragmentum, ex eodemque opere, conservatum habemus in Tzetzis Chiliadibus. Quod licet ipsissimis ejus verbis conceptum non sit, tamen et libri argumento, et ætati auctoris, vix aliunde eruendæ non parum lucis afferet:

Ἱεροκλῆς ὡσαύτως Φιλίστορσιν ἐν λόγοις,
Ἐξῆς δὲ, λέγων, εἴδομεν χώραν αὐχμηροτάτην,
Ἠλίῳ φλεγομένην τε, καὶ περὶ ταύτην ἄνδρας
Γυμνοὺς, ἀνεστίους τε, πρὸς χώραις τῆς ἐρήμου·
Ὧν οἱ μὲν ἀπεσκίασαν τὸ πρόσωπον ὠτίοις,
Τοὺς πόδας δ' ἀνατείνοντες, τὸ σῦμπαν ἄλλο σῶμα.
Τούτων δὲ Στράβων μέμνηται, καί γε τῶν ἀκεφάλων,
Καὶ τῶν δεκακεφάλων τε, καὶ τετραχειροπόδων·
Οὕσπερ ἐγὼ οὐκ ὄπωπα, φησὶν ὁ Ἱεροκλέης.
Ταῦτα Ἱεροκλέης μέν.

" Hierocles similiter in libris Philhistoricis,
" Deinde, inquit, vidimus regionem siccissimam,
" Soleque exustam, et in ea viros
" Nudos atque tecto carentes, locis in desertis;
" Quorum quidam obumbrabant faciem auribus,
" Pedes autem extendentes, etiam corpus reliquum.
" Quin horum Strabo meminit, necnon Acephalorum,
" Et decem capita habentium, quatuorque manus atque pedes,
" Quos ego nusquam vidi, inquit Hierocles.
" Hæc quidem Hierocles."

Atque ista Joannes Tzetzes, Chil. vii. Hist. 144. Ex quibus

liquet Hieroclem illum quamplurimas regiones peragrasse, resque in itinere visas aut aliunde cognitas scripto tradidisse, et libros, quibus hæc omnia complexus est, Φιλίστορας nominasse. Patet etiam Strabone Historico, qui sub Tiberio scripsit, juniorem, (illum enim laudat,) Stephano etiam Ethnicographo, a quo ipse laudatur, antiquiorem fuisse.

Post oratorem et historicum, *tertius* nobis erit ex porticu philosophus, toties Tauro Platonico et cum Stoica disciplina non bene convenienti laudatus, ut tradit in Noctibus Atticis, ix. 5, Agellius. " Taurus autem noster, quoties facta mentio Epicuri esset, in ore " atque in lingua habebat verba hæc Hieroclis Stoici viri sancti " et gravis : Ἡδονῆς τέλος πόρνης δόγμα οὐκ ἔστιν πορνεῖα· οὐδὲν πόρνης " δόγμα." Ista Agellius de Tauro. Hæc Taurus ex Hierocle, sed corrupta et nihili ex vitiosa editione facta, in hunc modum nitori pristino restituenda. Ἡδονὴ τέλος· πόρνης δόγμα. Οὐκ ἔστι πρόνοια οὐδέν· πόρνης δόγμα. Duo nempe Epicuri dogmata jugulat, et ex philosophorum scholis ad lupanaria amandat " vir sanctus et " gravis :" finem omnium, seu summum bonum in voluptate situm esse ; illud primum : providentiam, qua regi mundum vulgus autumat, nihil esse ; hoc secundum [d]. Et hic fortasse Hyllarimensis est, de quo Stephanus : Ὑλλάριμα, πολίχνιον Καρίας, ὅθεν ἦν Ἱεροκλῆς ὁ ἀπὸ ἀθλήσεων ἐπὶ φιλοσοφίαν ἀχθείς. Nullam enim aliam ob rationem, quam quod philosophus dicatur, nostrum fuisse Hyllarimensem illum conjecit Vossius : nos igitur potiori jure Stoicum hunc fuisse dicamus, quoniam noster non ex athleta, sed ex judice factus est philosophus, ut mox ostendemus. Utcunque sit, Stoicus ille non potest idem esse cum eo quem nos edimus, quia Tauro antiquior est, quem Platonicam philosophiam exponentem non solum Agellius, sed et Herodes Atticus, referente Philostrato, sub Hadriano Cæsare audivit.

" Alius etiam a nostro videtur Hierocles, ex quo Athenæus lib. " XIV. xiv. 646 B. refert quid sit σταῖς," inquit Ger. Vossius. Imo vero, si omnino fuerit Hierocles iste, non modo " videtur alius," sed ut sit, omnino necesse est. Scripsit enim ante Athenæum, qui sub Pertinace *Deipnosophistas* edidit, centum et quinquaginta annis ante Libanium et Acacium, quibus florentibus noster obiit. Neque vero ille apud Athenæum " refert quid sit σταῖς," sed quid σταιτίτας,

[d] Restabat magno Bentleio, ut observavit ad hunc locum Needhamus, correctionem feliciter auspicatam perficere, reponendo, Οὐκ ἔστι πρόνοια· οὐδὲ πόρνης δόγμα. Dissert. ii. de Epist. Phalaridis, p. 526.

placenta scilicet ita Epicharmo nominata, quæ *σταῖς ἐστιν ὑγρὸν εἰς τήγανον ἐπιχεόμενον, μέλιτος ἐπιβαλλομένου καὶ σησάμης καὶ τυροῦ, ὡς Ἱεροκλῆς φησιν.* *Σταιτίτας* nempe dictus est, quod sit *σταῖς* " liquidum " sartagini affusum, adjecto melle, cum sesamo et caseo, ut inquit " Hierocles." Apertissime autem fallitur vir doctissimus Dalechampium sequutus, cum ita explicat " quid sit *σταῖς*, nempe liquor, " vinum puta, aqua, vel alius:" nemo enim unquam vinum, aut aquam, aut similem aliquem humorem *σταῖς* nominavit. Revera non uid *σταῖς* esset, sed quamobrem placenta *σταιτίτας* diceretur, scil. quod *ἐκ σταιτὸς ὑγροῦ* fieret, docere voluit, quisquis est; non enim Hieroclem, sed Iatroclem nominatum puto, et legendum omnino *ὡς Ἰατροκλῆς φησιν* apud Athenæum censeo. Ut enim Harpocration Mendesius, ita et Iatrocles scripsit de placentis. *Κριμνίτης, πλακοῦς ποιὸς, διὰ κρίμνων γινόμενος, ὡς Ἰατροκλῆς ἐν τῷ περὶ πλακούντων ἀναγράφει.* Athenæus paullo ante. Et idem rursus, *Κοιρίναι· τούτων μνημονεύει Ἰατροκλῆς ἐν τῷ περὶ πλακούντων.* Ut igitur alibi, *Παῖσα, πλακούντια παρὰ Κώοις, ὥς φησιν Ἰατροκλῆς*, ita hic quid sit *σταιτίτας* ostendens, *ὡς Ἰατροκλῆς φησι* sine dubio scripsit. Hunc igitur, ex numero eorum qui sub Hieroclis nomine innotuerunt, expungentes, ad alios et his et nostro juniores transeamus.

In xvi°. *Geoponicorum* libro tria capita sunt, viz. 9, 10, 11. quæ *Φεροκλέους* nomen præ se ferunt: sed cum liber ille ad rem veterinariam pertineat, *Ἱεροκλέους* legendum esse ostendunt *Hippiatrica*[e]. Binos autem libros scripsit Hierocles *περὶ τῆς ἵππων θεραπείας*, hoc est, ' De Morbis Equorum Curandis,' ut ipse testatur in proœmio ad secundum Hippiatricorum, cap. lx; eosque a Basso rogatus cum confecisset, eidem postea dedicavit. Suntque hi duo libri quasi fundamenta Collectionis Veterinariæ, ad quorum formam methodumque reliquorum Epistolæ aut *ἀποσπασμάτια* redigi videantur. Fuit autem Hierocles ille non *ἱππιατρὸς* aut inter equites Cæsarianos in armis versatus, ut Apsyrtus, et Theomnestus, sed jurisprudentiam coluit, et causis agendis in foro operam dedit. Locuples ipse mihi testis in operis proœmio: *Ἀλλ' εἰ καὶ κατακούειν ἡμᾶς ἑτέρων τὰ νῦν ἐχρῆν, ἔν τε δικαστηρίοις παρέχειν χρείαν τοῖς δεομένοις, καὶ σπουδὴν περὶ ταύτας ποιεῖσθαι τὰς διατριβάς· οὐκ ἀτιμαστέον γε ὅμως τὴν σὴν ἀξίωσιν, ἄριστε Βάσσε·* " Etiamsi nos alios potius audire hoc tempore opor- " teat, et in judiciis copiam nostri postulantibus præbere, atque " hisce exercitiis operam dare; non tamen negligendum fuit, optime " Basse, quod tu requiris."

[e] Ita in edit. sua Geoponicorum correxit Needhamus.

Præter hunc et alius Hierocles Grammaticus, qui Συνέκδημον, sive notitiam imperii Constantinopolitani evulgavit, editus ab episcopo Abrincatensi, sed imperfectus; a V. Cl. L. Holstenio in Corpore Historiæ Byzantinæ perfectior edendus [f].

Tandem aliquando, recensitis illis quos a nostro plane distinguimus, ad ipsum philosophum veniamus. Hunc ego pro certo affirmare non ausim, negare tamen non possum, fuisse illum ipsum, qui adversus Christianæ religionis symmystas et scripsit mordacia, et acerba gessit.

Primum autem legendo observavi fuisse eum in Bithynia judicem, imperante Diocletiano, judiciumque adversus Christianos, flagrante persecutione, exercuisse [g]. Auctor est oculatus tragœdiæ testis Lactantius: "Alius eandem materiam mordacius scripsit, qui erat tunc " e numero judicum, et qui auctor imprimis faciendæ persecutionis " fuit." Ita ille lib. v. De Justitia, c. 2; de alio nescio quo priora [h], de nostro hæc certissime locutus [i]. Non igitur, uti "alter, antistitem " se philosophiæ" tunc temporis "profitebatur," sed sub solo judicis officio Christiano nomini infensus apparuit: "quo scelere non con- " tentus, etiam scriptis eos quos affixerat, insecutus est." Sed quemadmodum inter Græcos rerum naturæ periti primo Σοφοὶ, postea modestiori vocabulo Φιλόσοφοι dicebantur; ita cum Celsus, qui primus adversus religionem nostram ex professo scripsit, inimicissimum veritati librum Λόγον Ἀληθῆ nuncupasset, Hierocles titulo minus ambitioso suum Φιλαλήθη indigitavit. Fatetur Eusebius ἀλαζονικώτερον τοῦ Φιλαλήθους ἐπιγεγραμμένον Κέλσου Ἀληθῆ Λόγον. Et ut ad Hiero-

[f] Hieroclis istius meminit Constantinus Porphyrogennetus, qui imperium Byzantinum capessebat A. D. 912. in Thematibus lib. ii. c. 1. et 4. NEEDHAM.

[g] Diversos fuisse Judicem et Philosophum putat Needhamus. Rationes in Præfatione sua exponit.

[h] Baronius, Annal. ii. 716. de Porphyrio accipit; "quem, contra Eusebii " et Hieronymi testimonia, non in Si- " cilia, sed in Bithynia, impiis suis li- " bris Christianam religionem oppug- " nasse contendit. Baronium sequitur " Oxoniensis Lactantii Editor. Magis " autem arridet," ait Needhamus, "Hol- " stenii judicium, qui in Observat. de " Vita et Scriptis Porphyrii, p. 21. " negat hæc Lactantii verba de Por- " phyrio accipi posse." Argumenta ex utraque parte exponit. Sed cum Pearsonus hanc quæstionem in medio relinquerit, nolim his lectorem morari. Vid. Cave, Hist. Lit. in v. Anonymi Nicomediensis, A. D. 302. I. p. 345.

[i] Tenendum, quo tempore hæc scribebat Pearsonus, Lactantii libellum de Mortibus Persecutorum nondum a Baluzio fuisse editum. Prodiit in Miscell. tom. ii. Paris. 1679. Ibi vero Lactantius disertis verbis nominat "Hiero- " clem, ex Vicario Præsidem, qui auc- " tor et consiliarius ad faciendam per- " secutionem fuit." c. 16. Unde, ut notavit ad loc. Colomesius, "apprime illus- " tratur Institut. lib. v. c. 2. ubi Hie- " roclis, tacite licet, mentionem fieri " vidit lynceus Præsul, Joannes Pear- " sonus ὁ μακαρίτης, Prolegomenis doc- " tissimis in Hieroclem." Vid. Dissert. i. De Success. Rom. Episc. c. vii. §. 4.

clem hæc pertinere certo constet, qui a Lactantio nullibi nominatur, ecce quæ Eusebius, post verba ut refutarentur repetita, subjungit: *Ταῦτα ῥήμασιν αὐτοῖς Ἱεροκλεῖ τῷ τὸν καθ' ἡμῶν ἐπιγεγραφότι Φιλαλήθη Λόγον·* "Hæc," inquit, "ipsius Hieroclis verba sunt in oratione "contra nos scripta, cui titulus Philalethes." Ita semper Eusebius, ac si unum tantum librum scripsisset, cum duos fuisse ex Lactantio pateat. "Composuit enim libellos duos, non contra Christianos, ne "inimice insectari videretur; sed ad Christianos, ut humane et be- "nigne consulere putaretur." Integer itaque titulus ita erat conceptus: ΛΟΓΟΙ ΦΙΛΑΛΗΘΕΙΣ, ΠΡΟΣ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥΣ. De binis itaque res est certa. Idem, capite sequenti: "Ausus est libros suos ne- "farios ac Dei hostes, *Φιλαλήθεις*, id est, veritatis amatores, anno- "tare." Eusebius autem velut librum singularem nominat, quia ex duobus unum tantum tetigit, nec eum, ut opinor, integrum, sed partem illam tantum, qua, ausu plane novo et reliquis Christianismi hostibus intacto, Apollonium Tyaneum Christo Deo nostro comparavit, æquavit, prætulit. Atqui alia quamplurima, præter infamem illam comparationem, adversus nos effuderat Hierocles, "in quibus," teste Lactantio, "ita falsitatem Scripturæ Sacræ arguere conatus "est, tanquam sibi esset tota contraria. Nam quædam capita, "quæ repugnare sibi videbantur, exposuit; adeo multa, adeo "intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse videa- "tur." Ut etiam quædam particularia notemus: "præcipue Pau- "lum Petrumque laceravit, cæterosque discipulos, tanquam fallaciæ "seminatores: quos eosdem tamen rudes et indoctos fuisse testatus "est; nam quosdam eorum piscatorio artificio quæstum fecisse."... "Ipsum autem Christum affirmavit a Judæis fugatum, collecta non- "gentorum hominum manu, latrocinia fecisse."...."Idem, cum "facta Ejus mirabilia destrueret, nec tamen negaret, voluit ostendere "Apollonium vel paria vel etiam majora fecisse." Reliqua igitur, quæ de contrarietate Sacrarum Scripturarum, de Pauli Petrique dissidio, et apostolorum imperitia, effutivit, ex Celso excerpserat, aut etiam ex Porphyrio, qui eadem, teste Hieronymi Proœmio Commentarii in Epistolam ad Galatas, in primo operis sui adversum Christianos libro copiose tractaverat. *Πρὸς μὲν γὰρ τὰ λοιπὰ τῶν ἐν τῷ Φιλαλήθει, οὐδὲν ἂν εἴη σπουδαῖον ἐπὶ τοῦ παρόντος ἵστασθαι, μὴ αὐτοῦ ἴδια τυγχάνοντα, σφόδρα δὲ ἀναιδῶς ἐξ ἑτέρων, οὐκ αὐτοῖς μονονουχὶ νοήμασιν, ἀλλὰ καὶ ῥήμασι καὶ συλλαβαῖς, ἀποσεσυλημένα·* "Nam in reli- "quis, quæ in Philalethe continentur, non erit operæ pretium im- "præsentiarum commorari, cum ipsius propria non sint, sed ex alio-

" rum scriptis, iisdem non tantum sententiis, sed verbis etiam atque " syllabis, nimis impudenter sublecta." Eusebius igitur ea tantum in libris Hieroclis refutare aggressus est, quæ de Apollonio scripserat, reliqua vero intacta prætermisit, uti jampridem ab Origene in libris contra Celsum refutata, aut a seipso in iis quæ contra Porphyrium meditabatur, propediem refellenda. Nullo igitur modo concedendum est illust. Cardinali Baronio, " Eusebium omnes impudentis hominis " conatus temerarios hoc Commentario infregisse," cum minimam eorum partem attigisse se Eusebius ipse fateatur. Et omnino notandum est Eusebii Librum contra Hieroclem, pessime a Florentino interprete versum, neque, ut videtur, hactenus satis intellectum, vix attigisse ea quæ ab Hierocle sunt profecta, neque comparationi Apollonii cum Christo inhærere ; imo vero ab eo argumento prorsus abstinuisse, et Philostrati Libros Octo de Vita Apollonii tantum percurrere, et, quicquid ei tanquam philosopho tribuitur, libenter concedere, quicquid ad eum supra mortalium sortem evehendum comparatum sit, excutere, elevare, convellere.

Ceterum Hieroclem illum, de quo hæc diximus, tum ingenii acumine, tum ardore animi, cupidineque persequendi Christianos, Diocletiano adeo placuisse probabile est, ut ex judice Nicomediensi præfectus Alexandriæ factus esse videatur. Certe Epiphanius de ejusdem temporis inaudita sævitia agens, hæc in lxviii, sive Meletianorum[k] hæresi habet ; Κουλητιανὸς μὲν ἦν ἔπαρχος τῆς Θηβαΐδος, Ἀλεξανδρείας δὲ Ἱεροκλῆς· " Præerat tum Thebaidi Culeianus, Alexandriæ " vero Hierocles." Unde haud difficulter tandem adduci me patiar, ut cum Vossio credam hunc hostem religionis nostræ Hyllarimensem Hieroclem fuisse. Sed ea lege, ut illa Stephani verba aliter mihi liceat interpretari, non ut *ex poeta*, cum Simlero, neque *ex athleta*, cum Vossio, sed *ex persecutore* factus sit philosophus : ἀπὸ ἀθλήσεων ἐπὶ φιλοσοφίαν ἀχθείς, inquit Stephanus, aut forte Hermolaus : ἆθλα autem et ἀθλήσεις creberrime dicuntur certamina illa, quæ Christiani cum Ethnicis inierunt, persecutionesque, quas perpessi sunt. Unicum Eusebium nominabo hujus ipsius temporis calamitates persequentem : Τί χρὴ πολλὰ λέγειν, καὶ καινοτέρας ἐπὶ καινοτέραις τῶν ἀνὰ τὴν οἰκουμένην θεοπρεπῶν μαρτύρων ἀθλήσεις παρατίθεσθαι[l] ; Quidni igitur Hierocles,

[k] Hieracitarum, ed. pr.

[l] Huic Eusebii testimonio addit Needhamus Photium col. 300 ed. Rothomag. Μάρτυς δὲ καὶ ὁ Πιέριος ἅμα τῷ ἀδελφῷ Ἰσιδώρῳ τῶν ἀθλητικῶν ἀξιωθέντες στεφάνων. Geoponica p. 9. ed. Cantab. Οἱ τεσσαράκοντα μάρτυρες τοῖς Παγανοῖς παραδοθέντες, ἤθλησαν. Sed de sensu isto vocis nulla est controversia, quam et alii antiquiores de athletis Christianis adhibent; ut simpliciter τὸν ἀθλητὴν Nazianzen. Orat. xviii. p. 277. et Epiphanius, Hær. lxiv. c. 48. ἐρρωμενέστατα διαθλήσαντες εὐχαριστοῦσιν.

ἀπὸ τούτων τῶν ἀθλήσεων, "ab hac ipsa persecutione" tribunal reliquerit, præfecturam exuerit, præsertim Constantino Magno non tantum lethales illas flammas extinguente, sed veritatis lucem admittente? Quidni ad vitam philosophicam, et studia literarum, quibus etiam antea operam non vulgarem dedisse videtur, insperata rerum mutatione perculsus, se contulerit? Quæ si cui satis verisimilia videantur, huic certe non difficulter persuasero eundem fuisse et judicem et philosophum nostrum; qui Epiphanio ἔπαρχος Ἀλεξανδρείας, Suidæ φιλόσοφος Ἀλεξανδρεύς. Atque hæc de libris duobus quos judex scripsit, et Φιλαλήθεις nominavit. Reliqua vero, quæ jam philosophiam professus edidit recenseamus.

Inter opera vero philosophica, sive judex, sive alius fuerit, primum merito jure locum sibi vindicat Ὑπόμνημα εἰς τὰ Χρυσᾶ Πυθαγόρου Ἔπη, "Commentarius in Aurea Pythagoræ Carmina," opus nunquam satis laudatum. Neque enim Carmina ista tantum interpretari, aut grammaticorum instar scholia conficere in animo habuit; sed omnia Pythagoricæ disciplinæ lineamenta brevi quasi tabula depingere. Ipsius verba proferam, quia meliora proferre non possum. Τοιαύτη τῶν Χρυσῶν Ἐπῶν ἡ ἐξήγησις ἡμῖν γέγονε, περιέχουσα ἐν αὐτῇ Πυθαγορείων δογμάτων μετρίαν σύνοψιν· "Hæc est Aureorum Carminum explicatio "nostra, Pythagoricorum in se dogmatum synopsin continens."

Proximum huic locum habeat præclarum illud opus, Περὶ Προνοίας καὶ Εἱμαρμένης, καὶ τῆς τοῦ ἐφ' ἡμῖν πρὸς τὴν θείαν Ἡγεμονίαν συντάξεως, "De Providentia et Fato, Arbitriique nostri cum divina Gubernatione "congruentia." Erat autem totum opus in septem libros distinctum, ἑπτὰ δὲ λόγοι αὐτοῦ ἐπιμερίζονται τὴν σπουδὴν, inquit Photius Bibliothecæ Codice 214. Quorum etiam argumenta ibidem percurrit.

Hunc, a Vossio prætermissum, sequatur, qui tanti illi est, Οἰκονομικὸς, "cujus particulæ," inquit, "hæ erant, De amore fraterno, et "Quomodo utendum sit cognatis, et similes." Voluit igitur vir doctissimus ingens volumen ab Hierocle in Œconomicis factum; cujus partes essent illæ a Stobæo citatæ; scil. Τίνα τρόπον θεοῖς χρη-

Cum vero Needhamus hanc interpretationem, ut "duriorem et longe peti-"tam," improbat, nescio an non nimium "tribuerit ponderis objectioni Dacerii: "Ce sçavant Anglois," ait ille in Vita Hieroclis, "ne s'est apperçu qu' ἀθλή-"σεις peut bien être dit en ce sens, par "rapport à ceux qui souffrent, et nulle-"ment par rapport à ceux qui font souf-"frir: car c'est le martyr qui combat, et le "juge ne combat point." Restat enim adhuc quæstio, utrum Stephanus Byzantinus ad Christianos patientes sub judice, an ad judicem persecutorem, sed antehac ad alia certamina minus tragica conversum, hac voce respexerit. Certe Pearsonum "hæc verba egregie expli-"cuisse" ait Abr. Berkelius ad locum. Vossii interpretationem sequitur Toupius ad Suid. ii. 135.

στέον, seu De usu deorum ; Πῶς *τῇ πατρίδι χρηστέον*, sive Quales in patriam esse debeamus ; Πῶς *χρηστέον γονεῦσι*, sive, Quomodo erga parentes gerere nos oporteat ; Πῶς *συγγενέσι χρηστέον*, Quomodo utendum cognatis ; Περὶ *τοῦ γάμου*, i. e. De nuptiis ; Περὶ *φιλαδελφίας*, De amore fraterno. Ego vero aliter omnino sentio, Οἰκονομικὸν scil. fuisse majoris operis partem unam, eodem plane cum reliquis modo in eodem cum iis volumine conjunctam. Neque enim verisimile est Stobæum, cum reliquas particulas ad caput suum retulerit, unam tantum ad operis totius titulum referre voluisse. Præterea, ea quæ ex *Œconomico* citat ad rei familiaris administrationem proprie spectant ; *πρὸ πάντων γε περὶ τῶν ἔργων ὑφ' ὧν οἶκος συνέχεται*, " ante " omnia," inquit, " de operibus quibus res domestica continetur." Partitur itaque officia ad familiam pertinentia inter patrem matremque familias ; rustica, forensia, et civilia viro, mulieri domestica negotia tribuens. Peculiaris igitur pars est Οἰκονομικός, ab officio erga deos, patriam, parentes, fratres, cognatosque distincta, unumque caput vel librum fortasse in opere majori constituens : quod quidem ego Ἱεροκλέους *φιλοσοφούμενα* nominatum puto.

" Etiam Hyllarimensem signari suspicor a Michaele Apostolio, " Centuria viii, Prov. 20 ; ubi citatur *ἐν δευτέρᾳ φιλοσοφουμένων παρὰ τῶν φιλοσόφων*, " libro secundo de iis qui a philosophis in sapientiæ " studio instituuntur." Ita Vossius, prorsus male ; non enim sunt *οἱ φιλοσοφούμενοι*, de quibus Hierocles scripsit, sed *τὰ φιλοσοφούμενα*, ut Demetrii Ixionis *ἐτυμολογούμενα*, quorum meminit Athenæus : neque *παρὰ τῶν φιλοσόφων* legendum est, sed *περὶ*, ut apud Etymologum et Suidam reperitur, unde Apostolius hausit : neque *περὶ φιλοσόφων* pars tituli est, sed tantum indicat Hieroclem, lib. secundo *φιλοσοφουμένων*, dum de philosophis loqueretur, ea verba habuisse quæ sequuntur. Ita enim Suidas in Ἐμποδών· *ἐχρήσατο δὲ τῇ* λέξει Ἱεροκλῆς *τε, καὶ ἄλλοι, ἀντὶ τοῦ ἐμποδίου. Φησὶν ἐν β΄ φιλοσοφουμένων*[m], *περὶ τῶν φιλοσόφων· τίς γὰρ αὐτῶν οὐχὶ καὶ ἔγημε, καὶ παῖδας ἀνείλατο, καὶ οὐσίας ἐπεμελήθη, μηδενὸς ἐμποδὼν ὄντος* ; Apud Apostolium pro *αὐτῶν* perperam scribitur *αὐτὴν*, quod Pantinum in errorem duxit plane jocu-

[m] Ad clarissimi episcopi verba, quæ mox habet de Origenis *φιλοσοφουμένοις* non satis attendisse videtur doctissimus Suidæ editor Kusterus, cum hæc adnotaverit ad hunc Suidæ locum, *Φησὶν κ. τ. λ.* " Quis ? An Hierocles, cujus " proxime facta est mentio ? An vero " Origenes, qui scripserat librum *φιλοσοφουμένων*, qui MS. servatur in " Bibliotheca Florentina ? Sic existimat " Pearsonius. Sed mihi de auctore " hujus fragmenti nihil explorati esse " fateor." Ne minima quidem suspicio videtur insedisse Pearsoni animo, hæc desumta esse ex Origene ; quippe ejus mentionem obiter tantum facit, ut qui eundem operi præfixerit titulum, quem Hierocles suo. Imo fragmentum istud diserte Hierocli inferius tribuit. NEEDHAM.

larem. Suidæ igitur verba, ut et Etymologi, sic accipienda sentio: Utitur hac voce ἐμποδὼν Hierocles cum aliis loco ἐμποδίου· ut cum, lib. secundo φιλοσοφουμένων, in hunc modum de philosophis loquitur: "Quis enim eorum non uxorem duxit, liberosque suscepit, et rei "curam gessit, quoties nihil impedimento esset?" Reliqua quæ apud Suidam sequuntur, et cum his, nullo alio auctore nominato, nulla occasione interposita, cohærere fortasse videantur, omnino ab hoc fragmento Hieroclis removenda sunt, auctorique suo restituenda. Post illa scilicet philosophi nostri, μηδενὸς ἐμποδὼν ὄντος, sequitur apud Suidam, ἐπεὶ ὁ οὐκ εἰδὼς τοῦ εἰδότος ἐν οὐκ εἰδόσιν, ὡς εἶπε Πλάτων, πιθανότερος ὑπάρχει. Φενακισθεὶς Ἴλλους, μεμεριμνημένη στωμυλία. λογιώτερον πάντων ἔκρινε παιδευτῶν τῆς Κωνσταντίνου· διὸ καὶ πυλλὴν αὐτῷ δίδωσι παραμυθίαν ἐκ τῶν δημοσίων.

"Ut ingenue fatear, hunc locum non satis intelligo," inquit Æmilius Portus, qui Suidam adeo infeliciter transtulit, maculisque plurimis aut affectum invenit, aut affecit. Neque satis ei fuit non intellexisse; insuper emendatione corrupit; nam pro τῆς Κωνσταντίνου legit τῶν, atque ita imperatorem nobis pro urbe dedit, et tempora Constantini cum regno Zenonis pariter confudit. Imposuit illi vocabulum Ἴλλους, quod nomen viri fuisse ignoravit, inde reliqua plane tenebris involuta ut viderentur necesse fuit. At Ἴλλους vel Ἴλλος Græcis, Hyllus aut Illus Latinis dictus, sub Zenone vixit, eique familiaris admodum fuit. Suidas ipse, Ἴλλος, ὄνομα κύριον, ὃς ἦν μάγος Ζήνωνος. At Zenoni operam in arte magica præstitisse, aut omnino magum fuisse Illum non memini. Imo errorem ex scripturæ compendio natum pro certo habeo: scripsit aut Suidas, aut librarius, $\mu\alpha\gamma^{os}$, vel brevius, ut in MS. codice Manuelis Moschopuli expressum vidi, $\overset{os}{\mu}$: hoc qui sequebantur μάγος effecere, cum μάγιστρος abbreviatura illa intelligeretur. Victori in Chronico Hyllus Patritius, et simpliciter Patritius nominatur: at Marcellino Illus natione Isaurus signanter dignitate Magister Officiorum dicitur: et Joannes Antiochenus, nondum editus[n], Καὶ ἐγένετο ὁ Ἴλλους συγκλητικὸς καὶ ὕπατος, καὶ μάγιστρος, καὶ πατρίκιος. Non igitur magus, sed μάγιστρος Zenoni Illus fuit. De hoc igitur Illo patritio et magistro intelligenda sunt ista apud Suidam, quæ ex voce ἐμποδὼν citavimus: neque vero Hieroclis nostri fragmento adjungenda, cum sint sine dubio hausta ex Damascii libro, de vita Isidori, (toties in collectaneis illis exscripto) ut patet ex narratione ipsius Suidæ in Παμπρέπιος, et iis quæ

[n] Prodiit Oxonii, 1691. N.

in Excerptis a Photio in bibliotheca conservatis etiamnum exstant. Fragmentum igitur prius Hieroclis fuit, idque opinor ex librorum aliquo quos φιλοσοφούμενα nominavit, qualem etiam titulum Origenes, qui eidem scholæ aliquando præfuit, usurpavit; et latent ejus φιλοσοφούμενα adhuc in Bibliotheca Florentina, judicio viri doctissimi Lucæ Holstenii dignissima quæ edantur[o]. Utrum inter hæc περὶ δικαιοσύνης tractaverit, aut omnino de justitia unquam scripserit, nescio: semel enim Stobæo citatur sub Ἱεροκλέους, sæpius sub Ἱέρακος nomine. Et fieri potest, ut ab Hierace Alexandrino potius illa scripta sint, quem Ammonio æqualem tradit apud Photium Damascius. Restant Ἱεροκλέους φιλοσόφου Ἀστεῖα, "Hieroclis philo- "sophi Facetiæ;" quæ, an nostri sint, ipse qui edidit dubitavit, et videntur sane esse alicujus Hieroclis junioris.

Præter hæc, concinnavit etiam Hierocles in Platonis Gorgiam Commentarium, non manu sua scriptum, sed ab ore ejus a discipulo exceptum; de quo memorabile est quod narrat apud Photium Damascius: Οὗτος (Ἱεροκλῆς) ποτὲ τὸν Πλάτωνος Γοργίαν τοῖς ἑταίροις ἐξηγεῖτο· εἷς δέ τις τῶν ἀκροατῶν Θεοσέβιος ἀπεγράψατο τὴν ἐξήγησιν. Πάλιν δ', οἷα εἰκὸς, ἐκ δευτέρου τοῦ Ἱεροκλέους εἰς τὸν Γοργίαν καταβαλλομένου, μετά τινα χρόνον, τὴν ἐξήγησιν ὁ αὐτὸς ταύτην ἀπεγράψατο, καὶ ἀντιπαραβαλὼν τὰ πρότερα καὶ τὰ ὕστερα, εὗρεν οὐδὲν τῶν αὐτῶν, ὡς ἔπος εἰπεῖν· ἑκάτερα δὲ ὅμως, ὃ καὶ παράλογον ἀκοῦσαι, τοῦ Πλάτωνος ἐχόμενα, καθόσον οἷόν τε, προαιρέσεως. Τοῦτο μὲν οὖν ἐπιδείκνυται τοῦ ἀνδρὸς ἡλίκον ἦν ἄρα τὸ τῶν φρενῶν πέλαγος· "Hierocles hic ali- "quando Platonis Gorgiam sociis explicabat. Unus vero auditorum, "Theosebius, explicationem descripsit. Iterum vero, ut par erat, cum "Hierocles post aliquod tempus secundo interpretaretur, idem etiam "hanc explicationem descripsit, et, collatis prioribus cum secundis, in "nullo, ut ita dicam, eadem invenit: utraque tamen, quod vix auditu

o Huetii censura est, Origenis nomen huic libello falso esse præscriptum; quam confirmat ex verbis quæ exstant in Proœmio operis: Ταῦτα δὲ ἕτερος οὐκ ἐλέγξει, ἢ τὸ ἐν Ἐκκλησίᾳ παραδοθὲν ἅγιον Πνεῦμα, οὗ τυγχάνοντες πρότερον οἱ ἀπόστολοι μετέδοσαν τοῖς ὀρθῶς πεπιστευκόσιν· ὧν ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες, τῆς τε αὐτῆς χάριτος μετέχοντες, ἀρχιερατίας τε καὶ διδασκαλίας, καὶ φρουροὶ τῆς Ἐκκλησίας λελογισμένοι, οὐκ ὀφθαλμῷ νυστάξομεν. Quæ Origenis personæ non conveniunt, quippe qui neque episcopus neque ecclesiæ custos unquam fuit. "Episcopus autem fuit "Epiphanius," ait, "et librum scripsit "de Hæresibus; unde non inanis con- "jectura sumitur, hoc opus ad ipsum "esse referendum." Istud Huetii argumentum enervare conatur Jac. Gronovius, qui primus hæc Φιλοσοφούμενα e codice Mediceo in lucem protrusit in tom. x. Thesaur. Antiq. Græc. Galeus autem nostras in Nott. ad Hermiam, p. 213. edit. Oxon. Actium libelli hujus auctorem esse contendit. Sed horum sententias perstringit doctissimus Jo. Christophorus Wolfius, qui librum istum iterum edidit Hamburgi, 1706. NEEDHAM.

" credibile est, Platonis, quoad ejus fieri poterat, institutum conti-
" nebant. Hinc colligitur, quanta in illo viro fuerit ingenii copia." Ita a scriptis ad dictata pervenimus, et ne quid videamur omittere, age ab illis ad dicta veniamus. Tradidit itaque idem Theosebius Hieroclis discipulus apud Suidam, vel potius Damascium, eum *ἐξηγουμένον*, non " inter narrandum," ut Curterius et Portus, sed " dum " Platonem explicaret," aliquando dixisse, *κύβοις ἐοικέναι τοὺς Σωκράτους λόγους· ἀπτῶτας γὰρ εἶναι πανταχοῦ, ὅπη ἂν πέσωσι·* " Socratis" scil. " sermones tesseris esse similes: stare enim semper erectos, " quacunque cadant." Rursus, cum Byzantii in judicium adductus plagis cæsus esset, manante ex corpore lacerato sanguine judicem aspersit, simulque illud Ulyssis apud Homerum usurpavit,

Κύκλωψ, τῇ, πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.

Hæc habui quæ de philosophi nostri scriptis dictisque traderem; qualia vero ea sint, aut quanti inter eruditos æstimanda, non aliunde melius quam a criticorum veterum judicio cognoscere poterimus. Primum itaque legimus apud Suidam, et paulo integrius apud Photium, aut Damascii, aut alterius philosophi, certe a Damascio traditam, hanc de Hierocle nostro sententiam: *ὅτι ὁ Ἱεροκλῆς, ὁ τὰς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ διατριβὰς ὑψηλοφροσύνῃ καὶ μεγαληγορίᾳ κοσμήσας, μετὰ τοῦ σεπτοῦ καὶ μεγαλοπρεποῦς εὕρους τε τὴν διάνοιαν εἰς ὑπερβολὴν ἦν· καὶ διαφέρων εὐγλωττίᾳ καὶ εὐπορίᾳ τῶν καλλίστων ὀνομάτων καὶ ῥημάτων, κατέπληττε πανταχῇ τοὺς ἀκροωμένους, πρὸς τὴν Πλάτωνος ἀμιλλώμενος ἀεὶ καλλιρρημοσύνην καὶ πολύνοιαν·* " Sciendum quod Hierocles, qui " scholam Alexandrinam sublimitate et magnitudine animi ornavit, " præter magnificentiam venerandam et constantiam," (Suidas enim et alii codices apud Photium pro *σεπτοῦ* exhibent *ἀτρέπτου,*) " etiam " ingenii ubertate admodum affluebat; et cum linguæ præstantia, " pulcherrimorumque nominum et verborum facilitate ac copia " excelleret, omnes ubique auditores in sui admirationem rapiebat, " tam orationis venustate, quam sententiarum varietate, cum Platone " semper contendens." Quo philosophi nostri encomio quid uberius, quid luculentius? Et tamen Suidas post operum enumerationem hæc statim subjungit: *ἐν οἷς φαίνεται ὁ ἀνὴρ τὴν μὲν ζωὴν ὑψηλόφρων, τὴν δὲ γνῶσιν οὐκ ἀκριβής·* Ac si vita sublime aliquid spirasset, scientia nihil accuratum. Ne hæc Hierocli nostro labes adhæresceret, Curterius particulam *οὐκ* e Suida tollit; et cum vitæ sublimis, tum scientiæ accuratæ, philosophum Latine exhibet. Ceterum non vidit ille, in Græcis auctoribus corrigendis minime felix, verba hæc Damascii esse, non Suidæ, qui Vitæ Isidori partem

maximam in Collectanea sua transtulit. Id enim si vidisset, negationem nunquam sustulisset, aut ea injuriam nomini Hieroclis factam putasset. Jamdudum enim observavit Photius, Damascium in eo opere, quotquot verbis extollit, et aut ob doctrinæ excellentiam, aut ob ingenii solertiam, supra humanam conditionem, ut plane divinos celebrat, horum se judicem constituere, nullum non perstringere, in singulis etiam aliquid eorum, propter quæ prius laudaverat, desiderare, ipsi Isidoro haud parcere. Vel hinc liquet ista etiam apud Suidam in Ἰσίδωρος, *τὴν ζωὴν μὲν ἦν φιλόσοφος· τὰ δὲ πρὸς ἐπιστήμην οὐ διεξητασμένος*, ex eodem Damascio pariter petita esse, et cum iis quæ de Hierocle dixerat plane consentire, adeoque negationis particulam, e Suida per Curterium sublatum, omnino restituendam videri. Neque vero existimationi auctoris nostri quicquam officere putemus, quod minus ab eo laudetur, qui omnes etiam quos laudat pariter vituperat.

Fateor equidem alicubi, aut a Damascio aut Isidoro, Hieroclem in ordinem philosophorum medium esse redactum : nam cum Pythagoram et Platonem divinos appellat, Aristotelem vero et Chrysippum deprimit ; his verbis de auctore nostro sententiam fert : Τῶν δὲ νεωτέρων Ἱεροκλέα τε, καὶ εἴ τις ὅμοιος, οὐδὲν μὲν ἐλλείποντας εἰς τὴν ἀνθρωπίνην παρασκευὴν, τῶν δὲ μακαρίων νοημάτων πολλαχῇ πολλῶν ἐνδεεῖς γινομένους φησίν· " Ex philosophis junioribus Hieroclem, et ei similes, quod ad humanum apparatum attinet, nullibi deficere, at beatorum divinorumque " conceptuum ut plurimum expertes esse, ait." Atque hæc de Hieroclis philosophia ; de stylo, omni exceptione majus est Photii Græcorum patriarcharum longe doctissimi judicium. Ἔστι δὲ ἡ φράσις τῷ ἀνδρὶ σαφὴς μὲν καὶ καθαρὰ, καὶ σπουδῇ φιλοσόφῳ πρέπουσα· οὐ μήν γε τοῖς κεκαλλωπισμένοις καὶ περιττοῖς ἐξωραΐζομένη χρώμασί τε καὶ ποικίλμασι τῆς ῥητορείας· " Est autem phrasis Hierocli aperta atque pura, et rebus " philosophicis apta : at non supervacuis pulchrisque coloribus, et " rhetorices variis pigmentis, decorata." Qua et sobria et accurata viri summi sententia contenti, huic de Auctore dissertationi finem imponimus, de opere postea dicturi.

Principem in hac secundi voluminis mantissa locum tenent Fragmenta de Fato, Providentia, et libero Arbitrio ; eaque bis Græce, ter Latine exhibita. Ad Græca quod attinet, primo loco posita sunt ea quæ Fredericus Morellus Lutetiæ e bibliothecæ Mediceæ penu eruta anno MDXCVII. edidit ; quæ cum epitomen Hieroclis continere aliquis suspicetur, mihi tamen nihil aliud esse, quam ex excerptis Photii iterum excerpta, et quasi in corpus redacta, videntur. Id

vero ut ostendam, primo sciendum, septem de hac ipsa re libros ab Hierocle fuisse conscriptos, quorum argumenta nobis breviter Photius tradidit; at fragmenta ex tribus tantum, ut tituli præ se ferunt, excerpsit. Deinde etiam observo epitomatorem Morellianum nihil prorsus in se continere, ne unam quidem sententiam attigisse, quæ non integra in Photianis exstet. Præterea idem utriusque fragmenti scopus in ipsa fronte iisdem verbis propositus, iisque eadem menda laborantibus. Ἡ δὲ ἐπαγγελία τῆς παρούσης σκέψεως περὶ προνοίας ἐστὶ διαλαβεῖν τῇ Πλάτωνος δόξῃ καὶ Ἀριστοτέλους συνδιατιθεμένῳ. Si interpretes consuleris, nescies quid legerint, ita sententiam aliter aliterque unusquisque concepit et expressit. Ego apud Photium primo συνδιατιθεμένα scriptum puto, et librarii vitio *α* in *ω* versum; quod perquam usitatum est, a Morelliano autem excerptore mendam etiam cum sententia esse transcriptam. Plane ut paullo post, cum in aliquibus Photii codicibus, ἀλλ' ἀγεννήτου ὕλης συνεργεία, in aliis ἀλλὰ γεννητῆς, vel γεννήτου, scriberetur; excerptor ille posterior ἀλλὰ γεννήτου expressit, itaque Morellum et Grotium in sententiam plane alienam induxit, qui "materiam generatam" sive "genitam" nobis exhibent, cum omnia quæ sequuntur plane ἀγέννητον seu "ingenera-" "tam" materiam postulant. Utcunque sit, excerptorem a Morello editum Hieroclis de Providentia libros nunquam vidisse, sed e Photii Bibliotheca omnia transcripsisse, persuasissimum habeo. Ea autem quæ ita transcripsit, quia non eadem serie ordineque apud Photium extent, quo quæque loco repiriri possint, indicare non gravabor.

Principium itaque Morellianorum inter Photiana ad finem p. 36. omissa scilicet Hieroclis Præfatione, reperiuntur: deinde quæ post medium p. 6. iterum quasi incipere videntur, in secundis Photii excerptis p. 48. occurrunt. At p. 10. quæ post λογιζομένῳ φανήσεται sequuntur, longo intervallo p. 66. comparent. Quæ vero 12. l. 2. se offerunt, ad 54. mediam lectorem reducent. Pag. 14. hæc verba, ταύτῃ τοι καὶ Πλάτων, ad 66. iterum mittunt. Post ἀλγεινῆς θεραπείας p. 16. ad 74. relegamur: et a fine 18. post τὴν ἡμετέραν διάνοιαν, ad finem pene 78. mittimur. Ubi plusculis interceptis excerptor progreditur, donec 22. initio tribus lineis ex 56. petitis, iterum procedit, tandemque Photianis ad finem plane perductis, post medium 24. ad 56 redit, unde paucissima prætergressus in medio 64. finit. Denique Appendix ipsa ex p. 70. desumta est; quam cum Corollarium parum huic operi congruens appellet Morellus, ostendit se non intellexisse, hæc ex fine secundi libri petita esse, quo opiniones Platonicas ex ipsius Platonis operibus collegit, expressit. Hæc nobis labo-

rem pepererunt hoc uno nomine haud plane supervacaneum : quod aliis eandem non creabunt postea molestiam. Atque hinc tandem clare perspicimus quis scopus, quæ mens Epitomatoris fuerit. Nam cum Hierocles septem libros "de Fato, Providentia, et libero Ar- "bitrio" edidisset, Photius autem ex tribus tantum prioribus excerpta in Myriobiblon retulisset, in quorum primo sententia Hieroclis expressa est, in secundo Platonis auctoritas petita, in tertio autem objectiones refellebantur, Excerptor Morellianus ex secundo tertioque ea quæ ad primi argumentum pertinere videbantur revocavit, ut universam Hieroclis de Fato et annexis doctrinam in unum quasi corpus redactam exhiberet.

Quoties autem verba ipsa ex Photio non transcribit, toties suspectum habere epitomatoris judicium oportet. Ecce enim non procul ab initio de Ammonio nonnulla locutus, statim subjungit, *οὗ Πλωτῖνος καὶ Ὠριγένης, ἔτι τε Πορφύριος καὶ Ἰαμβλίχος, μαθηταὶ γεγόνασιν.* Ergo tam Porphyrius et Iamblichus, quam Plotinus et Origenes, Ammonii discipuli fuere. At quis nescit Iamblichum Porphyrii, Porphyrium Plotini discipulum fuisse, neutrum Ammonii? Fateor equidem Eunapium Origenem Porphyrii condiscipulum facere, idque ipsius Porphyrii auctoritate fretum. *Συμφοιτηταὶ μὲν οὖν, ὡς αὐτὸς ἀναγράφει, κράτιστοί τινες ὑπῆρχον, Ὠριγένης τε καὶ Ἀμέριος καὶ Ἀκυλῖνος.* Sed potest esse error in nomine Origenis, ut videtur esse in altero Aquilini. Forte enim non *Ἀκυλῖνος*, sed duabus literis prioribus leviter mutatis *Παυλῖνος*, scriptum fuit; quippe meminit Paulini cujusdam Plotini discipuli Porphyrius, quem Amelius *μίκκαλον* appellavit; Aquilini vero mentionem facit, tanquam ex philosophia hæretici, et inter Gnosticos a Plotino refutati. Utcunque se res habeat, Origenes Porphyrii condiscipulus esse nullo modo potuit, qui Plotini jam senescentis primo factus est discipulus: Origenem autem Plotino annis viginti seniorem fuisse constat[p]. Teste enim Porphyrio, in vita præceptoris sui, decimo Gallieni imperatoris anno quinquagesimum nonum circiter ætatis annum agebat Plotinus. At Origenes vixit usque ad Gallum et Volusianum, id est, usque ad sexagesimum nonum ætatis suæ annum : ut Hieronymus in Catalogo testatur. Quo minus mirum est, viso Origene in Schola inter auditores apparente, Plotinum derepente erubuisse, et post pauca verba clausisse lectionem. Qualem igitur Eu-

[p] Needhamus notat, "præter Origenem Adamantium, alium fuisse Origenem, philosophum gentilem, qui "Ammonium Alexandriæ audivit, teste "Porphyrio in Vita Plotini." Alia etiam testimonia profert, Valesium sequutus, ut probet philosophum Adamantio fuisse seriorem. Vid. Brucker.

napius condiscipulum Porphyrio adjunxit virum! et Præceptori, quem summe coluit, venerandum, et ipso Porphyrio quinquaginta annis seniorem, ut ipse apud Vincentium Lirinensem fatetur; " excitum " se fama ipsius Alexandriam fere puerum perrexisse, ibique eum " vidisse jam senem." Nullo igitur modo Ammonii discipulus Porphyrius fuit, multo minus Iamblichus, Porphyrii auditor; et Excerptorem Morellianum in hunc errorem duxit cum incuria festinatio. Cum enim Photius inter Ammonii γνωρίμους Plotinum et Origenem nominasset, ac postea ad eorum successores enumerandos progressus esset, inter quos Porphyrium, Iamblichum, et tandem Plutarchum Atheniensem collocat; Excerptor discipulorum successores, nulla distinctione adhibita, Ammonii auditores facit. Quod ideo notatu non indignum judicavimus, ut inde Morelliana ex Photianis emendanda moneremus; quæ quisquis diligenter contulerit, næ ille conjecturis emendationibusque Morelli ad marginem collocatis, semper incertis, plerumque falsis, non indigebit. Nam quod statim ab initio operis pro προσαναθέντας, προσαναρθέντας legi vult, vocem prorsus alienam restituit, et a Photio ex ipso Hierocle sine dubio transcriptam rejicit: imo plane fugit eum Grotiumque ratio cum σφᾶς αὐτοὺς προσαναθέντας " seipsos tantum consuluisse" interpretati sunt. Ita p. 4. pro ταῖς ὁμοίαις, conjunctione addita, καὶ ταῖς ὁμοίαις scribens, levissima correctione sententiam auctoris fœdissime corrupit, non nisi ex Photio sanandam, qui ostendit non conjunctionem καὶ, sed verbum ὑποβάλλει, defuisse. Pag. 8. Πάντως που τῆς ἀταξίας αὐτῆς ἀγεννησίᾳ τῆς ἑαυτῶν φύσεως κειμένης· " Cum etiam quod inordinatum erat in eorum " natura, ortum nullum habuisset." Ita Morellus. Quæ quidem nihili sunt; neque tamen meliora attulit Grotius. Ex Photio itaque emendanda, et legendum, πάντως που τῆς εὐταξίας αὐτοῖς ἐν τῇ ἀγεννησίᾳ τῆς ἑαυτῶν φύσεως κειμένης. Mox etiam pro κακὸν τὸ μετατρεπόμενον ex eodem substituendum τῷ μετατρεπομένῳ. Neque ferendus est Andreas Schottus, qui in Græco exemplari emendationem vidit, in versione sua mendam retinuit. Nihilo enim melius, quam aut Morellus aut Grotius, vertit," Quod autem præter naturam efficitur, vitiatur." Cum et verba ipsa, et ea quibuscum cohærent, hunc sensum postulent: " Con- " tra naturam vero affici, malum est ei quod mutatur." Rursus paulo post, (est enim hic locus admodum obscurus, neque interpretum triumviratui intellectus) pro πρὸς τὸ μὴ δυνατὸν, legendum πρὸς τῷ, quod aliud est: novum scilicet argumentum, præter iniquum et injustum, etiam ab impossibili deductum. Pagina autem 12. locus insignis est, qui et emendationem nostram et explicationem efflagitat.

Τὸ δὲ τρίτον, ὡς ἔσχατον τῶν θείων γενῶν, οὐ μόνον τὸ ὁπωσοῦν τρέπεσθαι τῆς ὑπεροχῆς τῶν οὐρανίων ὑπέβη, ἀλλὰ καὶ τὸ ποτὲ κακύνεσθαι τῶν αἰθερίων ἀξίαν ὑπέστη. Pro *τὸ* bis legendem suspicatur Morellus *τῷ*, et quidem rectissime, licet Photii codices non agnoscant; sed interim non vidit vocem *ἀξίαν* esse vitiosam: moneo itaque ex Photio legendum *τῆς τῶν αἰθερίων ἀξίας ὑπέστη.* Mira sunt quæ hinc interpretes excudunt, et ab Hieroclis sententia prorsus aliena, quæ in hunc modum, admissa utraque correctione, reformanda intelligendaque censeo. "Cum "tria eorum quæ intelligentia prædita sunt," (non "quæ intelli-"gentiam movent," ut perperam Morellus et Grotius,) "genera "sint, quorum primum, sine ulla sui commutatione, indesinenter "divinæ similitudinis particeps est, quale est cælestium genus; secun-"dum vero non immutabiliter impartibiliterve eandem similitudinem "sortitur, sine peccati tamen vitiive labe paternis legibus obtemperat, "quale ætheriorum genus est: tertium ab utroque distinctum est; "nam eo quod aliquo modo mutetur, infra eminentiam cælestium de-"scendit; eo vero quod etiam aliquando vitietur, infra ætheriorum "dignitatem subsidet." Hæc sunt Pythagoricæ doctrinæ, hæc Scholæ Platonicæ consentanea. Hierocles ipse ad Aurea Carmina cœlestes illos, velut *θεοῦ εἰκόνας ἀπαθεῖς καὶ ἀκακύντους*, animos autem hominum, uti *τρεπτὰς καὶ ἐμπαθεῖς τῇ εἰς κακίαν ὑποφορᾷ*, describit; inter utrosque vero medium genus ita depingit, ut simul nostra illustret atque confirmet. *Τῷ μὲν ἀεὶ γιγνώσκειν, ἀναβέβηκε τοῦ ἀνθρωπίνου γένους· τῷ δὲ μὴ ἀτρέπτως, μηδὲ ὡσαύτως ἀεὶ γιγνώσκειν, ὑποβέβηκε τοῦ θείου.* Et alibi de tertio genere, *οἳ καὶ τῶν ἀγαυῶν ἡρώων ἐξ ἀναγκῆς ὑποβεβήκασιν, εἴπερ ἐκεῖνοι μὲν ἀεὶ νοοῦσι τὸν θεὸν, οὗτοι δὲ εἰς ἄγνοιαν αὐτοῦ ποτε πίπτουσι.*

Pag. 26. legitur *ἡ τῆς ἐκειθένδε ἐκεῖσε μεταστάσεως εἱμαρμένη*, "fatum migrationis de loco in locum," ut interpretes; quod nihili est. Ita, *τὴν δὲ ἀρχὴν τῆς γενέσεως ὁρίζει ἡ τῆς ἐκεῖθεν ἐκπομπῆς εἱμαρμένη.* "Initium ortus definit fatum migrationis e vita," inquit Andreas Schottus, sensu plane nullo. Non viderunt quid esset *ἐκεῖθεν ἐκπομπὴ*, et quod ei ex adverso respondet *ἡ ἐκεῖσε μετάστασις.* Moneo igitur legendum pro *ἐκειθένδε*, quod Græci non usurpant, *ἐνθένδε*, ut in Photio reperitur [r]. Nam cum particula *θὲν* motum e loco, *δὲ* vero ad locum significet, in *ἐκεῖθεν* una tantum Græci utuntur, in *ἐνθένδε* utraque: neque *δε* appositum significationem mutat; sed ut *ἐνθάδε* nunc *hic*, nunc *huc* valet, (Ἐνθάδε, *ἐνταῦθα*, ὧδε,

[r] Sic in Commentario ad Carmina, p. 188. *Διὸ δεῖ ἐνθένδε ἐκεῖσε φυγεῖν.* NEEDHAM.

εἰς τοῦτον τὸν τόπον, inquit Hesychius,) ita ἐνθένδε *hinc* significat, et idem est quod ἐντεῦθεν· iterum ἐντεῦθεν, ἔνθεν, ἐκ τούτου. Optime Hierocles ipse ad Aurea Carmina : Πρόνοια ἐπ' ἀνθρώπων ἐστὶ καθ' ἕνα ἕκαστον· πῶς ἀφίσταται τῶν ἐκεῖ· πῶς πρὸς τὰ τῇδε νεύει· πῶς ἐνταῦθα πολιτεύεται· πῶς ἂν ἐντεῦθεν ἀνακομισθείη ἐκεῖσε. Ita explicat ille animarum in corpora illapsum, reditumque ad eum unde profectæ sunt locum. Neque aliter Plato in Phædone p. 80. B. e vita migrationem appellat τὴν ἐκεῖσε πορείαν. Dæmonem enim unicuique animæ præpositum velut ducem assignat, ᾧ δὴ προστέτακται τοὺς ἐνθένδε ἐκεῖσε πορεῦσαι, cui mandatum est animas morientium, ex hoc loco ubi vixerunt, ad inferos, sive separatarum animarum locum, ducere atque dirigere. Clara itaque tandem atque perspicua est Hieroclis sententia, et ortum hominis et mortem esse fati legibus definitam. Quippe originis initium, sive potius nativitatis, fatum emissionis ex animarum loco præscribit; mortem autem pariter definitam tenet fatum reditus sive restitutionis in eundem locum ex quo primitus emissæ sunt; atque hæc est ἡ ἐνθένδε ἐκεῖσε μετάστασις.

Pag. 30. pro ἄμεινον legendum ex Photio ἄμοιρον, et pro δίκαιον, τυχαῖον. Prius viderunt Morellus et Grotius : de posteriori neutiquam cogitabant. Erat tamen ea emendatio ad mentem philosophi exprimendam plane necessaria. Voluit enim in cæteris animantibus multum esse fortuiti, neque quicquam judicii divini particeps; in rebus autem humanis, etiam id quod fortuitum esse videatur, ad fati providentialis administrationem referri. Hæc nobis impræsentiarum sufficere poterint, ut ostendamus Excerpta Morelliana, ex Photio primum petita, cum Photianis conferenda et ex iisdem emendanda esse.

De interpretibus quod admoneam lectorem, paucis accipiat. Morellus, Photio nunquam viso, in quamplurimis erravit. Grotius, eodem non consulto, paucissima emendatiora reddidit. Andreas Schottus, inter codices Græcos satis emendatos, in rebus ad philosophiam Platonicam pertinentibus omnium imperitissimum se ostendit. Uno aut altero loco fidem faciam. Dixit Hierocles p. 50. (248.) Καὶ μᾶλλον ἂν εἴη τῆς ἀληθείας ἀφεστὼς, εἰ πρὸς τῷ ἐνδεεῖ τῆς ὑλικῆς ἐνεργείας, καὶ χρόνου τινὸς κοσμεῖν ἤρξατο, ὅπερ οὐκ ἐᾷ μένειν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτοῦ ἤθει. Quæ verba ita Schottus transtulit : " Et potius a " veritate recederet, si ob indigentiam materiatæ operationis et " alicujus temporis ornare cœpisset, nec manere illam in suo statu " permisisset." Quibus verbis vix quicquam invenustius excogitari

potest, nisi illa invenustiora sint quæ Morellus et Grotius excuserunt. Primo itaque legendum, ut in Morellianis, *καὶ ἀπὸ χρόνου·* dein hic loco sensus reddendus est: "Quinetiam magis a veritate alienum "foret, si præterquam quod materia ad operandum indigeret, etiam "ab aliquo tempore rerum ornatum inchoasset: quod ipsum in uno "atque eodem statu manere non permittit." Rursus, p. 60. (258.) *Ὥστε κατὰ γένος ἕκαστα διασώζεσθαι, καὶ συμπαραθεῖν πρὸς τὸ ἀΐδιον τῇ διαδοχῇ τοῖς ὑποστήσασιν αὐτὰ αἰτίοις.* Hoc est, Schotto interprete, "Ut singula suo quæque genere conserventur, et occurrere ad "æternitatem successione quadam causis subsistentibus." Et hæc plane nihili sunt. Morelliana pro *ὑποστήσασιν* habent *ὑποσταθεῖσιν·* ipse legit *ὑποστάσεσιν·* sed Photiana lectio verissima est. Est enim *ὑφιστάναι* verbum his philosophis usitatissimum pro *efficere, producere, constituere:* ita cum *αὐτοτελῶς ὑποστῆσαι δύνασθαι κόσμον* Deum velit, non est hoc "mundum in statu conservare," ut interpretes volunt, sed "producere." Ita *ὑποστῆσαι ἑαυτοῦ εἰκόνας* alibi dixit: et in hunc modum ubique loquitur. Hæc igitur est Hieroclis eo loco sententia: ea quæ ratione carent, non sunt providentiæ regulis ordinata sed fortuitis motibus subjecta, eum tantum ordinis necessitatisque modum tenent, quo singula in suo genere conserventur, et successione quadam cum causis quæ ipsa produxerunt ad æternitatem conspirent. Plura referre piget, et hæc notasse satis est, ne quis fama Andreæ Schotti ductus interpretationi ejus nimium fidat, quem video in Photio vertendo sæpissime lectorem fallere.

Atque hæc de 'Fato et Providentia,' fortasse nimis prolixa: de reliquis pauciora.

Nam quod ad ea quæ ex Stobæo collegimus Fragmenta spectat, diximus antea judicio nostro ad Hieroclis *Φιλοσοφούμενα*, Suidæ et Etymologo citata, referri debere. Et quidem si ulterius hariolari liceat, omnino verba illa, quæ ex secundo 'Rerum Philosophicarum' libro ab istis producuntur, ad eam libri partem pertinuisse puto, quæ *περὶ οἰκιῶν*, sive 'de Familia' tractavit. Docet id ipse in Tractatu 'de Nuptiis,' his verbis: *Οὐκοῦν ἔχομεν ἐν τοῖς περὶ οἰκιῶν ἀποδεδειγμένοις, ὥστε σοφῷ προηγούμενος μέν ἐστιν ὁ μετὰ γάμου βίος· ὁ δ' ἄνευ γυναικὸς κατὰ περίστασιν.* In iis quæ *περὶ οἰκιῶν* scripserat, ostenderat viro sapienti vitam conjugalem primo loco esse eligendam; nos autem oportere sapientem imitari, atque nuptias nobis convenientes existimare, *εἰ μή τις εἴη περίστασις ἐμποδὼν*, nisi aliquid forte accidat, quod merito prohibere possit. Quam sententiam Hieroclis quæ verba potiori jure sequantur, quam illa apud Suidam,

quæ philosophorum exemplo eandem rem eisdem pene verbis confirmant? " Quis enim eorum non uxorem duxit, liberosque sus-
" cepit, et rei curam gessit, *μηδενὸς ἐμποδὼν ὄντος*;" Quibus in hunc modum non sine ratione dispositis, ordinem Tractatuum a Stobæo nominatorum non erit difficile nobis constituere. Primum itaque locum occupet, *Πῶς χρηστέον ἑαυτοῖς*, sive, Quomodo nos ipsos gerere, aut erga nos ipsos affectos esse oportet. Cui ego locum primum assigno, quia ipse, capite ' de Cognatis,' hoc ordine enumerat, *Ἐπειδὴ προεδιδάχθημεν, πῶς τε χρηστέον ἑαυτοῖς, καὶ πῶς γονεῦσι καὶ ἀδελφοῖς*. Ergo ante parentes de nobismet ipsis egerat. Sequebantur autem parentes patriam, patria Deos, ut statim ostendemus. Primum itaque locum *Πῶς χρηστέον ἑαυτοῖς*, secundum *Πῶς θεοῖς χρηστέον*, proximum teneat *Πῶς πατρίδι χρηστέον*. Certissimum hoc ex ipso Tractatus initio: *Μετὰ τὸν περὶ θεῶν λόγον, εὐλογώτατόν ἐστιν ὑποθέσθαι, πῶς πατρίδι χρηστέον*. Post Deos et patriam, quartum locum sortiuntur parentes, sive *Πῶς χρηστέον γονεῦσιν*. Hoc pariter ex ipsomet patet. *Μετὰ τὸν περὶ θεῶν καὶ πατρίδος λόγον, τίνος μᾶλλον ἂν προσώπου μνησθείη τις πρῶτον, ἢ γονέων*; Proxime sequuntur fratres, sive *Περὶ φιλαδελφίας*· deinde conjux, sive *Πῶς χρηστέον γυναικί*. Caput de liberis septimum est, *Πῶς χρηστέον τέκνοις*. De cognatis octavum, *Πῶς συγγενέσι χρηστέον*. Auctor ipse capitis initio; *τοῖς εἰρημένοις περὶ γονέων χρησίμως καὶ ἀδελφῶν, γυναικός τε καὶ τέκνων, ἀκολουθόν ἐστι προσθεῖναι καὶ τὸν περὶ συγγενέων λόγον*. Atque ita tandem hunc ordinem extudimus, capitaque in hunc modum digessimus: ' De Nobis Ipsis, de Diis, de Patria, de Parentibus, ' de Fratribus, de Conjuge, de Liberis, de Cognatis.' Quæ omnia forte in primo *Φιλοσοφουμένων* libro continebantur; ad secundum enim refero quæ sequuntur. Primo, *Περὶ οἰκιῶν*· deinde, *οἰκονομίας*· deinde *περὶ γάμου* et reliqua quæ forte plurima a Stobæo omissa sunt, ut ex priorum aliquibus fragmentum nobis nullum conservavit.

Hæc autem, uti sunt e Stobæo expressa, et satis fideliter versa, et satis feliciter plerumque, ubi res postulabat, emendata videntur. Ne tamen semper satisfactum officio interpretis aut correctoris putetur, obiter notanda nonnulla duximus. Pag. 216. (304.) pro *ὀρθόστρωτοι τοῖχοι*, apponit margini " forte *κλεώστρωτοι*[s]," vertitque " sublimes " muri." Sed neque conjectura placet, neque versio, cum verba

[s] Ita quidem scribitur in margine Stobæi Aureliæ Allobrogum editi, quo usus videtur Pearsonus: sed *κερόστρωτοι*, quod æque corruptum est, exhibet editio Wecheliana. NEEDHAM.

Hieroclis satis elegantia sint, et frustra mutata, ut observat Cl. Salmasius ad Ælium Spartianum. Ut enim λιθόστρωτα generali nomine quæ "lapidibus strata," ita quæ "in altum," ὀρθόστρωτα. Et quemadmodum apud Codinum, cum de trullo loquitur, πάτωσις dicitur quod in solo ponitur, μουσείωσις quod in cameris, ὀρθομαρμάρωσις quod in parietibus; ita de pavimento στρῶσις dicitur, de parietibus ὀρθόστρωσις. Igitur ὀρθόστρωτοι τοῖχοι sunt ὀρθομαρμάρωτοι, hoc est, "crustis marmoreis et laminis inducti." Deinde cum ψαλιστοὶ μυῤῥινῶνες "fornicati myrrhinones" reddit, et ad marginem exponit, "loca myrtis consita opere topiario structis arcuatim, vel ejusmodi "picturas," non recte mentem auctoris explicat; potius enim "for-"ficati myrrhinones" dicendi sunt, quam "fornicati." Ita Glossæ Veteres Græco-Latinæ, Ψαλίζω, "forfico;" et Latino-Græcæ, "For-"ficatio," Ψαλίδωμα. Revera ψαλίζειν Græcis est "tondere." Hesychius, Ψαλίξαι, κεῖραι. Ut igitur apud Martialem "tonsile buxe-"tum," ita nostro ψαλιστοὶ μυῤῥινῶνες sunt "tonsilia myrteta." Unicum præter hunc locum attingam ad finem, p. 248. (318.) pessime ab interprete acceptum: Καὶ τὰ μὲν ὑπὲρ ἀνδρῶν ἀποχρώῃ ἂν· ἐπιμετρῆσαι δέ τι καὶ τὴν γυναῖκα πρέπον· "Et hæc quidem de viris "dicta satis sint; restat adhuc de mulieris officio dicendum." Non intellexit quid esset ἐπιμετρῆσαι· quare et sententiam puncto mutilavit, et sensum nullo prorsus modo verbis consonum affixit. Est autem ἐπιμετρεῖν, "supra debitum aliquid largiri vel concedere, adeo-"que præter id quod officio nostro incumbit agere." Mens Hieroclis hæc est: Cum opera familiæ inter virum et fœminam dividenda sint, ita ut rustica, forensia, civilia viro, domestica vero negotia fœminæ tribuantur; tamen et patremfamilias aliquando decet officiis domesticis sese immiscere, non tantum sciscitando et inspiciendo, sed etiam negotia muliebria tractando, imo ad ipsum lanificii opus nonnunquam descendendo. Et ut hæc virorum officio conveniunt, ita decet etiam mulierem non tantum lanificium tractare, sed ad opera magis virilia accedere; et præter officia sibi peculiaria, aliqua etiam ἐπιμέτρου loco in se suscipere. Ita lege et intellige verba Hieroclis: ἐπιμετρῆσαι δέ τι καὶ τὴν γυναῖκα πρέπον, ὥστε μὴ τῆς ταλασίας κοινωνεῖν μόνον ταῖς θεραπείαις[t], ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἔργων τῶν ἐπανδροτέρων. Sunt alia male accepta, alia mutila, quæ mihi jam festinanti aut excutere aut sanare non licet.

Quod autem ad postremum Hieroclis Fragmentum ex Eusebio

[t] Nos exhibemus ταῖς θεραπαίναις, auctoritate MS. Novi Collegii Oxon. NEEDHAM.

desumptum attinet, mirabitur fortasse quispiam plura auctoris verba inde excerpta non esse. Et fateor equidem, quisquis interpretem Eusebii sequetur, plura ad Hieroclem nostrum referet, quam nos retulimus. Ecce enim in confutatione libri septimi hæc ille : " Sed " audi quibus Hierocles verbis partes Damidis tueatur. Probabilis, " inquit, ratio fuit, cur Damis a Pythagoreorum ritu deflexerit." Hæc igitur et quæ sequuntur Hieroclis erunt, si credamus Acciolo ; si Eusebium consulamus, Philostrati erunt, qui sub *τοῦ συγγραφέως* nomine intelligitur, et apud quem, libri septimi capite octavo, verba ipsa exstant incorrupta : *αἰτία μὲν γὰρ ἥδε τοῦ μεταβαλεῖν τὸν Δάμιν τὸ τῶν Πυθαγορείων σχῆμα· οὐ γὰρ ὡς κακίω γε αὐτὸ μεθεῖναί φησιν, οὐδὲ μεταγνοὺς αὐτοῦ.* Quæ ideo descripsi, ut ex iis emendetur Eusebii codex, qui pro *ἥδη, ἥδη,* pro *ὡς κακίω, κακίας,* pro *μεθεῖναι* minus recte habet *μετεῖναι,* et *αὐτοῦ* perperam omittit. Neque hic solum, sed alibi etiam in eo opere Hieroclem nobis, invito auctore, exhibuit interpres Florentinus. *Ὅσον ἐπὶ τῇ γραφῇ τοῦ παρὰ τῷ Φιλαλήθει παιδεύσεως μὲν ἐπὶ πλεῖστον ἥκοντος, τὸ δ' ἀληθὲς μὴ τιμῶντος συγγραφέως.* " Quatenus, inquam, colligere est de ipso Philalethis auctore, eru- " ditione quidem magna referto, veritatem ipsam probro afficiente." Ita ille, ut solet. Philalethis auctor certe erat Hierocles ; at alius *ὁ παρὰ τῷ Φιλαλήθει,* alius auctor Philalethis. Loquitur Eusebius de Philostrato, cui tam insigne et doctrinæ et veritatis studii testimonium dederat Hieroclis ; idque in hunc modum. " Nos autem solam " Philostrati historiam inspiciamus, ex qua ostendemus Apollonium " non inter philosophos, ne quidem inter mediocris bonitatis viros, " esse numerandum ; nedum cum Christo comparandum ; quantum " colligere est ex scriptis historici, Philalethis judicio et eruditi et " veritatem colentis." Ita interpretor, particula negationis *μὴ* deleta ; tum quod ipsissima verba sint Hieroclis, tum quod hæc sequantur, *τοιοῦτος γὰρ ἦν αὐτῷ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ ὁ Ἀθηναῖος Φιλόστρατος.*

Neque vero Acciolus toties sine socio erravit, eoque erudito. Meminit hujus Opusculi Eusebiani Photius : *Ἀνεγνώσθη Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου ἀνασκευαστικὸν βιβλιδάριον πρὸς τοὺς ὑπὲρ Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως Ἱεροκλέους λόγους·* " Lecta est Eusebii Pamphili Confutatio " brevis Librorum Hieroclis de Apollonio Tyaneo." Ita Andreas Schottus, hac annotatione adjecta : " Septem eos fuisse colligere licet " ex libello Eusebii qui adhuc superest." Mirabar primo septem libros contra religionem nostram ab Hierocle fuisse conscriptos, cum Lactantius, qui eadem ætate vixit, duorum tantum mentionem fecerit ; deinde vero obstupui, cum vir doctus id se ex libello Eusebii collegisse

profiteretur, qui τοῦ Φιλαλήθους λόγου semper, ac si unus tantum liber fuisset, meminit; et verisimillimum est Hieroclem comparationem Apollonii Tyanei cum Christo nostro, in uno tantum ex duobus libris, ut ante docuimus, instituisse[u]. Neque divinare possum, unde eum numerum exculpserit Schottus, nisi forte locum paullo ante allatum ex confutatione libri septimi in animo habuerit, quo versio Accioli Hieroclis fragmentum male exhibet. Certe Eusebii libellus, licet adversus Hieroclem scriptus, in refellendis tamen Philostrati fabulis versatur, et octo ejusdem libros ordine percurrit; imo, quasi controversiæ summam ex Philalethe tantum nominare contentus, orationem totam adversus celebrem illum sophistam et historicum dirigit, ipsum vero Hieroclem eo tantum nomine postea, quod fidem tam lepidis fabulis haberet, obiter perstringit. Atque hæc vera esse, tum ex verbis illis Eusebii, Μόνην δὲ ἐπισκεψώμεθα τὴν τοῦ Φιλοστράτου γραφὴν, tum ex diligenti collatione locorum ex Philostrato αὐτολεξεὶ adductorum, tum denique ex ipso libri titulo, secundum Codicem Regium a Cl. Holstenio expresso, luce clarius constabit.

Neque vero mirum est Acciolum non vidisse quæ sint Hieroclis, cum non videat quis fuerit. Ostendimus ante e Lactantio fuisse eum "e numero judicum;" neque tantum Christianorum persecutioni præfuisse putandus est, sed officium dignitatemque judicis, priusquam adeo crudeliter barbareque sævire Diocletianus inciperet, obtinuisse: quod hæc Lactantii verba non obscure indicant, quibus Hieroclem ipsum affatur: "Tot semper latrones perierunt, et quo-"tidie pereunt; utique multos et ipse damnasti." Confirmat hæc etiam satis non semel Eusebius: Τούτων γὰρ ἡμῖν, inquit, διευκρινηθέντων, ὁμοῦ τοῦ τε Φιλαλήθους τὰ ἀνωτάτω τε καθ' ὅλων δικαστήρια διειληφότος ἡ κατὰ Χριστιανῶν βεβαία, καὶ, ὡς αὐτὸς ἑαυτῷ δοκεῖ, ἀκριβὴς ἐφ' ἑκάστῳ κρίσις, φανερὰ καταστήσεται· "His itaque ad disquisitionem "collectis, satis puto constabit, et Philalethis hujus judicia simul "cuncta testimoniaque complexi, acre illud in Christianos, rerumque "omnium, ut de se ait, judicium consultissimum." Ita Interpres Florentinus. Rursus Eusebius: Ταῦτα Ἱεροκλεῖ τὰ ἀνωτάτω καὶ καθόλου δικαστήρια πεπιστευμένῳ μετὰ πολλῆς ἀνετάσεως ἀληθῆ καὶ πιστὰ εἶναι δοκεῖ· "Hæc sunt quæ Hierocles pro veris habet, ille so-"lertissimus in judiciis supra adductis ac undecunque in nobis

[u] De nefario isto Hieroclis Nicomediensis opere, consule eruditissimum Henr. Valesium, De Vita et Scriptis Eusebii Cæsariensis, Holstenium, De Vita et Scriptis Porphyrii, p. 90. et Gul. Caveum, magnum Ecclesiasticæ Historiæ lumen, in Hist. Lit. tom. i. p. 279. ii. p. 99. NEEDHAM.

" legendis excussor." Ita rursus Acciolus. Quis autem Œdipus hæc versionis ænigmata interpretabitur? aut quid tanto molimine libri in linguam magis familiarem transferuntur, si Græca intellectu sint facilia, Latina intelligi non possunt? Quid enim aliud est τὰ δικαστήρια διειληφὼς, quam " judex constitutus?" Quid τὰ δικαστήρια πεπιστευμένος, quam " is cui concredita est potestas judicandi?" Quæ si sint τὰ ἀνωτάτω καὶ καθόλου, (aut enim pro τε, aut præter τε, καὶ priori loco lego,) quid aliud quam " immensa et suprema potestas," aut " in suprema" saltem " curia," denotatur? Quam autem potestatem Eusebius intelligit, utrum quod esset ἔπαρχος Ἀλεξανδρείας, ut ex Epiphanio docuimus, an δικαιοδότης, vel ἴδιος λόγος, de quibus Strabo, non est hic disserendi locus. Hæc enim ideo tantum adduximus, ut ostenderemus Eusebium vitio interpretis minus fuisse intellectum, neque fragmentum auctoris nostri, eo quod editum est, prolixius e libro adversus Hieroclem esse expectandum.

Quoniam vero illius Opera in hoc volumine claudit hoc ἀποσπασμάτιον, finem etiam nostræ Dissertatiunculæ simul imponet. Quam cum, ut postulatis typographi tantum morem gererem, primo aggressus sim; ut lectori harum rerum studioso aliquo modo satisfacerem, eandem longius produxerim; ut reliquis studiis, quæ me imperiosius avocant, vacem, filum ejus et crassiusculum, et jampridem nimis fortasse prolixum, hic abrumpam.

JOANNES PEARSONUS.

DEDICATIO, ET EPISTOLA COMMENDATORIA

AD

DIOGENIS LAERTII, DE VITIS, DOGMAT. ET APOPHTHEGM. EORUM QUI IN PHILOSOPHIA CLARUERUNT, LIBROS X. CUM OBSERVATIONIBUS ÆGIDII MENAGII. LONDINI, 1664.

AUGUSTISSIMO POTENTISSIMOQUE MONARCHÆ CAROLO II°.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGI,

FIDEI DEFENSORI.

QUONIAM reditu tuo, regum serenissime, bonarum artium studiis et vita et honos pristinus restitutus est, merito ad patrocinium tuum tutelamque recurrit quicquid in literis aut præclarum aut singulare sit. Et quidem cum docta linguarum varietas ætatem hanc, sub auspicio tuo, potissimum exornaverit, tum vero philosophiæ nunquam majoribus animis incubuerunt Angli. Academici, generosi, nobiles etiam, fervent inventionum desiderio, et secreta naturæ claustra experimentorum vigore suoque impetu perrumpunt, vidente, favente optimo et perspicacissimo rege. Gulielmus Herveius, summa cum fidelitate et beatissimæ memoriæ patris tui favore, in aula versatus [a], præ omnibus rerum inventoribus felix,

[a] William Hervey, M. D. the discoverer of the circulation of the blood. His "Exercitatio Anatomica de Motu Cordis et Sanguinis," was first published at Francfort, 1628. 4to. with a dedication to king Charles I. He was

classicum cecinit, et præclara gentis nostræ ingenia ad eximium aliquid et excellens in literis audendum excogitandumque provocavit. Sed et illum egregium sane virum et incredibili solertia præditum sæpius dixisse ferunt, nihil fere unquam in ipsis naturæ penetralibus invenisse se, quin cum Aristotelem suum pensiculatius evolveret, idem ab illo aut explicatum aut saltem cognitum reperiret. Neque enim dubitandum in antiquis philosophorum scriptis quamplurima naturæ arcana etiamnum delitescere, quia ab hominibus haud satis artium apparatu instructis discutiuntur. Quo enim doctior quis ad libros veterum perlegendos accedit, eo plus doctrinæ inde hauserit expresseritque. Verum deperiere scripta, absorpta sunt vetustatis monumenta, et ex naufragio nunquam satis deplorando laceræ tantum et semesæ tabulæ relinquuntur; ideo a nobis inter sacra reputandæ, quod a temporis injuria vindicatæ, et quasi quadam Providentiæ Divinæ cura asservatæ esse videantur. Harum reliquiarum locupletissimus penus ac pene solus est Diogenes Laertius, in quo illustrando cum nonnulli operam suam haud male collocassent, novissime Ægidius Menagius, ingens Ecclesiæ Gallicanæ ornamentum[b], pro eo quo est ad bonarum literarum studia promovenda liberali animo, Observationes suas sane doctissimas in hanc insulam nostram imprimendas edendasque misit. Ut autem sub auspicio tuo, regum augustissime, feliciter prodeant, humillime orat obsecratque

Majestati tuæ a Sacris

JOANNES PEARSON.

afterwards made physician to that monarch, and adhered faithfully to him during the civil war, attending him at the battle of Edgehill, and thence to Oxford. Subsequently to the surrender of Oxford he retired to London; but having leave from the Parliament to attend the king upon his leaving Whitehall, he was absent on this duty, when his house was plundered of all its furniture, and some of his philosophical papers of great value destroyed.

[b] Baillet, in the 'Jugemens des Sçavans,' Art. 564, took occasion from this passage to attack his rival Ménage, "M. Pearson, Evêque Anglois, l'appelle le grand ornement de l'Eglise "Gallicane. Et, comme il ne paroît "pas que M. Ménage ait jamais rien "fait à l'usage et à la gloire de l'Eglise "Gallicane dans aucune de ses œuvres, "il y a apparence qui ce Prelat Protes-"tant a eu égard à son benefice, par ce "que c'est l'endroit par ou M. Ménage "a rapport à l'Eglise Gallicane." COLE. See the Editor's Memoir.

